


Lia X

~~7105?~~ Em[illegible]

AN

LEONIS X.

PONTIFICIS MAXIMI

VITA

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE
CURATORE

PISIS MDCCXCVII.

EXCUDEBAT ALEXANDER LANDIUS
IN AEDIBUS AUCTORIS,

M·L·

FERDINANDO III.
MAGNO ETRURIAE DUCI
ARCHIDUCI AUSTRIAE &c.

ANGELUS FABRONIUS

Cui nuncupabo vitam hominis in Etruria natì, pacis, publicaeque felicitatis studio, & omnium ingenuarum artium patrocinio clarissimi,

nisi Tibi, celsissime Princeps, qui singulari Dei beneficio Provinciae illi donatus es, ut in maximis tempestatibus tuta ab omni periculo suum veterem splendorem retineat? Accipe benigne, ut soles, donum, quod non pretio, sed offerentis pio & grato animo metieris.

LEONIS X.

PONTIFICIS MAXIMI

VITA

Postquam Cosmi & Laurentii Mediceorum vitas declaravimus, hominum, in quibus tanta gravitas, tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, in temperanda republica bonis institutis ac legibus prudentia, & tam excellens in omni genere virtus apparuit, ut nullis cum illius aetatis sint conferendi, mens fuit Leonis quoque X. praeclara facta historiae monumentis mandare, minime reverentes, ne actum agere, quod vetamur veteri proverbio, judicaremur. Quanquam enim Paullus Jovius suo more eleganter & copiose quatuor usque libros de illius vita exaraverit, ut nihil prolatum melius existimetur, neque alii defuerint, qui in ejusdem Pontificis divinis laudibus celebrandis omnem operam posuerunt, fore tamen confidimus, ne ea, quae peperisse ipsi putamur, aliunde sumpsisse videamur. Praeter quam quod adeo inter se nexa & jugata sunt trium horum virorum gesta in eo, quod pertinet tum

ad Mediceorum familiae gloriam, tum ad Florentinorum fortunam, ut unum quodammodo corpus efficiant; nam mores & instituta vitae, resque domesticas, familiares & litterarias nemo profecto iis melius tuitus est & lautius, rem vero publicam ita administrarunt, ut dum sibi consulebant, civibus quoque suis pro temporum conditione prospicere studuerint. Sed jam ad propositum veniamus

Profecto nil tam Laurentio fuit in votis, quam per se majoresque suos opibus, gratia, amicitiis, & populi favore bene constitutam familiae fortunam liberis quoque firmare. Ea propter anno MCCCCLXVIIIII. in matrimonium duxit Claricem Ursiniam, qua nulla erat in Italia femina lectior genere, propinquitatibus atque virtutibus, ex qua tres liberos Petrum, Joannem & Julianum, quatuor autem filias suscepit. Joannes in lucem hominum venit III. Idus Decemb. an. MCCCCLXXV. fueruntque, qui affirmarent (credulitas enim iis temporibus in optimi cujusque mentem facile irrepebat) matrem, antequam illum pareret, somniasse leonem ingentis magnitudinis & mirae lenitatis in S. Reparatae Aede, Florentinarum principe sine gemitu ex utero fudisse, idque satis aperte praedixisse futuram pueri dignitatem. Illi quidem pater ad omnem fortunam praesidia amplissima comparavit, ut vel ii, qui nihil laudabant, nisi quod se imitari posse confidebant, affirmarent: ejus domum officinam esse omnium optimarum artium omniumque virtutum. Habitabant in ea Gentilis Aretinorum Episcopus, Angelus Politianus aliique doctrina praestantes viri, abundabatque praeceptis philosophiae, omnique instrumento, atque supellectile, quibus ad sapientiam concipiendam praeparantur puerorum animi. Frater ipse Petrus erat industriae stimulus; nam, ex illius ad Laurentium patrem litteris apparet, cum ipse esset annorum XII. Virgilii Bucolica minori fratri interpretatum fuisse, ita jubente praeceptore, quem fuisse ajunt Ugolinum Verinium notum & insignem virum, *ut duorum utilitati*, quemadmodum ipse scripsit, *una opera consuleretur*. Quia minime dubitabat Laurentius, quin

Joannes expectationem, quam sui vel a tenerrima aetate concitarat, adultus sustineret tuereturque, facile a Ludovico XI. Galliarum Rege pro gratia, qua apud illum plurimum poterat, obtinuit, ut ille amplissimo sacerdotio (Abbatiam Fontis Dulcis appellabant) augeretur, quod Regis beneficium non sua modo auctoritate Romanus Pontifex confirmavit, sed Protonotarium etiam Apostolicum juvenem septennem declaravit, eique potestatem permisit cetera hujusmodi Ecclesiae munia obtinendi, quorum obtinendorum, ut erat mos, sane perversus, illorum temporum, nunquam finem fecit (1). Ea propter vehementer actum est de ipso creando Aquarum Sextiarum Archiepiscopo pro summa Regis ipsius in Laurentium indulgentia, sed rem jam prope explicatam varii casus impedivere. Nihil vero obstitit quominus Abbatiam Passiniani, aliaque sane ditissima sacerdotia tum in Etruria, tum alibi posita consequeretur, quarum rerum omnium monumenta in Laurentii vita exscripsimus, qui pro patris majorumque suorum animo studioque in rempublicam, suaque pristina virtute, industria voluntateque fecit, ut sui liberi aliquando illi futuri essent ornamento. Teste autem Valorio, qui de illius vita plura litteris mandavit, de iis dicere solitus erat, unum ingenio, alterum probitate, tertium gratia praestantem fore.

Sedebat tum ad Catholicae Ecclesiae gubernacula Innocentius VIII. qui saepe declaraverat Laurentio velle, ut omnia a se & postularet & expectaret, seque Joannem filii loco habere. Nec sane fieri ab illo benignius potuit, cum ipsum VII. Id. Martii an. MCCCCLXXXIX. Cardinalem creasset (2) ea tamen conditione, ne insignia tantae dignitatis suscipere, & munia exercere, nisi exacto triennio, illi licuisset: interea optare se significavit, ut ipse inchoatum in Academia Pisana scientiarum cursum conficeret, laetarique se plurimum, quod praeclara in ea dedisset ingenii & industriae testimonia. Tum minime continere se potuit Politianus, quin ad Pontificem litteras daret testes judicii amorisque sui in

alumnum, qui gravitate morum, studio & diligentia praecurrebat aetatem. Sunt autem in haec verba scriptae. *Etsi me pudor prohibet hominem tenuis fortunae nulliusque propemodum auctoritatis, litteras dare ad te Dei maximi Vicarium, Principemque generis humani, tamen in tanto vel privato meo, vel publico totius nostrae civitatis gaudio facere non possum, quin tester apud te, Summe Pontifex Innocenti, subitum hoc animi mei gaudium, profitear laetitiam, gratias agam privato quoque nomine tuae Sanctitati, quod adolescentem nostrum Joannem Laurentii filium, Florentinae Reip. delicias, tuorum numero Fratrum, summique Senatus collegio adoptaveris, quod civitatem florentissimam familiamque nobilissimam tam insigni munere, tamque eminenti dignitate cumulaveris. Tum gratulor etiam tibi, quod hac acerrimi judicii constantissima fide prope immortalem ceteris tuis egregiis virtutibus gloriam conciliaveris. Ut enim Laurentium ipsum taceam, quem tibi in perpetuum, Sancte Pater, beneficio isto tanto devinxisti, quid ipso tandem Joanne Cardinali nostro perfectius? Aut quid omnibus numeris absolutius? Non indulgebo amori meo, non tuo judicio blandiar, Pontifex, nota cunctis & testata loquar. Ita natus & factus, ita altus atque educatus, ita denique eruditus, atque institutus hic est, ut nemini secundus ingenio, nec aequalibus industria, nec praeceptoribus litteratura, neque gravitate senibus concesserit. Nativa in eo probitas & genuina diligentia quoque parentis ita impense culta est; ut ex illius ore non modo non verbum dictu foedius, sed ne levius quidem unquam, aut etiam licentius exciderit. Non actio, non gestus, non incessus in illo notatus, non aliud postremo, quod in deteriorem partem conspiceretur. Sic in viridi aetate cana maturitas, ut qui loquentem senes audiant, proavitam in eo, nos paternam certe indolem agnoscamus. Cultum pietatis & religionis pene etiam cum lacte nutricis exsuxit. Etiam tum ab incunabulis sacra meditatus officia, quando nondum editum eum, tamen Ecclesiae jam genitor providentissimus destinaverat. Protinus autem quam est in*

lu-

cem susceptus multis magnisque praesagiis in hanc erudiri spem coepit. Et quoniam tale de se specimen dabat, ut istius jam tum virtutis faceret fidem, compulsus fama Ludovicus ille Francorum sapientissimus, idemque sanctissimus Rex, ne summi quidem Archiepiscopatus fastigio indignum hunc ipsum plane adhuc puerum est arbitratus. Illum tu igitur habes Regem collatae istius dignitatis praelusorem. Telam Rex maximus exorsus, quam Pontifex Maximus pertexeret. Audires utinam voces, fausta tibi nunc & prospera ominantis Florentini populi. Aspiceres gestientem ubique & concursantem in atriis nostris, ac laetitiae suae impotentem civium multitudinem, plebemque ipsam vix gaudium capientem animis. Non senes gravitas, non matronas pudor, non pueros infirmitas ab officio retardat. Confluunt in aedes Medicas sexus aetasque omnis, omnis huc ordo, ut ad privatas necessitudines, properant. Pro se quisque primi haurire oculis aspectum novi Cardinalis festinant, exultant, vociferantur, manus ad caelum tendunt, propitium tibi Deum, prospera secundaque omnia comprecantur. Pro tua vel salute, vel dignitate vota prorsus ab omnibus suscipiuntur. Nec est quod annos, ac natales Cardinalis nostri numeretis, virtus illi ante diem contigit. Ne dubita, Pontifex, implebit utique augustam purpuram. Non sub galeri pondere anhelabit, non fulgore caligabit nimio, non indecorem eum tanto Senatui, non imparem tanto fastigio recipies. Jam nunc ampla majestas, jam solito major species. Constabit ratio collegis lati suffragii, nec te unquam, summe Pontifex, judicii poenitebit. Hoc tibi nomine, quod unum valeo, gratulor, agoque gratias &c. Verebatur Laurentius, ne publicae illae gaudii significationes offenderent Pontificis animum, qua de re cum scriberet ad Reipublicae Florentinae Legatum, non ex voluntate sua illas factas fuisse ait, quanquam in tanta laetitia cunctae civitatis temperare sibi a lacrymis prae gaudio minime potuisset. Nihil vero non egit, ut Pontifex citius, quam statuerat, beneficium suum, in omni licet memoria inauditum, palam faceret, sed expugnari illius

animus haud potuit, quanquam nil tam cuperet, quam gratificari Laurentio. Plures erant caussae hujus singularis studii, mutua voluntas, mutua officia, & propinquitatis vincula. Nam Franciscus Cibo ex ipso Pontifice natus in matrimonium duxerat Magdalenam Laurentii filiam, feminam sane omni virtute ornatissimam. Coactus Joannes omnis vitae suae rationem reddere Pontifici, in duabus magnis honestisque rebus studuit praesertim eminere, in disciplinarum & Dei cultu, cujus rei caussa & juris Pontificii laurea, & Subdiaconatus & Diaconatus ordinibus, venia aetatis obtenta, Florentiae an. MCCCCLXXXVJJJJ. insignitus est (3). At Pisis praesertim operam dedit juris prudentiae, quod se magnopere cupere declaraverat Pontifex, qua in facultate praeceptores habuit Philippum Decium & Bartholomaeum Sozzinium, qui tum Jurisconsultorum principes numerabantur. Extant Latinae litterae Alexandri Farnesii datae Romae VI. Id. Decembris an. MCCCCXCJ. ad Joannem, quibus illi de ingenio & diligentia gratulatur, necessitudinem, quae sibi cum Laurentio patre intercedebat, commemorat, atque vehementer illi commendat Pamplonensem Episcopum, qui Pisas studiorum caussa concedebat (4). Libentissime etiam audiebat paterna in domo Jo. Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum, cujus extant prooemia in Jamblicum, in Proculum & Porphyrium ad Joannem ipsum, aliosque bene multos de rebus philosophicis disputantes, nec mediocre tempus insumebat, dum feriabatur a gravioribus studiis, in Graeca lingua addiscenda, & in legendis poetis, cum scriberet ipse carmina satis bella, si spectes aetatem. Mirifica vero indoles virtutis ex eo praesertim apparebat, quod erat libentissime cum hominibus non solum doctrina, sed etiam sanctitate clarissimis, quare ita frequentabat Camaldulenses monachos, ut in iis litteris, quas ad eos Pontifex beneficiorum largitor munificus dedit, se suavissime recordari dixerit, quod in eorum coenobio Florentino *adolescentiae suae tempore non solum versatus, sed pene educatus fuerit*. Ex iis vero utebatur familiarissime Petro Delphinio, & Paul-

lo Justiniano, quem sui veluti alterum institutorem, Joannes vero sicuti alterum parentem venerabantur. Haec omnia praebebant fiduciam Laurentio talem futurum Joannem, qualem cognitum omnes postea judicarunt.

Interea tempus advenit, quo ipse decorandus erat Cardinalatus insignibus. Hac de caussa secessit in suburbanam S. Bartholomaei Abbatiam, quo convenere etiam Praesules multi, nobilitatisque flos, juvenem in urbem deducturi (5). Tum in studiis & laetitia cunctorum civium tanta animorum declarata est voluntas, ut auxisse dignitatem viderentur. Adiit ipse primum Templum Virginis ab Angelo Salutatae, mox in Curiam venit Vexilliferum & Priores salutaturus, inde domum rediit. *Miratus sum*, ait Petrus Delphinius, qui in comitatu erat Cardinalis, *in hac re conceptum gaudium, quod prae se tulit civitas, quia nimboso caelo, ac perpetua comitante nos pluvia, ubique per vicos & plateas adeo frequentissima effundebatur virorum & mulierum multitudo, ut vix pertransiri posset*. Postero die, qui fuit V. Id. Martii an. MCCCCLXXXXII. in principe urbis templo sacro adfuit, quod ita peractum est, ac si Summus Pontifex adesset. Postridie iter Romam versus ingressus est, magna hominum frequentia ipsum comitante ad duo usque millia passuum. Adventus ejus atque introitus in urbem Senarum talis fuit, ut majori laetitia celebrari minime potuerit. Ad Urbem vero accedenti, postquam Sabate Ursiniorum oppidum diverterat, totam fere obviam civitatem procesisse dixisses, adeo omnium animos occupaverant, quae de ipso prorsus mira narrabantur. Secessit cum paucis in monasterium, quod S. Mariae in Populo dicitur, quo mane insequentis diei convenerunt Cardinales omnes illum ad Summum Pontificem deducturi (6). Quae tum fuit gratulatio! quantae significationes benevolentiae Pontificis ipsius in adolescentulum! Aetatem non minuisse, sed auxisse potius dignitatem dixisses, cum ab eo religioni dedito, rerum divinarum satis perito, moribus integerrimis, omnes benigne alloquente, mo-

desto & frugi vel seniores petere exempla virtutum potuissent. Testis est Delphinius per eos dies tantas pluvias fuisse, ut nunquam majores fuerint, has tamen minime impedivisse, quominus Joannes in hominum coetu gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni officio persolvendo celebraretur. Titulum, ut loquuntur, S. Mariae in Dominica obtinuit, in quod templum plura beneficia postea contulit. Cum nunquam non laeto vultu videret eum Pontifex, ut ex omnibus molestiis ac laboribus, et valetudinis incommodis in ejus amore ac sermone conquiescere videretur, multorum honori, & patriae ipsius dignitati favere potuit. Gloriatur ipse apud Alcyonium in libro de exilio, suo potissimum rogatu Pontificem Aquilejensibus sacris praefecisse Hermolaum Barbarum tum Venetorum Legatum, quem summa observantia colebat. Ut audivit vero exilio affectum illum fuisse, quod ejusmodi sacerdotium suscepisset, spreta, ut dicebatur, auctoritate sui Senatus, quibus potuit rebus hominem genere, ingenio, doctrina virtutibusque ornatissimum texit; auctorque illi fuit, ut pristinam fortunam minime requireret, atque a litteris non solum honorem, sed etiam immortalitatem quaereret. Et sane plura scripsit biennio exul, quam viginti ante annis, cum patria & muneribus, quae ab illa dari poterant, amplissimis frueretur. Porro quotquot erant Romae litteris atque ingenuis artibus dediti aut amicitiam, aut patrocinium requirebant Joannis, omnibusque aderat tum sua sponte, tum assiduis patris exhortationibus, qui semper putaverat nullos esse honores, qui cum aliorum utilitate minime essent conjuncti. Is vero non solum doctorum virorum congressu & familiaritate delectabatur, sed etiam musica, omnique digna homine nobili arte; nihil praetermittebat, quod ad Cardinalium propria officia & munera pertinebat; omnino talis erat, ut in eum conjecti omnium oculi essent, & omnibus telis fortunae propositam patris vitam magna spe, maximoque solatio levaret. Sed cum hic consideraret vias adolescentiae lubricas, quibus illa insistere, aut in-

gredi sine casu aliquo, aut prolapsione vix potest, & tempora virtuti inimica, cum studia cupiditatesque honorum, luxuria & voluptatis illecebrae multos transversos agerent, vivendi praecepta dabat filio, in quo omnes spes familiae se collocasse dicebat. Quem non contemnimus philosophum vel unam ejus legentes epistolam, qua totum id complexus est, quod omnem virtutem, omne decus, omnem veram laudem efficit! (7). Haec tanquam cycnea fuit prudentissimi ac sanctissimi hominis vox & oratio; paullo enim post postrid. non. Aprilis an. MCCCCXCII. mortem obivit. Hoc casu quanto perculsus fuerit dolore Joannes, ex illius ad Petrum fratrem litteris apparebit (8). Una hac consolatione leniebat moerorem suum, quod in magnitudine periculorum fratrem ipsum a constantia, atque a paternis exemplis minime discessurum sperabat. Neque vero illi opus fuit invocare fidem & auxilium Summi Pontificis, qui tam bene animatus erat in Mediceorum familiam, ut ad omnes res pro illa suscipiendas se paratissimum esse in tanta jactura, & bonorum luctu declaraverit (9). Ipso & hortatore, Joannes, aestate ineunte, Florentiam se contulit, ut fratribus consilio & gratia praesto esset, abeuntemque Innocentius pro merito juvenis, & patris memoria illius provinciae, quam Romani Patrimonium dicunt (10), moxque totius Etruriae legationis honore liberaliter honestavit. Id enim utile fore speravit ad Florentinos natura commutandae reipublicae percupidos in officio continendos. Cujus rei illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem: nulla lex promulgata, non cum populo agi coeptum, nulla secessio tentata, quanquam in omni sermone spargeret Hieronymus Savonarola homo ipsa tristitia & severitate popularis, & temeritate magis, quam sanctitate celebrandus, haud ferendos cives, qui aequalitatem minime servarent. Honesti ex juventute, & cujusvis aetatis amplissimi evocati atque obsecrati a Joanne, ut si quid adversi accidisset, ne salutem patriae desererent, prolixe adeo de suorum voluntate polliciti

sunt, ut in dignitate Mediceae familiae omnium fortunarum incolumitatem ponere viderentur. Quia vero fortasse in Petri virtute non satis praesidii ad clavum Reipublicae tenendum esse vidit, eum hortari minime cessavit, ut spem omnem in bonitate aequitateque animi, & in paternis persequendis exemplis reponeret, nihilque tam vereretur quam suspicionem ostentationis ac nimiae potentiae, unde factiones dissensionesque nascuntur. Praeibat ipse exemplo, cum ita se se gereret, ut in juvenili aetate minime virilem sapientiam desiderasses; dumque pietate, bonitate, liberalitate, benignitate omnium voluntates sibi conciliabat, officium, non fructum sequi videbatur. Prospexit & doctis iis viris, quos domi suae pater alebat, cujus rei monumentum extat in Marsilii Ficini litteris, qui ei se debere dixit, quod auctus canonicatu, quem ipse obtinebat in principe Ecclesia, donatusque Martiana aede, *obitu magnanimi Laurentii fortunam suam sibi deflere minime licebat*, illud & addens, *non aliena mihi das, sed tua*. Consuluit quoque honori Pici Mirandulani, a quo se mirifice diligi intelligebat, nec sivit egere Graecos illos, qui in sinum Laurentii confugerant; quodque multorum liberorum pater erat Demetrius Chalcondyles, quo praeceptore usus fuerat, hunc vel in aere alieno solvendo, vel in filiarum collocatione, vel in re quaerenda liberalissime adjuvit. Nam non solum verbis, sed etiam factis declarare satagebat, gravissimam omnium ad se consolandum de morte patris esse rationem, si sibi tribuisset fortuna facultatem bene de doctis & bonis promerendi, iisque praesertim, quos non modo de delectu, immo vero de sinu complexuque ejusdem fuisse constabat. Vix confectis rebus, quarum caussa Florentiam venerat, audiit desperari de Pontificis vita, quare properavit Romam redire, quo priusquam perveniret, comitante Paullo Ursinio cum suis equitibus, Pontifex ipse naturae debitum reddidit, VII. Kal. Sextiles an. MCCCCXCII.

Porro minime dubitabat Joannes, quin turbulenta futura essent comitia: brevi tamen negotium confectum est; nam septimo post die, quam conclavia Cardinales ingressi fuerant, creatus est Summus Pontifex Alexandri VI. nomine Rodericus Lenzolius Valentinus, quem Callistus III. ejusdem avunculus, cum in purpuratorum Patrum collegium cooptasset, gentili Borgiae cognomento donaverat. Id unum propositum fuit Joanni auctoritatem & consilium sequi Francisci Piccolominei, qui postea Pontificatum Maximum consecutus est, & Oliverii Caraffae, qui sapientia praediti prope singulari inter omnes Cardinales eminere videbantur. Illi quamvis omnia mallent, quam suffragari Lenzolio, attamen veluti turbine quodam abrepti pedibus ivere in collegarum sententiam, praeeunte omnibus Ascanio Maria Sfortia, qui nihil non egit, ut is non prensatione solum, ac ceteris officiis ac blandimentis, quibus hominum studia captantur, sed etiam ambitu ac largitione viam sibi ad beneficium impetrandum munire posset. In quo tamen patrator, idem ac vindex nefariae corruptelae fuit. Eos enim ipsos, quorum suffragia donis ac promissis sibi conciliasse arguitur, non multo post adeo infeste atque hostiliter persecutus est, ut alios exilio, alios morte mulctaverit, non quidem odio flagitii, sed quo eorum pecuniis potiretur, ut esset unde Caesari filio perpetuos exercitus alenti ad suam potentiam cum aliorum detrimento amplificandam sumptus suppeditarentur.

Qui status futurus esset urbis Romae, quae fortuna universae Italiae, gubernacula catholicae reipublicae tractante Pontifice ad perdendas familias, ad delendos civium ordines, ad corrumpendos mores, & ad incendia acerbissima excitanda nato, taedas suppeditante furia illa Caesaris Borgiae, quem ex concubina cum aliis liberis genuerat, facile praevidere potuit Joannes. Itaque specie consulendi rebus domesticis, & Florentinae Reipublicae negotiis, in Etruriam remigrare maturavit. Erat Pisis Novembri mense ejusdem anni MCCCCXCII. quando litteras dedit ad

Petrum fratrem designatum Legatum cum aliis quinque primariis viris ad Pontificem ipsum, rogans eum, ut quoniam rumor sparsus erat fore, ut bini de latere, quemadmodum appellantur, Legati in Galliam mitterentur, omni studio curaret, ut ipse hujusmodi munere decoraretur, quia desperabat se posse Romae, omni bona arte in exilium acta, cum dignitate vivere (11). Tum quidem ignorabat Joannes, quid animo volutaret Pontifex. Facile quidem praevidere poterat ambitionem & avaritiam eum ad quodvis maleficium impulsuras. Nec mediocre postea suae improbitatis indicium dedit, cum spe depulsus dandi in matrimonium uni ex suis liberis Alphonsi Calabriae Ducis filiam, & Ferdinandi Neapolitanorum Regis neptem, tanta exarserit ira, ut, hominibus sibi fidis in Galliam missis, per eos Caroli hujus nominis VIII. Regis animum sollicitare, multa polliceri, ut regnum Andegavensibus ereptum, sibique familiae jure debitum recuperaret: illi omnia in promptu esse, opes, exercitum, duces, tormenta, & quod praecipuum erat Regem ipsum imparatum, sociis atque principibus ob superbiam atque avaritiam juxta invisum, tantummodo incepto opus esse, cetera caelestes alienae dominationis vindices gesturos. Satis constat Alexandrum, ut erat ingenio subdolo, his magis usum fuisse pollicitationibus, quo Alphonsum metu Gallorum perterritum affinitate sibi adjungeret, quam odio, aut amicitia permotum. Profecto non fuisset neque utilitatis, neque ingenii Joannis haec tractare, & servire immoderatis Alexandri cupiditatibus. Vehementer tamen optabat, ut Petrus, dum magnificentissima legatione fungebatur, gratiam ab eodem iniret: nam iis temporibus tanta erat Romanorum Pontificum auctoritas, atque potestas, ut facillime & bellum excitare, & Italorum Principum fortunam in discrimen vocare potuissent. Egit quidem saepe cum eo Petrus de Italicarum rerum statu, & de consiliis, quae agitare videbatur Ludovicus Sfortia ad se se in Mediolanensium imperio contra jus fasque (istud enim Joanni Galeatio Mariae fratris filio, eu-

cujus tutelam gesserat, obvenerat) confirmandum. Dum vero monebat Pontificem, debere illum pro sua dignitate & studium & iracundiam Reipublicae dimittere, neque graviter adeo irasci Neapolitanorum Regi, ne cum illi nocere se speret, reipublicae noceat, sui suorumque & Regis ipsius, quocum secreto, & communicato cum paucis consilio, foedus inierat, caussam agere arbitrabatur. Pontifex quidem sive deterritus magnitudine rerum externarum, quibus enixe studere Ludovicum intelligebat, sive spe propagandi imperii illectus, sive intestinis hostibus permotus (Ursinia enim factio domi potens cum Alphonso, qui, mortuo patre, ineunte anno MCCCCXCIV. regnum obtinuerat, societatem coiverat) sive praestanti liberalitate Alphonsi ipsius obstrictus, a quo ejus liberi oppida, & concupitam adeo affinitatem impetraverant, in easdem partes traductus est, congredique cum Rege in Varronis vico statuit. His rebus Mediolanum nunciatis, indignatio & metus Ludovici animum occupavit, qui diu multumque agitasse dicitur quidnam consilii caperet. Nam si contendendum esset sibi cum foederatis, se parem illis esse non posse intelligebat, si ipse ad Gallorum auxilium confugisset, suam salutem infidis amicis recte haud committi videbat. Interim legatos mittit Florentiam, ne Respublica aliquid contra se moliri pateretur. Hi quamvis libenter auditi, non ea tamen retulerunt, quae hominem suspiciosissimum, & semper aliquid existimantem ab amicis esse violatum, timore liberare potuerint. Itaque negotium dat Carolo Barbiano Belgioiosii Comiti, ut in Galliam concedat, omnique arte inflammet Caroli Regis animum ad occupandum Neapolitanum Regnum, quod facile fuit in juvene alta cupiente, & bellicae gloriae avidissimo. Atque hinc illa malorum ilias, qua obruta adeo Italia fuit, ut nulla unquam post hominum memoriam major extitisse videretur. Vidit tum haec praeter acerbissimas calamitates, quas secum bellum afferre solet, novos mores, nova vestimenta, novos bellandi modos, nova morborum genera, & haec omnia ad ejus perniciem ex latebris tum

primum erupisse judicasses. Decreto bello, Carolus legatos undequaque misit ad excitanda erga se Italorum Principum studia, explorandosque locorum situs, Deos testes appellans, se nulla dominandi libidine adductum arma sumere, sed regni sui recuperandi caussa: si Gallorum amicitiam minime respicere vellent, quorum haec fuit semper consuetudo, ut socios atque amicos non modo sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore auctiores esse velint, sinerent saltem sine injuria ac maleficio per illorum fines ipsos transire. Romae ac Florentiae aversis auribus legatio exaudita est, quanquam Philippus Cominejus Argentonii Comes, cum primum in Italia pedem posuit Caroli nomine, per internuncios monere Petrum non destitit, ne pro sua veteri in se & in Gallorum Reges amicitia, a quibus tot ornamenta atque subsidia in maximis periculis Mediceorum familia acceperat, implicaretur societate, a qua nullum sperare bonum, contra multa timere poterat mala. Quidquid hic responsi dabat ex ipsius Alphonsi ore mitti putabatur, & plures sane extant Dionysii Puccii Florentinorum legati ad Petrum ipsum litterae, ex quibus apparet omnia, quae alicujus momenti erant vel ad cavendum, vel ad praevidendum una communicasse. Neque minus Pontifex plurimum tribuere videbatur Petri amicitiae, usque eo, ut Cardinalem se ejus commendatione creaturum spoponderit (12). Huic propter infidelitatem credere minime debebat, & porro fuit non benevoli animi signum, quod legatione Patrimonii privaverit Joannem, ut paupertati, quemadmodum ipse ajebat, vel potius cupiditati Farnesii Cardinalis consuleret. In hac turbulentissima tempestate maxima fuit laus Joanni, quod plerumque degens vel in suburbano rure, quod Cajanum dicunt, vel in Calenzani paroecia, vel in Passiniani Abbatia, quibus praeerat, studiis obsequeretur suis, cum paucis probatissimisque viris ac litteris deditis viveret, praevidensque, quae impendebant Italiae, calamitates, consilia prudentiae plenissima fratri daret. Atque utinam his

dociles aures praebuisset: nam excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem, quam a sociorum urbibus prohibere minime potuit, suis omnibus tectis atque agris inlatam dolere debuit.

Decreto bello, quanquam Alphonsus multa paraverat, quae ad hoc terra marique sustinendum necessaria erant, & Aemiliae regulos, in quos incursionem atque impetum armorum primum fore putabatur, in partes suas traxisset, ubi tamen fama nunciavit Gallos alpes transcendere, Italia omnis concussa, spes metusque ingens omnium animos occupavere. In Caroli exercitu magna erat multitudo perditorum hominum, latronumque, quos spes praedandi in provincia omnium rerum abundanti facile ad arma vocavit. Is per Taurinos V. Id. Septembris an. MCCCCXCIIII. Astam Pompejam pervenit, quo Ludovicus magnificentissimo apparatu obviam Regi processit. Perfacile factu esse illi probat conata perficere, propterea quod ipse suae civitatis imperium (nam de Jo. Galeatii Mariae vita desperabatur, cui venenum ipse dedisse putabatur, tantum in mentibus hominum mala regnandi cupiditas potest) obtenturus esset, neque esse dubium, quin si per Apuanos Ligures recta in Etruriam contenderet, multis Florentinorum oppidis statim potiturus esset. Pontremulum igitur magnis itineribus, postquam e variolarum morbo emerserat, pervenit, inde ad oppugnandum Fivizzanum processit, quo capto, ac crudelissime vastato, exercitum ad invadendum Sergianum, quod tum erat oppidum in ditione Florentinorum, traduxit. Non satis validum in eo erat praesidium, & manus, quam ad illius defensionem miserant Florentini, antequam eo perveniret, hostium impetum minime sustinuit, magnaque pars aut interfecta, aut capta fuit, ceteris in fugam conversis. Cum omnia prospere cederent Gallis, & civitas magno timore perculsa esset, suae fortunae duxit Petrus una cum Paullo Ursinio, qui tunc Florentinis militabat, adire Regem, ut confitendo seu suae culpae, seu

errori veniam peteret supplex (13). Tum revocatus ex itinere fuit, quod paullo ante Romam versus Pontificis jussu Joannes susceperat, cujusque caussa ad Passiniani Abbatiam diverterat. Hunc enim obsidem habere Alexander volebat, ut Petrus inviolatum foedus servaret. Quanquam Carolus satis esse caussae arbitraretur, quare in hunc aut ipse animadverteret, aut civitatem animadvertere juberet, indignationem tamen suam texit, & cum eo Sergiani benigne adeo collocutus est, ut ipse summam in spem venerit retinendi in patria principatum. Simul commonefecit Rex quae ipse a Florentinis exigeret, si sibi purgati esse, & libertatem conservare vellent, petiitque ut sibi mutuo darentur ducenta usque millia nummum aureorum, utque in potestate sua essent arces Sergiani, Sergianelli, Petrasanctae, Liburni ac Pisarum, quas se restituturum spopondit, confecto bello Neapolitano. Cessit illius postulationibus Petrus, neque diutius apud Regem moratus est, quam necessitas urbanarum rerum pati videbatur. His rebus Florentiam nunciatis, exarserunt cives iracundia & stomacho, quod conditiones iniquissimas, non modo non jubentibus, sed etiam inscientibus ipsis, Petrus accepisset; itaque praeeunte Francisco Valorio, viro annis ingenioque gravi, consilia inire coeperunt de commutando reipublicae statu, dolentes vehementer civitatem, quae quondam ita valens & firma fuerat, ut potentiorum impetus, negligentiam Senatus, & injurias civium ferre potuerit, in juvenis innixam humeris ad interitum atque occasum appropinquare, quod eo gravius vindicandum statuerunt, quo diligentius in reliquum tempus libertas a tyrannis conservaretur. Rediens in patriam Petrus, cum magnam voluntatum commutationem vel in iis factam fuisse novisset, quos sibi fore amicos speraverat, & clamore convicioque jactatus ab ipsa Curia, quo venerat gestorum & consiliorum suorum rationem redditurus, prohibitus fuissset, rebus suis coepit desperare. Coepit etiam tumultuari plebs, ex quo rumor sparsus est adventare in urbem Paullum Ursinium cum magna

armatorum vi, parumque abfuit, quin Joannes in vitae periculum adduceretur, quod fratris rogatu una cum Andrea Cambinio domus suae praefecto ad Curiam accesserat. Tum querens Petrus se destitutum esse, fugae consilium cepit, atque deviis itineribus Bononiam aegre pervenit una cum Juliano fratre & perpaucis ex fidissimis familiaribus. Coactus quoque saluti suae prospicere Joannes, postquam a Marcianis Coenobitis, a quibus occultari petierat, repulsus fuit, pro purpura cinereo cucullo Franciscanorum proprio indutus ad S. Galli portam perrexit, ibique, quod nondum erat ab inimicis occupata, conscenso equo, quem sors obtulerat, per Marinae amnis vallem, & devios Apennini tramites, Bononiam ad fratres contendit. Tum videre licuit ingratissimae civitatis perfidiam atque iniquitatem erga familiam, a qua tot beneficiis atque ornamentis decorata fuerat, quamque saepissime patriae conservatricem appellaverat. Nam caeca atque ardens furore Petrum fratresque hostes declaravit, interfectoribus eorum praemia decrevit, omnibusque publicis privatisque locis insignia atque ornamenta evertit, delevit. Quis minus unquam pepercit hostium castris, quam illa aedibus, in quibus erant magna caelati auri argentique vis, multae antiqui operis statuae, aenea signa, Graecae Romanaeque inscriptiones, lapides gemmaeque affabre incisae, tabulae mirum in modum pictae, manuscripti codices, omnisque pretiosa supellex regali sumptu comparata, & undique conquisita? Quae omnia aut direpta cupidae plebis avaritiae cesserunt, aut, posita hasta, praeconis subjecta voci licitatoribus vili pretio addicta fuere. Domus ipsa Joannis, in qua habitare solebat, quaeque erat ad S. Antonii, cujus templi antistes erat, non solum spoliata omni supellectile fuit, sed etiam a fundamentis fere eversa, quique ad illius custodiam relicti fuerant, omnibus onerati injuriis aegre mortis periculum vitarunt. Qui horum quid acerbissime crudelissimeque fecisset, is & vir & civis optimus habebatur. Infinita alia sunt scelera, quae in Mediceos edita fuerunt, de quibus omnes sic

loquebantur, ut si homines deterrimos poeta praestanti aliquis ingenio, fictis conquisitisque vitiis deformatos vellet inducere, nullum profecto dedecus reperire posset, quod in iis non inesset. Fuit quidem Petrus, in quem maxime maledicta recidebant, Laurentii patris & vita & prudentia longe dissimilis, timidus in adversis rebus, arrogans & superbiens in prosperis, laboris impatiens, saepissime inconstans & levis, pecuniae & potentiae cupidus, sed his conservandis, augendisque nequaquam par. Itaque sibi unice tribuere debuit, quod ii fluctus, quos a patria familiaque sua depellere concupivit, in semetipsum maxime redundarunt. Non diu ille cum fratribus Bononiae fuit, quod minus in se esse animo amico novit Joannem Bentivolum, qui illi urbi imperabat, & a quo acriter reprehensus fuit, quod omni dignitate potestateque & patria ipsa privatus fuisset, nulla adhibita vi & arte, quae aut periculo, aut dedecore continuisset cives suos ad tantum facinus committendum. Quare ipse Venetias, Ioannes vero cum Juliano fratre, & Julio patruele, qui postea Summus Pontifex creatus est Clementis VII. nomine, Pitilianum primum, quod erat oppidum in ditione Ursiniorum, mox Tifernum ad Vitellios veteres amicos confugerunt. Deteriore autem ut statu essent, multa adversa Petro acciderunt, quamvis de eo in patriam revocando egerit Carolus Rex, cum Florentiam XV. Kal. Decembres an. MCCCCXCIV. magno cum exercitu advenisset, motus tum studiis eorum, qui cum eo erant, quosque necessarii & consanguinei Mediceorum pretiosissimis donis sibi conciliaverant, tum lacrymis & squallore Alphonsinae Ursiniae ipsius Petri uxoris, cujus in domo habitavit. Ceterum ille minime ex animo Mediceos amabat, oderat etiam fortasse, sed ex sua dignitate esse putabat eorum miserae subvenire fortunae, per quos bonis adeo initiis in Italiam ingressus fuerat, ut reliqua prospera consecutura speraret. Re delata ad populum, omnes judicarunt ab hoste potius, quam ab amico videri datum consilium, vel in summo timore & desperatione pro parta libertate di-

micandum & vitam profundendam, omnia cogitanda & exequenda ad vim, si opus fuisset, propulsandam, unam esse in celeritate & virtute positam salutem, neque defuturos justissimae caussae defensores potentes, quam caelestes ipsi judicio suo comprobasse videbantur. Verens Carolus ne ex tanta consensione populi, tantoque odio in Mediceos, quod meruisse videbantur, propterea quod minime ferendam potentiam concupiverant, motus aliquis existeret, mitius cum Florentinis sibi agendum duxit, quorum etsi animi ad ulciscendum arderent, ne quid tamen detrimenti Respublica a potentissimo Rege caperet, cetera inter illi promiserunt, & jurejurando sanxerunt, se Mediceos rebellium numero non amplius habituros, bona, quae possederant, illis reddituros, ac liberum fore iisdem quatuor post menses de reditione in patriam cum populo & magistratibus agere, dum ne interea centum millibus passuum propius ad illam accederent (14). Fuere haec non admodum grata Mediceis fratribus, quia intelligebant non praeteritarum rerum poenitentia, sed praesentis periculi timore ad illas Florentinos descendisse conditiones, quare desperantes de Gallorum fide, & de voluntatum commutatione, quantum gratia, clientelis & pecunia valebant, ad sollicitanda, quae sors offerebat, subsidia nituntur. Novarum enim necessitudinum fidelitate contra veterum amicorum perfidiam se muniendos putarunt.

Peropportune tum accidisse visum est, ut Virginius Ursinius affinitate Petro conjunctus Tarrensi pugna, quae inter Gallos Venetosque in Parmensi agro pugnata est, custodia elapsus (Neapolitano enim bello apud Nolam captus in Galliam ducebatur) Romam ad suos redierit, coactisque equitum turmis, ac militum cohortibus, hanc vim in Florentinos contulerit. Profectus Tuderto Gualdum petiit, ut Perusinos in oppidi oppugnatione occupatos adjuvaret, hocque beneficio in partes suas traheret. Sed a Gualdo irrito incepto in Senensem agrum abscedens, atque inde, adjuncto Petro, ad Cortonam tentandam Florentinorum fines ingressus, cum

vana promissa se secutum cerneret non Etruscorum modo, sed & Jo. Bentivoli, Catharinae Sfortiae, Venetorum, & Ludovici Mediolanensium Ducis, re infecta, Clusium rediit, atque inde ad Gallorum castra recta contendit. Miserat enim Carolus Rex ad eum homines cum mandatis, quibus in eam spem adductus est, fore, ut adempta sibi in Neapolitano Regno a Columnensibus oppida recuperaret, si se se cum Gallis conjungeret. Laeti Florentini quod hi a se discessissent, quodque ab Ursinio relictus fuisset Petrus, sentinam quamdam urbis rati exhaustam, quod jamdiu cupiebant, multa novarunt. Ceterum levaverunt modo in praesentia velut corpus aegrum, quo mox in graviorem morbum recideret. Nullum fere erat aerarium, conciderat mercatura, qua praesertim floruerant Florentini nullum genus quaestus aut magni & evidentis, aut minimi & sordidi praetermittentes, consensus ordinum erat divulsus, judicia perierant, civis, qui se pro patriae salute opponeret invidiae & furori, minime audiebatur, omnia demum gerebantur ad effrenatae & impotentis multitudinis arbitrium. Ad has calamitates accedebat, quod Hieronymi Savonarolae lingua, quasi seditionis flabello universa civitas contrarias in partes distrahebatur, quare minime deerant, qui assidue hortabantur Petrum, ne desereret se se, statumque divisae, perturbatae, confusae civitatis suam occasionem haberet, experireturque quam vana aut levi aura mobile vulgus esset. His motus vocibus, per Bartholomaeum Livianum magni animi magnaeque virtutis hominem, quem humili Etruriae loco (Albianum dicunt) natum ad militiae disciplinam erudierat Virginius Ursinius, celeriter atque occulte sexcentos equites, ac totidem pedites conscripsit, nocturnisque itineribus Tabernulas (hoc oppido nomen, quod Florentia XV. millibus passuum distat) accessit. Inde nuntios in urbem ad conjuratos mittit, qui se postera die prima luce ad portam accessurum, eamque occupaturum docerent. Tum quoque fortuna huic conatui obstitit. Fessi enim defatigatique tum ex itinere, tum ex maximo imbre,

cum

cum milites urbi adpropinquassent, nec quisquam e moenibus prodiisset, contra ea Florentini praesenti periculo experrecti magnam manum ad arma vocavissent, equitatumque e Pisano agro accivissent, veriti Petrus & Livianus, ne tantis viribus impares circumvenirentur, signis repente sublatis, cum salutare consilium nullum aliud esset in promptu, abiere. Tum conclamare populus Florentinus tantum facinus admitti haud potuisse, nisi intus essent patriae hostes, nec illud inultum se passurum. Indicia, quaestiones, tormenta rem manifestam fecerunt, & cum Laurentio Tornabonio, Nicolao Ridolfio, Joannottio Puccio, Joanne Cambio, & Bernardo Nerio, primariis sane viris, qui principes consilii extitisse convicti fuere, alii plures mortis poenam subiere, nequicquam reclamantes jus provocationis ad populum, quod nova lege post exactos Mediceos constitutum fuerat.

At non propterea Medicei fratres in omnem occasionem excubantes spem recuperandi patriam abjecere. Hoc satis opportune sibi accidisse arbitrati, quod an. MCCCCXCVIII. damnatus flammis fuerat Savonarola, quem longius, quam voluisset, popularis aura provexerat, quodque Gallorum regnum, mortuo in Gallia Carolo annum agente nonum & vigesimum, ad Ludovicum Aurelianum, ut pote regi ipsi propinquiorem, pervenerat, tum domi, tum foris, quod opus erat, omni cura providebant. Junxit se se Petrus certo foedere Venetis bellum adversus Florentinos gerentibus, ut Pisanos pro libertate, quam per Carolum Regem recuperaverant, pugnantes defenderent. Fore enim sperabant, ut civitas omnibus jam defessa malis, suorum potius, quam impotentem Florentinorum dominationem esset latura. Quo vero hi ab oppugnandis Pisis ad sua tuenda averterentur, Senatus, detrimentis quibusdam in agro Pisano acceptis, decrevit, ut Guidobaldus Feltrius, Livianus ac Petrus Mediceus per Faventinorum fines Marradium aggrederentur, ut, hoc expugnato, aditus in agrum Florentinum iis pateret. Prior Julianus Mediceus in oppidum venit, bona sane cum

spe, quod majores mei, qui summam in iis regionibus potestatem habebant, fuerant Laurentio Mediceo conjunctissimi, quodque promiserant Petro se ei nunquam defuturos. Hi quidem se se permoveri dixerunt, ut quam benevolentiam & fidem patri, si viveret, se debere sentiebant, filiis praestarent (15). Nihilo tamen minus, quae imminet oppido arx, in quo firmissimum erat Florentinorum praesidium, quaeque loci natura munitissima erat, capi a Venetis minime potuit. Itaque Petrus & Julianus, oppugnatione relicta, cum exercitu Forum Livii versus iter susceperunt. Decreverat enim Senatus ex illius urbis regno expellere Catharinam Sfortiam, quod Florentinis auxilia in rempublicam miserat. Sed hac quoque re infecta, Petrus egit cum Ramberto Malatesta de deducendis copiis in Etruriam per Solliani oppidum, cui ipse imperabat, quodque positum est in apennino juxta Florentinorum & Urbinatium fines. Hoc a Venetis probato consilio, exercitus, silentio noctis itinere confecto, incredibili celeritate ad fanum Camaldulense, dum Coenobitae nocturnas preces faciebant, pervenit, eoque capto, eadem celeritate Bibienam contendit. Hoc quoque oppidum vi & fallaciis in Venetorum potestatem venit, indeque progressi Puppium, cum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permovere potuissent oppidanos, oppugnare instituerunt. Fortiter ii hostium impetum tulerunt, & cum jam omnia fere superiora loca multitudine armatorum completa conspicerentur, neque commeatus supportari, interclusis itineribus, & nive concrescente, posset, & jam jam adventare ex agro Pisano cum magna militum manu Paullum Vitellium nunciaretur, iisdem itineribus, quibus eo pervenerunt, ad salutem contenderunt. Ita commutata fortuna, quam saepius haud tentandam esse judicarunt Veneti, sumptibus acceptisque detrimentis fessi, aures praebuerunt Herculi Atestino Ferrariae Duci, quo arbitro pax inter eos & Florentinos confecta est postrid. non. Aprilis an. MCCCCXCIX. Fuit haec pax gratissima Reipublicae Florentinae. Nam prae-

ter quam quod summo in periculo multorum mentes timor occupaverat, dissidebat inter se Rinuccius Farnesius, & Vitellius, quibus suarum copiarum imperium dederat, diversissimis duobus vitiis avaritia & luxuria civitas laborabat, erant & factiones, publicum aerarium inops & exhaustum, parum tuta Pontificis, non satis valida Regis Neapolitani amicitia, incertus animus Gallorum Regis, ac demum spes retinendi in fide Pisanos, quorum caussa tot bella susceperat, totque sumptus fecerat. Nam cetera inter statutum fuerat, ut remissis atque abolitis, quaecunque in Florentinos quoque modo Pisani detrimenta eo bello intulissent, Pisae restituerentur, multis deinde additis capitibus, ad speciem Pisanae rei meliorem in statum atque formam redigendae, quam antea fuisset, re autem, quibus ad pristinam servitutis conditionem brevi civitas illa recideret.

Hac re confecta, coactus Petrus ad nova consilia confugere, in fidem se contulit hominis impurissimi Caesaris Borgiae, qui opibus Pontificis, & Gallorum auxiliis sustentatus aut interitum, aut servitutem Italiae Principibus & liberis civitatibus minitari videbatur. Irruperat tum ab expugnata Faventia in Bononiensem agrum, sed ne quid tentaret in Joannem Bentivolum, factum est minis Gallorum Regis. Itaque exercitum in Etruriam trajecit, specie quidem restituendi Petrum in patriam, re vera ut experiretur, num in illa turbulentissima tempestate Reipublicae aut ejus imperio potiri, aut pecuniam corripere potuisset. Novit demum Petrus versutiloquam Caesaris malitiam, verensque ne victoris & victi detrimentum ad se se omne redundaret, ab illo discessit. Et is quidem, rebus ad utilitatem suam compositis, copias ex Etruriae finibus deduxit, & ad oppugnandum Plumbinum profectus est. Petrus quartum jam ab conatu redeundi in patriam repulsus non propterea despondidit animum, & quaecunque ei spes ostentabatur, hanc cupidissime sequebatur. Conspirarunt cum Ursiniis Pandulphus Petruccius Senensis, Joannes Paullus Ballionius Perusinus,

& Vitellotius Vitellius Tifernas. Hi omnes patriae tyrannidem occupaverant, utque morem expellendi dominos ulciscerentur, seque magis magisque in dominatu confirmarent, consilia de restituendo Petro inire coeperunt. Hujus belli duce Vitellotio strenuo sane viro, & multis nominibus Florentinis infestissimo, qui se fraterni sanguinis ultorem fore palam dictitabat (Paullum enim Vitellium, Reipublicae copiarum, sicuti diximus, imperatorem, qui eis Pisani belli caussa in suspicionem nullo suo delicto venerat, interfecerant) fautore etiam Caesare Borgia, qui ex odiis, dissidiis, seditionibus privatis, publicisque calamitatibus fortunas suas augere se posse sperabat, multa prospere statim evenere, & Aretium, Cortona, aliaque vicina iis urbibus oppida in foederatorum potestatem ceciderunt. Quibus Florentiam nunciatis, tantus repente terror invasit, ut non pauci ex urbe, perinde ac si hostis ultionis percupidus intra moenia esset, aufugerint, omnesque, ut in re trepida, quid consilii capiendum esset ignorarent. Unus inventus est Petrus Soderinius, qui se ad Gallorum Regem, qui in Cisalpinam Galliam venerat, iturum declaravit petendi atque orandi caussa, ut reipublicae subveniret, cujus voluntate collaudata, nec segniter, nec timide patriae caussam egit. Eodem tempore hortatus est cives, ne animo deficerent, quaeque usui essent ad defendendam civitatem pararent. Viri sane eloquentis Rex permotus oratione, Praefectum cum ala equitum gravioris armaturae Florentiam misit, qui declaravit Regem ipsum hostium numero illos habiturum, qui quidpiam hostile in Florentinos committerent, & adempta iis oppida retinerent. Quod quidem iis salutare fuit, deductis ex captis urbibus praesidiis, adeo omnium animos Gallorum metus occupaverat. Accessit ad periculum Borgiae infedelitas, qui quo facilius infirmiores posset opprimere, Ludovici Regis voluntati se prorsus obtemperaturum declaravit. Aretini, qui Florentinorum servitutem pati minime poterant, multa sane in hoc bello animose gesserunt, ut pristinam libertatem recuperarent, speque retinendi studiosius fave-

runt Mediceorum & Vitellotii conatibus, & audacius Gallorum minis restiterunt. Sed ii quoque succumbere & cedere fortunae coacti fuerunt, quique cum suo periculo salutem reipublicae attulerant, omni crudelitate a Florentinis contra fidem datam Gallorum Regi lacerati fuerunt (16). Profecto si Vitellotius, recepta Cortona, Florentiam recta contendisset, neque tempus consumpsisset in expugnando Burgo S. Sepulcri proxima Tifernatibus urbe, quam pro praemio suscepti belli sibi destinaverat, in magna trepidatione populi Florentini, & temporum rerumque confusione, cetera prospere Petro cessissent. Sed fuit hoc ejus fatum, ut perpetuis jactatus fluctibus terram illam revisere haud potuerit, in qua tot erant majorum suorum immortalia monumenta. Interea, quod spei erat reliquae, tentandum Gallorum Regem existimavit quidnam propositi, aut voluntatis ad se restituendum haberet. Omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat, a quibus diductum & depravatum Soderinium narrat, novum in Republica introductum exemplum queritur, ut is perpetuus Vexillifer crearetur, exponit demum se tantis in angustiis rei familiaris esse, ut vel dotalia bona Alphonsinae conjugis oppignorari coactus fuerit. Pauca ejusdem generis addit cum excusatione sui, quod iis adhaeserit, a quibus perditas res suas restitui posse speraverat. Patuere Regis aures expostulationibus Petri, & quia ea tempestate ingens accensum erat bellum inter ipsum & Ferdinandum Hispaniae Regem caussa finium Neapolitani Regni, quod ademptum Aragoniis legitimis dominis inter se diviserant, commissum Petro fuit, ut defenderet Cassinatum montem, in quo est Benedictinorum illustre monasterium, cujus erat Antistes Joannes Cardinalis. In castra inde Gallorum venit, qui ad Lirim consederant. Erat magni periculi res, cum post discessum Francisci Gonzagae Mantuanorum Principis duces inter se invidia & aemulatione dissiderent, dimicandumque esset cum Consalvo & animi magnitudine, & rei militaris scientia viro praestanti, qui propius accesserat, omniaque

ad obtinendam victoriam sagacissime explorabat. Comprobavit hominis prudentissimi consilia fortuna. Facto enim ponte supra hostium castra, inopinantes adoritur, magnum numerum interficit, fugientes ad Molam usque consectatur. Inter haec Petrus cum multis nobilibus Gallis navigium conscendit, in quo erant tormenta aenea plura transvehendi caussa Cajetam, ne in potestatem hostium venirent. Sed illud in ostio fluminis vento saevo jactatum, ac nimio praegravatum pondere, misere submersum est. Talis fuit exitus vitae hominis, qui biennium, postquam ab interitu patris ad reipublicae Florentinae clavum summa cum potestate ac dignitate sederat, & decem atque amplius annorum errorem & exilium toleraverat, magnum sui spectaculum genere & exemplo quidem miserum ac funestum praebuit iis, qui non moderatione, prudentia ac sapientia, sed impetu plerumque & quadam temeritate fortunam se regere posse confidunt. Unicum is masculini sexus reliquit filium (17) Laurentii nomine, sepulcrumque habuit in Montis Cassini aede, in qua Clemens VII. illi monumentum per Franciscum a S. Gallo Guilelmi filium faciendum curavit.

Nemo vero nos reprehendet, quod in Petri vicissitudinibus narrandis longiores fuerimus: omnis enim illius fortuna conjuncta fortunae fuit Joannis Cardinalis, qui sane nihil non egit, ut fratri, quibus poterat rebus, subveniret. Ea propter Mediolani an. MCCCCXCV. fuit, ut in partes suas traheret illius civitatis Ducem, qui caussas se habere dicebat alienandi se a Gallis, quique hostilia Pisanorum gratia portendebat Florentinis, qua spe amissa (nihil enim illo mobilius & infidelius fieri poterat) novam fortunam Venetorum favore tentare constituit. Saepe etiam de communibus negotiis egit cum Bentivolis, Vitelliis, Ballionibus aliisque Italiae Regulis, nec quidquam praetermisit, quod ad conciliandam sibi suisque Gallorum gratiam conducere posse videbatur. Haec quidem accidere antequam is Italiam desereret. Caussa deserendae fuere induciae, quas Florentinos inter atque Vene-

tos factas fuisse diximus. Comites itineris habuit Julianum fratrem & Julium patruelem, ac duodecim equites, & e Venetiis in Vindeliciam primum transcendit. Nullum secum deferebat dignitatis insigne, utque omnia sibi paria essent; cum illo nobilium hominum comitatu, unus in dies sortito eligebatur, cujus imperio ceteri parerent. Cum Ulmam Svevorum urbem accessissent, temere de iis suspicatus est Senatus, quare in custodiam dandos censuit. Non indignanter injuriam tulit Joannes, seque ad Maximilianum Caesarem mitti postulavit. Qua re impetrata, cum jam Vindobonae appropinquaret, omnis se se effudit multitudo ad noscendum de facie hominem dignitate, casibus, & patris & proavi gloria clarum. Non satis vero dici potest quam humaniter non solum, sed etiam honorifice ab ipso Caesare acceptus fuerit, qui ei litteras dedit ad iter reliquum tuto conficiendum, ipsumque ad Belgas proficiscentem quam diligentissime commendavit Philippo filio, qui iis patris nomine imperabat. Mens illi erat, invisis jam Morinis ad Oceanum, in Britanniam trajicere, sed dissuadentibus itineris sociis, in Galliam deflexit. Dum Rotomagi ad ostia Sequanae commorabatur, eamdem, quam in Germania, expertus est fortunam. Datus enim, nequicquam se Cardinalem esse inclamans, in custodiam fuit, e qua non prius emissus est, quam Petrus frater, qui tum Mediolani Ludovico Sfortiae aderat, litteras ad id a Gallorum rege impetrasset. Qua accepta injuria, iter per Galliam maturavit, cumque Massiliam pervenisset, conscensa navi, cursum Romam direxit. Cum sane adversis ventis usus esset, tardeque & incommode navigasset, aegre Savonam appulit, ubi a Cardinali Roboreo magnificentissimo hospitio acceptus fuit. Dum recordabantur se a primis aetatis temporibus in republica esse versatos, & amplissimis dignitatibus decoratos fuisse, & quot in discrimina incidissent salutis fortunarumque communium (male enim oderat Alexander Pontifex Roboreos omnes) se se invicem hortabantur ad casus ferendos adversos, quoniam nulla spes explorata salutis

ostendebatur. Inde Genuam venit ad Magdalenam sororem, quam Francisco Cibo nuptam fuisse diximus, ex eaque audivit quae Helvetiorum, & Venetorum inquitate acciderant Ludovico Sfortiae, & Ascanio Cardinali illius fratri. Ille enim alter, dum Mediolanense imperium repetebat, traditus Gallis, alter dum fuga salutem quaerebat, interceptus fuit, debitas mox reipublicae, quam tot modis vexarunt, poenas persoluturi. Sane tanta miseriarum incendia minime excitata fuissent, nisi extitisset sceleratissima illa conspiratio Gallorum & Caesaris Borgiae, cui quodammodo caussam dederunt Sfortiani, cum per eos Carolus Rex in Italiam venerit, & Alexander Pontifex creatus fuerit: sed hujus mali non solum infamia, verum etiam moles in auctores ipsos redundavit.

Inter bellorum magnorum aut nondum finitorum, aut imminentium strepitus Jubilaei annus fuit, ex quo ansam quaesivit Alexander Pontifex corrogandae pecuniae ad augendam Caesaris filii potentiam. Illo ipso anno exeunte, Romam accessit Joannes, & ex Gregorio Cortesio, qui in illius familia postea fuit, scimus, quamvis errore aliquo odium in se Pontificis antea concitasset, effecisse tamen singulari prudentia, suavissimisque moribus, ut is non modo conceptum odium dissimulare vellet, sed etiam ad declinandam invidiam ipsius cuperet videri amicissimus. Nihilo tamen minus Joannes nunquam a consuetudine sua discessit, ut attente consideraret, quibus credere, & quos cavere debebat, utque ad novos casus temporum novorum consiliorum rationem accommodaret. Non poterat vero non vehementer angi intimis sensibus, cum quotidie obversarentur illi latrocinia Pontificis, impetus in ditiorum fortunas, suorum squallor, & obstinatior voluntas eorum, qui ad reipublicae Florentinae gubernacula sedebant. Contra quorum potentiam cum pugnarent multi, & civitas sollicita suspicione, suspensa metu, & perturbata seditionibus esset, non parum pristini in Mediceos odii illa deposuisse videbatur. Tentavit omnia Joannes, ut aut mitigaret, aut sibi reconciliaret ira-

torum animos, verum consilia, quae prima specie laeta, eventu semper tristia fuere, quique magis idonei esse videbantur ad afflictas Mediceorum res in pristinam dignitatem restituendas Ursiniorum principes, omnes perfidia Caesaris Borgiae e medio sublati fuere. Vitelloccius enim & Paullus apud Senogalliam familiari in colloquio necati fuere, Baptistam Cardinalem veneno sustulerat Pontifex, Rainaldus item Florentinorum Antistes, ipsius Joannis avunculus, in arce molis Hadriani ad non dubium vitae exitum servabatur. Demum Pontifex ipse, qui tot mortifera pocula dederat, eodem veneno, quod aliis paraverat, lagena pocillatoris errore commutata, maximo cum dolore XV. Kal. Septemb. an. MDIII. interiit, ejusdemque impetum quamvis devitaverit illius filius, turbo & tempestas pacis, criminum tamen vim subterfugere haud potuit. Nam a Magno Consalvo captus, dum ab Ostia Neapolim enavigabat, & in Hispaniam traductus, cum e custodia aufugisset, a Cantabris pugnans est interfectus.

Laetus Romanus populus morte Alexandri, haud secus quam Deus consulere & parcere generi humano voluisset, id unum vereri videbatur, ne machinationibus & potentia Caesaris Borgiae is crearetur Pontifex, qui praeterita crimina minime expiaret. Octo & triginta comitiis adfuerunt Cardinales, & ad novendialia aliquid prorogatum temporis fuit, non solum ut removeretur armorum metus, cum minime obscurum esset, quid moliretur Caesar Borgia ad suam firmandam potentiam, sed etiam ut adessent Cardinales Galli & Hispani, quo omnium consensu, si fieri potuisset, in magnis tempestatibus christianae reipublicae gubernacula is prehenderet, qui tanto muneri idoneus videretur. Quo plus operae laborisque consumpsit Rhoanus Cardinalis, ut ipse eligeretur, eo majores excitatae sunt contentiones; hae autem minime, ut fieri saepe solet, retardarunt, sed invitarunt suffragatorum animos ad creandum Pontificem Franciscum Piccolomineum Senensem, qui ad Pii II. patrui memoriam renovandam eodem nomine appellari vo-

fuit. Hujus honori mirum in modum favit Joannes ob perspectam jamdiu virtutem & fidem. Sed vix ejus imperii splendor orbi catholico luxit, cum extinctus est. Nam vigesimo sexto die, postquam Pontifex factus fuerat, XV. Kal. Novembres an. MDIII. aetate provectus, & morbis afflictus vitae cursum explevit. Dilata comitia usque eo fuerunt, dum Ursinii ex urbe, ubi delectus militum habebant, egrederentur. Verum cum omnium oculi in unum Julianum Roboreum, hominem florentem opibus, honoribus, ingenio, amicis & gratia conjecti essent, vix impetrari potuit, ut Cardinales conclavia ingrederentur, eodemque, quo ingressi sunt, die ipsum Pontificem renunciarunt. Erat ei maximis propinquitatis vinculis conjunctus (nam ex sorore natus erat) Galeottus Franciottus, bonitate suavitateque morum, praestantia ingenii, forma corporis, flore aetatis, & vitae splendore commendatissimus, quem statim in Cardinalium collegium cooptavit, Vice-cancellarium, ut vocant, quod munus omnium amplissimum putabatur & erat, declaravit, & ditissimis auxit sacerdotiis. Cum hoc arctissimam junxit amicitiam Joannes, perque eum faciles ad Pontificem, qui sane erat difficillima natura, aditus semper habuit, suamque auctoritatem & nomen amplificavit. Nec defuere, qui affirmarent Galeottum pollicitum illi fuisse operam suam ad Pontificatum maximum obtinendum, quod non diu victurum rebatur avunculum aetate decrepitum, quodque eum esse statum reipublicae catholicae putabat, ut indigeret rectore, in quo non solum virtutis, sed etiam aetatis robur esset. Sed una hora praestantem florentemque fortunam Galeotti eripuit; mortem enim uno & trigesimo anno obivit. Quae morienti officia persolvi potuerunt, abunde praestitit Joannes, fletu ejus funus, in quo Thomas Phaedrus Inghiramius laudationem habuit, decoravit, & infixus adeo haesit animo dolor (nulla enim unquam major fuit studiorum ac morum societas atque similitudo) ut temperare sibi a lacrymis minime posset, quoties animae dulcissimae mentionem faciebat. Cum hoc, biennio antequam mo-

reretur, se qui, optasset Pontificem in itinere, quod fecit recuperandi caussa Perusiam & Bononiam, quorum illa a Ballionibus, haec a Bentivolis tenebatur. Nam cum per multa Etruscorum oppida transeundum illi esset, sperabat posse se facile multorum allicere voluntates. Sed Julius, qui tum a Florentinis militum subsidia petebat, nil committendum putavit, quod illorum a se posset alienare studia, nec sibi solum consuluit, sed multis etiam, in quibus majores mei fuerunt (18), benigne fecit. Diligentissime quoque sibi videndum putavit Joannes, num ex optimi & potentissimi Regis Ferdinandi Catholici, qui iisdem temporibus in Italiam venit ad moderandas res Neapolitani Regni, quod in sua ditione potestateque erat, benevolentia praesidium sibi comparare potuisset ad omnem statum dignitatis suae, nec sane quidquam praetermisit, quod si minus in praesens tempus, at in posterum sibi fore emolumento praevidisset. Ita vero se gerebat cum Pontifice, qui nil nisi durum & ferum cogitabat atque loquebatur, ut illi potius blandiretur, quam contra diceret, occupationes ejus observans, tempusque aucupans, ne unquam molestus accederet. Secreto etiam consilia inibat cum junioribus Cardinalibus, & non secus ac si ex specula aliqua perspiceret tempestatem, quae patriae impendebat, nullum motum, nullam conversionem rerum fore intelligebat, quin facile sui suorumque fortunae prospicere potuisset. Qua in re mirificam adjutricem etiam habuit Lucretiam sororem nuptam Jacobo Salviato, cujus viri auctoritate multi Florentiae movebantur, quique religionis caussa non sic favit Savonarolae, ut vetus suum studium erga Mediceos deposuerit. Erant & alii plures e patriciorum numero, qui ita sequebantur Mediceorum caussam, ut in hujus victoria salutem suam & Reipublicae positam esse arbitrarentur; sed ille perpetuus Vexillifer Soderinius, quamvis cogeretur multas devorare molestias, non ulli tamen periculo submisit animum suum, firmumque populum ad tuendam libertatem effecit.

In his rerum difficultatibus illud videbat Joannes, ne timendo magis timere cogeretur, nullaque pecuniae habita ratione, omni diligentia non elegantiam modo & munditiam, sed etiam magnificentiam & affluentiam affectabat. Nullus erat nobilitate, honoribus & ingenio insignis homo, qui in illius domum (erat haec prope Agonale forum) non conveniret, quemque in amicitiam suam libentissime non reciperet; quotquot erant illustres artifices, pictores, sculptores, architecti, musici ejus testimonia & judicia exquirebant. Serviebat commodis utilitatique litteratorum, cum pateret omnibus ejus bibliotheca Graecis (19) & Latinis libris copiosissima, quam magna ex parte & a Laurentio patre habuerat, & a Coenobitis Marcianis Florentinis numis aureis MMDCLXJJ. emerat; benigne salutabat, comiterque appellabat unumquemque; nec ullum erat disciplinarum genus, quanquam humanioribus litteris delectari maxime videretur, quod patrocinio suo non foveret. Hoc quoque proprium erat illius, ut propositis maximis de rebus quaestionibus, plures ad disputandum alliceret, & rivalitatem quamdam inter eos excitaret, cum minime ignoraret contentione certantium, ac veluti licitatione quadam augeri rerum pretia atque aestimationes, certoque indicio jacere eas res, & penitus abjectas esse, in queis nulla inter se contra licentium studia confligantur. Ceteros inter audiebat saepe disputantes Marium Maffejum, & Thomam Phaedrum Inghiramium Volaterranos ambos, in quibus erat generis nobilitas, summum ingenium, summa eruditio, salis & facetiarum ubertas par, summa etiam eloquentia, ut, quemadmodum de Carneade memoriae traditum est, in utramque partem ita copiose atque ample dissererent, ut facile non posset, iis dicentibus, discerni, quid verum esset, quid falsum. Infinitum esset numerare omnes, qui cum plurimis in artibus disciplinisque excellerent, ad Joannem tanquam ad praesens & beneficentissimum numen accedebant. Testis est Alcyonius multos etiam litteratura Graeca insignes viros illum domi

habuisse, ut quotidianis exercitationibus aleret ingenium; vixisse cum illo conjunctissime & jucundissime summos philosophos, & juris civilis & pontificii consultissimos viros, quibus utebatur ad collegii caussas, & ad judicandum de iis rebus, in quibus summi Antistitis prudentia versari debet; quosdam etiam antiquitatis peritos adeo, ut, si quando opus esset, vel ab inferis locupletissimos testes excitare potuissent. Addit etiam non laudem modo ingenii, sed & admirationem consecutum illum fuisse, cum poetica, quamvis id lente & fastidiose faceret, tractabat; & sunt sane elegantissimi Jambici illi versus, quos lusisse ait in Lucretiae statuam forte repertam in ruinis Transtyberinis. Sunt autem hujusmodi.

Libenter occumbo, mea in praecordia
Addactum habens ferrum: juvat mea manu
Id praestitisse, quod viraginum prius
Nulla ob pudicitiam peregit promptius;
Juvat cruorem contueri proprium,
Illumque verbis execrari asperrimis.
Sanguen mi acerbius veneno colchico,
Ex quo canis Stygius, vel Hydra praeferox
Artus meos compegit in poenam asperam;
Lues flue, ac vetus reverte in toxicum,
Tabes amara exi, mihi invisa & gravis,
Quod feceris corpus nitidum & amabile.
Nec interim suas monet Lucretia
Civeis, pudore & castitate semper ut
Sint praeditae, fidemque servent integram
Suis maritis, cum sit haec Mauortii
Laus magna populi, ut castitate foeminae
Laetentur, & viris mage ista gloria
Placere studeant, quam nitore & gratia;
Quin id probasse caede vel mea gravi
Lubet, statim animum purum oportere extrahi
Ab inquinati corporis custodia.

Neque his solum nominibus ipse commendabatur, sed etiam magnificentia epularum & venationum, donorum largitate & copia, & delectu familiae, in qua erant homines litteratissimi, anagnostae optimi, plurimi librarii, & artifices, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est, ut non minus animo, quam ventre convivae delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Omnino talis, qualem se ipse optabat, videri volebat, idque fieri vitae dignitate & splendore, liberalitate, ceterisque modis, quibus captantur hominum animi, intelligebat. Minime recedebat a magnificentia, vel quando deerat pecunia ad tantos sumptus faciendos, cum nunquam ei praesto non fuerit fortuna, ut interdum virgula divina illa suppeditari videretur. Haec erant populo gratissima, Urbi gloriosa, liberalibus artibus utilia, haec fama celebrabantur, & litterarum monumentis consignabantur, haec etiam faciebant, ut apud Pontificem nemo esset illo vel gratia jucundior, vel auctoritate gravior, vel sapientia admirabilior, vel honore clarior. Summopere quoque studebat, ut Florentinos, qui Romam adventabant, omnes beneficiis, ac liberalitate sibi obstringeret, & si qui fuissent Mediceorum partibus minus addicti, malitiosis blanditiis officiorum ipsos flectebat, quae acciderunt ita excusans, ut omnem culpam in Petrum fratrem saepe transferret. Non ei sane vitio vertendum est, quod videretur laborare non solum pro viris bonis, sed etiam pro iis, qui illi boni & utiles essent, quae res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio charitatem. Ea enim conditio videbatur impendere temporum, ut, multorum collecta benevolentia, facile potuisset fortunae velificari suae. Magnum quidem parasse suis subsidium putavit, cum Claricem Petri ipsius filiam, quae Romae una cum Alphonsina matre apud se habitabat, nuptui dedisset Philippo Strozzio homini primario, quem ortum familia Mediceis infensissima sperabat veteres simultates depositurum. Tentari is quidem, ut multa adversus pa-

triae libertatem faceret, sed nunquam vinci potuit, quanquam omnia officia propinquitatis & amicitiae Joanni praestiterit; cumque eum fortuna ad Cosmi I. usque tempora reservasset, Catoni similis, postquam multa fortiter gesserat ad illum principatu removendum, maluit animam (mortem enim sibi conscivit) quam odium tyrannidis deponere. Ceterum cum Soderinius excubaret vigilaretque, ut ii magistratus crearentur, quorum fides tuta esset a Mediceorum fraude, utque eorum nomen in commune odium vocaretur, gravissimas harum nuptiarum caussa exhibere molestias Strozio potuit, & metu territare eos, quos non bono in se & in rempublicam esse animo suspicabatur. Nihilo tamen minus haud diffidebat Joannes fore tempora suis cupiditatibus propitia, & in eo sane illi favit fortuna, ut praeter omnium expectationem a Pontifice Perusiae, ac paucos post dies, mortuo Petro Isuallio Cardinali, Bononiae, & belli, quod adversus Gallos susceperat, Legatus declararetur. Foedus enim percusserat cum Neapolis, Hispaniarumque Rege, & Venetis, cui postea accessit Henricus Britanniae Rex, quod se fecisse dixit ad sananda vulnera per Gallos universae inusta Italiae. Dolebat vero maxime florentissimam Mediolanensium ditionem, exactis Sfortianis, eorum imperio subjectam esse, Ligures suos ferme in servitutem redactos, & Venetos, multis urbibus amissis, in maximum periculum, & extremum pene discrimen venisse. Itaque, quasi ipse patronus & tutor oppressae ab Gallorum armis Italiae constitutus fuisset, Venetos ipsos, quos diris antea devoverat, omnibusque modis vexaverat, concitatis in eos potentissimis hostibus, in gratiam restituit, & alia multa molitus est ad comparandum bellum, quo nullum atrocius post exactos Gothos in Italia fuisse constat. Ipse autem magnopere in Alphonsum Atestinum, quem maximis beneficiis & vexillo Romanae Ecclesiae antea ornaverat, incensus, quod ab Gallorum societate removere haud potuerat, hunc maledictis omnibus & copiis vexandum putavit. Neque minus iratus erat Soderinio, quia contemptis Pon-

tificiis minis, concilio sedem praebuerat, quod Gallorum opera Pisis convocatum est, specie quidem consulendi rebus catholicae religionis, re vera ut Pontifici ipsi negotium facesserent, cujus odii caussa Joannem Bononiae Legatum dixit. Qua legatione suscepta, magnam ipse in spem venit fore, ut sibi majorum suorum beneficia, jura, diique penates redderentur. Pluribus Guicciardinius refert, quae dixit Soderinius in concione, ut probaret Florentinis suis odium Pontificis in eos, ut in invidiam ejus Legatum vocaret, utque eos adhortaretur ad corrogandam pecuniam ex Ecclesiae bonis, quae bello conflando esset necessaria.

Interea Joannes fiduciae plenus cum instructissimo exercitu, ineunte hyeme an. MDXII., ad oppugnandam Bononiam, ubi superbe & crudeliter imperabant quatuor Joannis Bentivoli filii, profectus est. Ferdinandus Rex copiarum suarum imperium dederat Raymundo Cordonio Neapolis Proregi, sed quod hic civili magis, quam militari gloria florebat, principes consilii & omnium rerum, quae propriae essent belli, administros habebat Fabritium Columnam & Petrum Navarrum, quibus propter virtutem confidebat maxime. In ipso itinere, quod per Picenum, Umbriam, togatamque Galliam fecerunt, Navarrus in Ferrariensium fines divertit, & Bastiam firmissimum propugnaculum oppugnavit. Inde exercitus ad Bononiae moenia accessit, occupatisque editis locis, in ipsa moenia impetum fecit. Plures e primariis Bononiensium familiis ad Joannem confugerant, qui tametsi intelligeret minime mitem fore Pontificem in ulciscendis injuriis, quas acceperat, quod civitas ab ejus imperio defecerat, quod arcem ab eo conditam everterat, quodque aeneam ejus statuam confregerat, magnam se tamen habere spem ostendit, ut praeteritarum rerum oblivisceretur, veniamque erratis deceptae multitudinis concederet. Quassabatur interim majoribus tormentis murus ab ea parte, qua Florentiam itur, & agebantur cuniculi, cujus rei longe peritissimus erat Navarrus, prope Sacellum Mariae Virgini dicatum, quod Baracani dicitur. Non mi-

nori

nori conatu ac diligentia res intus ad defensionem parabantur, cum jam esset in urbe magna Gallorum & Germanorum manus, & essent quoque fortissimi duces Alegria, Fajeta, Vicontius, cui a terribili audacia magno diabolo cognomen fuit, Spinacius & Agamenon, qui duo animo & virtute eminebant inter Bentivolorum clientes. Neque mediocriter hi confidebant in populi Bononiensis ferocitate, quanquam haec natura magis & consuetudine & odio in Pontificem, quam usu belli se se proderet. Expectabant etiam militum auxilia a Gastone Fojo, qui & virtutis & generis summam nobilitatem habebat, quemque adventare fama nunciabat. Hoc ipso fiebant alacriores, quod nullum ab obsidentibus acceperant detrimentum, quodque eos in consiliis capiendis frustra tempus consumere videbant. Hoc quidem sensit Joannes posse exercitum urbe potiri, si sine mora impetum in illam fecisset, & postquam rationes eas attulisset, quae movere debebant ductores, his verbis orationem suam conclusit: *si exploratum est, quid cunctamini, sin periculosum, quid conamini?* Non committendum quoque putabat, ut differendo in se concitaretur ira Pontificis, occasionemque amitteret res in patria novandi. At fidelitatem Hispanorum ducum desiderare debuit, qui ei exprobrarunt inscitiam rerum militarium, ac palam dixerunt, debere se praescribere, quid fieri oporteret, neque ab inexperto doceri, eamque esse Bononiensium conditionem, ut famè, incendio, ruinis facile expugnari potuissent. Incensi cuniculi fuerunt eo in loco, in quo erat B. V. M. Sacellum, quod quidem pulveris tormentarii vi fundamentis penitus convulsum fuit, sed ita concidit, ut nullo labefactatum motu videretur, quod non sine Deiparae praesenti auxilio fieri potuisse omnes judicarunt. Itaque milites ab ea parte irrumpere in urbem parati, cum per hiatus effracti & patentis muri, quae intus peragebantur late jam conspexissent, tanto miraculo non solum aditu prohibiti fuerunt, sed etiam animis conciderunt. Fojus interea magnis itineribus, magnoque exercitu Bononiam contendit, eratque jam intra urbis moe-

nia, cum de ejus adventu nihil suspicati essent hostes. Hac re a Graeco, qui inde venerat, audita, magnopere commoti sunt, quod jam nihil prospere ab ipsis tentari agive posse videretur. Itaque, collectis vasis, castra Forum Cornelium versus moverunt, ibique consederunt.

Laetus atque alacer Fojus ob liberatam obsidione Bononiam, relicta ibi parte copiarum suarum, ad recuperandam Brixiam, aliaque vicina loca, quae in potestatem Venetorum venerant, incredibili celeritate profectus est; neque hoc solum summa felicitate effecit, sed & Joannem Paullum Ballionum, & Venetorum copias, quae ab illo ducebantur, fudit, & alia multa fortiter animoseque gessit. Quas ob res tantam bellicae laudis opinionem consecutus est, ut nemo ei par poneretur. Interim a compluribus civitatibus ad eum legati veniunt, quibus pacem & amicitiam petentibus liberaliter respondit, atque auxilium suum pollicetur. At in ea re maxime intentus erat animus illius, ut ad Pontificios atque Hispanos rediret, eosque ad pugnam vocaret. Ubi hi de ejus adventu certiores facti sunt, haud committendum duxerunt, ut uno praelio totius belli fortuna tentaretur, maxime quia in spe erant fore, ut Galli ab Italia evocarentur, ob pericula, quae illis a Britannis & Hispanis intendebantur. Itaque sic iter faciebant, ut inter novissimum hostium agmen, & suorum primum aliquot millia passuum interessent, utque vicina haberent loca aut natura, aut arte munita, ne praelio ab hostibus sine maximo illorum periculo lacesserentur. Contra ea Fojus, seu quod timore perterritos Hispanos discedere a se existimaret, sive quod re frumentaria se intercludi posse vereretur, sive quod jussa a Rege haberet, ne differret fortunam experiri, concurrere ad arma vehementer optabat, iterque Ravennam direxit, haud dubitans minime passuros adversarios, ut urbe nobilissima potiretur. Erat in ea Marcus Antonius Columna Julii nomine cum militibus mille quingentis, equitibus trecentis, seque forti ac praestanti animo defendebat, & cladem ho-

stibus ex muro inferebat. Erat & delecta Ravennatium juventus, quae pro defensione patriae audacter & fortiter pugnabat. Auxilio interea obsessis venerunt foederati, qui simul ac castra posuerunt ad Bedesim amnem eo in loco, qui Molenaccius dicitur, quique ab urbe millia circiter tria passuum abest, Fojus protrahendae oppugnationis consilium abjecit, seque ad pugnam celeriter comparavit. Itaque, ponte noctu effecto, mane diei, qui erat Christi Domini Resurrectioni sacer, & dies tertius ante idus apriles, prope hostium castra exercitum duxit. Erat occasio bene gerendae rei, cum in loco aequo atque aperto confligendum esset, idque ex omnibus partibus ab eo flagitabatur. Concurrebant legati, centuriones, tribunique militum, ne dubitaret praelium committere, omnium esse militum paratissimos animos. Opportune quoque venerat ad eum Alphonsus Ferrariae dominus cum ornatissima ala, & magno tormentorum apparatu, quod se debere Gallis optime de se meritis putavit. Huic & Senescalco Normanniae cura primae aciei, cujus virtus praesertim enituit, fuit demandata, secundae & tertiae praefuere illustres alii duces, atque ante alios Alegria atque Palicia dignitate, honoribus, rebusque gestis praestantes. Erat & inter eos Sanseverinus Cardinalis, quem ad exercitum Patres, qui Pisas Concilii caussa convenerant, miserunt, isque fulgentissimis tectus armis, quae magis magisque splendescebant in procero corpore, & membrorum conformatione conspicuo, omnia ducis officia obibat. Fojus autem nullum sibi locum delegit, ut omnibus adesset, bene animatos confirmaret, inclinantibus succurreret. Nam quocumque se intulisset, victoriam haud dubiam secum trahere putabatur. Quod Pontificii & Hispani altissimis fossis, aliisque operibus circumvallaverant castra, de Navarri sententia minime obviam hosti ivere, seque intra munitiones continuerunt, ad quas cum accessissent Galli, ita disposito exercitu, ut dimidiatae lunae specimen referret, ad duas ferme horas immoti constitere. Morae tandem impatiens Ferrariae Dux suas cohortes in extremo cornu

sic collocavit, ut tormentis latera hostilium copiarum maximeque equitatum laederent. Nihilo tamen minus Navarrus in proposito permansit non egrediendi e castris, falsa spe ductus, uno incolumi peditatu Hispanorum, se victoria potiturum. Magnis jam acceptis cladibus, Fabritius Columna non minus in Navarrum, quam in hostes irae plenus, ne inglorius caderet, aut ne turpiter pugnam recusare videretur, cum globo reliquorum equitum in confertos hostes impetum fecit. Secuti sunt eum alii quoque duces, maxime indignantes sine sanguine hostium tantum equitatum consumi, sed singulari horum virtuti ita occurrerunt Galli, ut in eorum potestatem venerit Columna ipse, reliquique aut capti, aut occisi fuerint. Tum Navarrus coactus cum suis peditibus e castris prodire, diu atque acerrime ancipiti praelio pugnavit. Tandem Hispani, cum ab equitatu minime sustinerentur, pedem referre, servatis tamen ordinibus, coeperunt, quo in receptu Navarrus ipse captus est. Instabat audaciter Fojus, haud parcendum fugitivis inclamans, & dum in appellandis, cohortandisque militibus imperatoris, & in pugna militis officia praestabat, repente ab hostibus circumcluditur, equo dejicitur, jugulaturque, nequicquam se Hispaniarum Reginae fratrem esse efferens. Tanti juvenis mors, qui, fortuna & virtute duce, brevi trium mensium spatio tot egerat de inimicis triumphos, cujusque nomen tota jam celebrabatur Europa, diem lugubrem magis, quam laetum fecit. Stratus & prope eum fuit, amplius viginti vulneribus acceptis, ejus patruelis frater Lotrechius, qui Ferrariam ductus medicorum arte mortis periculum vitavit, quique postea Gallorum exercitui summo cum imperio praefuit. Hoc in praelio, quod ad sex horas duravit, militum & equitum millia supra decem & octo cecidisse dicuntur, pari fere utrorumque numero, fortuna licet dispari. Flos quoque militum & ducum fere omnis interiit, ut nullum post hominum memoriam memorabilius praelium extitisse videretur (20).

Interea Joannes Cardinalis, qui turpissimum duxerat fuga salutem quaerere, postquam & exhortando milites, & morientium animas Deo commendando omnia Legati Pontificii munera praestiterat, incidit in binos Gallos equites, a quibus propter purpureum sagulum statim agnitus est. Elati laetitia, quod fortuna tam nobilem praedam sibi objecisset, minime injuriis abstinuere, quas dum jaciebant, alter ab iis, qui ipsius lateri adhaerebant, interfectus est, alter adversis vulneribus ex equo cecidit. At cum supervenissent Epirotae equites, aegre eorum vim effugere potuit studio Friderici Gonzagae Bozzoli, a quo ductus est ad Sanseverinum Cardinalem. Ab hoc non modo pro veteri amicitia honestissime tractatus est, sed etiam facile impetravit, ut ad se tuto veniret Julius Mediceus, qui ex praelio cum Antonio Leva Caesenam aufugerat, ipsumque Romam, citatis equis, mitteret ad docendum Pontificem de suo statu, deque omnibus, quae acciderant, rebus. Plena erant omnia Romae timoris & luctus, cum pejora etiam nunciasset Octavius Fregosius. Quare magna pars Purpuratorum, perinde ac si ad moenia urbis hostis adventaret, rogare & obsecrare Pontificem, ne amplius belli fortunam tentare vellet, & aut pacem peteret, aut, conscensa triremi, fugam arriperet. Sed quia nullum unquam infortunium, nulliusque injuria inflectere magnitudinem animi illius potuit, haud desperandum de sui & de Italiae salute putavit, omnemque curam & diligentiam adhibuit, ut dispersae copiae cogerentur, omnique belli instrumento exornarentur, novae conscriberentur, & sex atque amplius millia Helvetiorum sua stipendia mererent. Augebant spiritus quae Julius Mediceus dixerat in Senatu, plurimum infirmatas fuisse Gallorum vires, amissis strenuissimis ducibus, fortissimis militibus, & magna equorum copia, ipsum, qui supererat, exercitum diversa in loca dispersum esse, plurimum inter se dissentire, qui imperia administrabant, nec satis scire quid eorum Rex cuperet, & quo spectaret, demum aut de honoribus suis, aut de praemiis pecuniae ne-

gis, quam de persequendis inimicis agere. Ii quidem minime dubii fuerunt quemadmodum victoria uterentur. Nam cum ad Ravennae moenia castra reduxissent, ea conditione urbem in deditionem receperunt, ut Columnae suis cum copiis exeundi potestas esset, neque oppidanis noceretur, qua in re fidem fregerunt: foede enim & crudeliter omnia diripuerunt, templa spoliarunt, atque inermes trucidarunt, feminas pariter atque viros; usque ad infantium caedem illorum immanitas pervenit: arcem autem capere haud potuerunt, iis, qui in ea erant, usque ad internecionem dem Pontifici velle se praestare dictitantibus.

Ipse Pontificius Legatus, Navarrus, aliique nobiles captivi traditi militibus fuerant Mediolanum deducendi. Quia magnam famam magnumque nomen afferebat secum Joannes, tum Bononiae a Bentivolis fratribus, tum Mutinae ab earum sorore Blanca Rangonia non solum voluntatis significationes singulares, sed etiam dona satis ampla habuit, quibus iniquitatem fortunae suae sublevaret. Nec sine foenore haec primaria & prudentissima femina beneficia sua collocavit. Nam Joannes summo auctus Pontificatu liberos ejus & purpurae honore, & praetorii praefectura, & aliis militaribus muneribus decoravit. Non facile quidem reperisses, qui illum aequasset tum in remunerandis beneficiis, tum in ferendis atque condonandis injuriis, cujus magniminitatis exercendae adversi casus saepe eidem occasionem praebuerunt. Mediolani exceptus in ipsis Sanseverini Cardinalis aedibus ita in se amicos expertus est Vicecomites, Pallavicinios, Trivultios, aliasque patricias familias, ut nihil praeter libertatem deesse illi videretur. Traductum in illam urbem fuerat Concilium, quod Gallorum in Pontificem odio Pisis convocatum fuisse diximus, coeperatque jam esse in contemptu, quando Julius Mediceus ad Joannem venit cum Pontificis litteris, quibus illi potestatem dabat restituendi in Ecclesiae Romanae gratiam milites illos, qui adversus eam arma tulerant, quique jurassent se amplius non laturos, expiandique vel illos, qui

hoc foedati crimine in praelio occubuissent. In haec tanto animo consensum est, nequicquam minas jactantibus Concilii Patribus, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse, utque scribae Legati referundo minime sufficerent, quod non sine illorum emolumento fuisse testatur Jovius. Mens fuerat Pontifici ipsi terrere minacibus litteris Gallorum Regem, eique diras obnunciare, nisi Legatum suum in libertatem vindicasset; sed quia multi erant e Purpuratis Patribus, qui inclinantes ad pacem, flectendum potius, quam irritandum Regis animum putabant, eorum consilio ac precibus ab hujusmodi obnunciatione abstinuit, egitque gratias Legato, quod quo poterat modo hominum studia ad utilitates suas alliceret atque excitaret, fortiterque resisteret acribus Concilii objurgationibus. Ipse interea rite Concilium indixit, quod Romae ad diem tertium nonarum Maii celebrari coeptum est in templo Lateranensi magna Patrum frequentia, precesque summa cum caerimonia Deo optimo maximo, ut vota hominum rite nuncuparentur, factae. Per illos dies Julius Vitellius Tifernatium Episcopus, qui, conditionibus acceptis, Ravennae arcem Gallis tradiderat, eo cum copiis ad expugnandam illam rediens, traditis conditionibus, recepit. Oppidani cladis suae contra jus fasque acceptae memores, quatuor Gallorum praefectos, in arce qui fuerant, fide non servata, vivos sepelierunt, cervicibus supra terram extantibus.

Interea Gallorum Rex, cum plurimum a Maximiliano Caesare, qui foedus cum Venetis, & Pontifice inierat, & ab Helvetiis, qui ad Italiam adventare dicebantur, timeret, milites, quos in praesidiis Mediolani collocaverat, revocare coepit. Multa alia adversa Gallis acciderunt, ob quae eorum vires in Italia plurimum imminutae fuerunt, resque adeo bene gesserunt Helvetii, ut Pontifex in Cardinalium Collegio *Romanae Reipublicae defensores* appellaverit, atque uti eo nomine omnibus ab hominibus appellarentur censuit. Joannes vero, qui crebro mutandis locis multorum fidei se committere coactus fuerat, de salute sua des-

perare coepit, cum de captivo illo in Galliam deducendo deliberatum fuisset. Ventum erat ad Carium vicum in Ticinensi agro non longe a Pado ad eam ripam, quae ex adverso pertinet ad Bassinianam, quam veteres Augustam Bactienorum dixere. Quod Galli maximis in tumultibus totius Cisalpinae Galliae, maximaque in trepidatione, fugitivorum more, iter faciebant, secumque habebant Patres Concilii, quod Mediolano in Galliam traducendum duxerant, multa raptim & turbulente agebant. Erat & flumen difficili transitu, nec paucis horis a tanta multitudine transiri poterat. Quare facile fuit Joanni, levi simulata aegritudine, ab iis, quibus in custodiam traditus fuerat, impetrare, ut ad se recreandum ea nocte in Carii paroecia requiesceret. Tum cum eo, qui illi praeerat (Abbatem dicebant) egit, num inveniri potuisset homo, cui tuto salutem suam committeret. Adiit ille militem quemdam veteranum (huic nomen Raynaldus Zactius) qui magnas in agris paternis agrestium hominum habebat clientelas, eumque rogat magnis cum precibus, ut Cardinalis infelicissime fortunae telis jactati, nobilissimoque patre nati misereatur. Ad commiserationis sensum, qui singularis in eo erat, adjungebatur magnum odium Gallorum, quo libentius id faceret, de quo rogabatur. Ad rem tamen patrandam egere se dixit auxilio cujusdam Ussimbardi, nec dubitare se, quin juvenem potentem, magnique animi, & gloriae percupidum in partes suas traheret, contrariae licet esset factionis. Suadendo, monendo, pollicendoque ejus animum movit, misitque ad Abbatem puerum, quod confectae rei (sic enim inter eos convenerat) signum esse debebat. Sciscitanti puero Abbatem obviam fit alius Abbas natione Gallus, cui in custodiam datus fuerat Joannes, eique omnia parata esse nunciavit. Quanquam is minime divinaverit, quid hoc sibi vellet, aliquid tamen fraudis inesse suspicatus est, cum vultus pueri cum oratione minime consentiret, statim ac ipse errorem suum agnovit, quare profectionem maturavit. Jam totum agmen ad flumen pervenerat, & mula, qua Cardinalis vehe-

ba-

batur, pedibus prope navigii proram attigerat, cum a tergo magnus exauditus est clamor. Ipse, quod erat, suspicatus, mulam statim convertit, adventantis Raynaldi veluti praesentis numinis auxilium imploravit, ab eoque, fugatis Gallis, libertatem accepit. Neque multo post, sumpto pro purpura militari sago, trajectoque noctu Pado, ad Ligurum oppidum ab illa amica manu deductus est. Ibi quoque adversa fortuna novum illi creavit periculum. Nam qui eo in loco dominabatur, metu Gallorum retinendum in custodia duxit Legatum, dum ab iis intelligeret quid sibi faciendum esset. Sed cum per illos dies, ob ea, quae ad Mincium acciderant, ii effusa fuga Galliam repeterent, de Legato non admodum laborarunt, quare is e vinculis emissus deviis itineribus Placentiam pervenit. Tuto ibi esse potuit, quod Placentini Gallorum timore liberati Pontifici se se dederant. Inde Mantuam profectus est, factumque benignitate & liberalitate Francisci Marchionis, ut tum primum respirare a metu caedis, emergere a fluctibus captivitatis, ac reviviscere sibi videretur.

Post id tempus Pontifici ejusque Legato prospera omnia ceciderunt. Metu enim Gallorum Italia liberata, quorum praesidio Bentivoli imperium in Bononienses suos retinere potuerunt, non hi modo de gradu dejecti fuere, sed reddita quoque jura sua fuerunt Maximiliano Sfortiae Mediolanensium Duci, neque tanti erant animi, tantarumque virium Florentini, qui, dijudicata jam Gallorum fortuna, se solos foederatorum vim sustinere posse putarent. Statim ac cognovit Joannes Cardinalis metu impendentium malorum, & voce prudentiorum civium, qui iram Pontificis a civitate avertere studebant, Bentivolos cum omnibus impedimentis & clientibus suis domo excessisse, Bononiam accessit, rem publicam pro Legati munere administraturus. Dies colloquio dictus est, in quo ipse exposuit principibus civitatis quid sperare, quidque timere a Pontifice deberent, ii vero in petenda pace praeteritarum rerum culpam in multitudinem contulerunt, & propter imprudentiam, ut

ignosceretur ; petiverunt. Nullum profecto humanitatis genus praetermisit Joannes, quo omnium voluntates sibi conciliaret, utque justissimum & lenissimum fore imperium suum omnibus probaret; vel eos in fidem suam recepit, a quibus, dum captivus per illam urbem iter faciebat, injuriis lacessitus fuerat. Plures quoque, qui in exilium iverant, revocavit, ac bene meritis praemia tribuit: cognoscendi enim maximam facultatem habebat quali quisque animo in rempublicam atque in Pontificem fuisset, ac nihil magis volebat quam urbem nobilissimam tot factionibus, totque bellis defessam conditione parendi meliore facile in pace & in officio continere.

Ut erat Pontifex augendi imperii cupidissimus, pro felicitate sua, quod sine ulla militum jactura Bononia potitus esset, consilia agitare coepit de Ferraria quoque occupanda. Ejus Dux Alphonsus Romam venerat petens a Pontifice, ut sibi, cui aqua & igni interdictum ab eo fuerat, propterea quod in bello contra ipsum cum Gallis fuisset, ignosceret. Redditus quidem Romanae Ecclesiae gratiae fuit, atque ad pedis osculum admissus. Sed cum intellexisset Julium post haec de se capiendo cogitare, Fabritii Columnae opera, quem comitem itineris habuit, aufugiens in illius se oppidum contulit, deinde in Apuliam contendens, quod itinera terrestria intercludi sibi ab Julio facile posse sciebat, mare Adriaticum ad Illyricum trajecit, ut, eo inde iterum trajecto, per Padi fluminis ostia domum reverteretur. Joannes nec liberavit hujus fraudis culpa Pontificem, nec ejus particeps fuit; moneri eum tantummodo jussit, ut etiam atque etiam curaret, ut sanctum haberet foedus, per quod confidebat se suosque in patriam restitutos iri. Ad id odio magis in Florentinos & in Petrum Soderinium Vexilliferum, qui nunquam non faverant Gallorum potentiae & machinationibus, quam studio in Mediceos stimulabatur. Sperabat etiam, mutato Reipublicae statu, se facile dominari posse in malis oppressa civitate, aut saltem providere, ne quod callidius ipsa

adversus se iniret consilium. Conventus interea Mantuae indictus est ad res Italiae moderandas. Venerunt ad eum Duces, Principumque Legati, primasque tenebat Matthaeus Langus Episcopus Curcensis magnae apud Maximilianum Caesarem auctoritatis vir, quem idcirco in Italiam miserat, ut in maxima turbatione rerum non ad gerendum modo bellum, sed etiam ad finiendum se paratum esse ostenderet. Eo & Joannes Julianum fratrem misit, qui in concione multa de perpetua Mediceorum erga Pontificem Romanum fide verba fecit, docuitque plures esse Florentiae, qui eos in sedem antiquam restituere magnopere cupiebant, specie liberam esse civitatem, re vera omnia ad unius Vexilliferi nutum fieri, imparatam esse cum a militibus, tum a pecunia, nulloque negogotio posse ipsam a communium hostium societate averti. In quae consilium dedit, in eadem nec infidelem, nec segnem operam pollicitus est. Pronis haec auribus accepta fuerunt, nec parum profuere Bernardi Dovitii hominis in Mediceorum domo alti educatique, quem Pontifex ad conventum miserat, artes ad excitanda in Mediceos ipsos tum Caesaris, tum Hispaniae Regis Legatorum studia. Deliberatum itaque fuit de mittendis in Etruriam Hispanis copiis una cum Joanne & Juliano Mediceis, cumque Florentini nihil de iis, quae acta fuerant in conventu, audivissent, prius quam quidquam conarentur ad impetum hostium sustinendum, hos adventare intellexerunt. Speraverat Julianus, qui aliquot annos fuerat in Ducis Urbinatium aula, & in qua invenerat oblectamenta (21) & solatia exilii, se ab eo obtenturum bellica tormenta, quae prorsus deerant Hispanorum exercitui, & militum auxilia, sed ab hac spe dejectus Bononia secum detulit bina tormenta, reliquaque ad oppugnationem necessaria. Venerunt quoque ad eum Franciottus Ursinius & Vitellius Camilli Filius strenui sane duces, qui Pontificis stipendia merebant, sed sine cohortibus, maximo tamen cum animo serviendi Pontificis ipsius irae, cui summo odio erat Vexilliferi nomen, quod Gallis subsidia pecuniae & militum, & locum ad

habendum adversus se Sacerdotum concilium concesserat. Ut in Etruscorum fines pervenerunt Hispani, legatum ad Raymundum Cordonium Proregem miserunt Florentini, qui doceret se nunquam in eos inimico animo fuisse, quae praeterito bello gesserant libertatis retinendae caussa; & necessitate se fecisse; si ignovisset, & milites reduxisset, omnia a se expectare debere, neque recusaturos, quominus perpetuo in potentissimi Regis fide manerent. Ad ea respondit Prorex omnium foederatorum consensu bellum illud susceptum esse, ut universae Italiae incolumitati prospiceretur, quae salva esse non poterat, rem publicam administrante homine, qui Gallis sic favebat, perinde ac si sub illorum ditione atque imperio esset, quique plebi adeo acceptus erat, ut per eam liberae civitatis dominatum obtineret, quare se rogare, ut ille magistratu privaretur, & is restitueretur Reipublicae status, qui suspicionibus nullum locum daret, neque id obtineri posse nisi, Julianus & Joannes patriae & familiae juribus redderentur; demum addidit, suis postulatis se non expectaturum responsa, & quo fortuna, suorumque militum virtus vocaret, processurum. Non satis dici potest quae esset Florentiae trepidatio non modo ob adventum Hispanorum, sed & quia intus multi erant, qui novis rebus studebant, quia nunciabatur adventare quoque ex adversa parte Pontificias copias, & quia quidquid erat praesidii, totum erat collectum ex inexercitatis militibus, nulliusque virtutis ac nominis centurionibus & ducibus. Tum placuit mandatum dari Soderinio Cardinali, qui Vexillifero frater erat, ut si quo modo posset, placaret Pontificis animum, ejusque fidem invocaret, sed quo minus cupiditatis hujus visa est oratio habere, eo plus desperationis habuit.

Pervenerant jam Hispani ad Barberinum oppidum, quod Florentia XV. millia passuum abest, quando Prorex hominem ad Florentinos misit, qui nunciaret, tametsi pro recentibus veteribusque injuriis victor exercitus bello poenas ab iis jure repetere posset,

tamen non se commissurum, ut ii libertate, pristinisque juribus privarentur, illud unum se cupere, ut magistratu se abdicaret Vexillifer, Mediceique jura privatorum civium recuperarent; id si non obtinuisset, se hostium numero illos habiturum. Tum Soderinius, ne quid sua caussa mali Reipublicae accideret, sic in universi populi concilio verba fecit, ut a se omnem ambitionis suspicionem removeret, suos tamen monuit, ut quaererent & cogitarent quo consilio illa postularentur: sibi enim persuaderi non posse, quin Medicei multorum annorum exilio affecti, bonis privati, aliisque injuriis calamitatibusque afflicti omnes captaturi essent occasiones ulciscendi inimicos, pristinamque dignitatem atque fortunam recuperandi. Quanquam populi sententia ad revocandos Mediceos inclinaret, universi tamen a Soderinio petierunt, ne magistratu abiret; eosque cum sic animo paratos videret, ut nullum pro sua laude periculum recusarent, nullamque ignominiam acciperent, quam se accepturos dicebant, si hominem illa familia, dignitate, honoribus, rebusque praeclare gestis praestantem a se dimittere cogerentur, armis jura Populi Florentini tueri deliberavit, carceri damnavit eos, in quibus Mediceorum studium eminere putabatur, multitudinem hominum ex agris coegit, reliquaque ad bellum necessaria comparavit. Praemissi, qui viderent, quas in partes hostes iter dirigerent, cumque hi Pratum versus aucti subsidiariis militibus Ramazzotti, Pepulorum, aliorumque, qui in Apennino oppida habebant, contenderent, eo & miserunt Florentini satis magnum militum numerum, quibus imperabat Lucas Sabellius, qui virtute & experientia minime compensabat decrepitam aetatem. Summa difficultas rei frumentariae & pecuniae, quae militarem disciplinam, severitatemque plurimum minuebat, eo adduxerat Proregem, ut conditionem obtulerit Florentinis revocandi ab Etruria exercitum, si argenti vis quaedam (sunt qui affirmant fuisse hanc triginta millium, ut loquebantur, ducatorum) & commeatus ad reficiendos laborantes milites sibi suppeditaretur. Sed occasio,

quam ii amiserunt liberandi patriam a servitute, & Pratum a direptione, non amplius oblata fuit, ac sero illos suorum avaritiae poenituit. Subiit enim oppidum illud, in quod, parva moenium parte disjecta, introivit hostis III. Kal. Septembris an. MDXII. cum nullus resisteret, omnesque foede arma deponerent, & fugam caperent, indignissimam Hispanorum licentiam, nec sane ii in omnem avaritiam, libidinem & crudelitatem effusi pepercissent virginum & matronarum decori, nisi Joannes Cardinalis ad majoris templi fores, in quod illae confugerant, custodias posuisset. Tum Pistorienses legatum ad Proregem miserunt oratum, ne se in hostium numero haberet, neve omnium Etruscarum civitatum caussam esse unam judicaret, eique commeatus copiam se subministraturos spoponderunt. Florentiae vero sic omnium animos timor praeoccupavit, ut non modo fortunis, sed etiam vitae desperarent, & Vexillifer pene alienata mente nesciret quid consilii caperet, nullique rei prospiceret. In hac confusione rerum maximaque voluntatum erga Vexilliferum commutatione, inflantur atque excitantur animi eorum, qui aut Mediceis favebant, aut novari Reipublicae statum cupiebant, inventique sunt bini adolescentes Paullus Victorius, & Antonius Franciscus Albitius nobiles, audaces, seditiosi, qui, communicatis turbulentis consiliis cum Bartholomaeo Valorio, qui non minori abundabat audacia, quique oblitus beneficiorum, quae a Soderinio acceperat, & propinquitatis, qua cum illo conjunctus erat (ipsius enim fratris filiam in matrimonium duxerat) se exire aere alieno putabat posse, cum occuparet aliena, de abstrahendo per vim Vexilliferum a Curia deliberarunt. Itaque biduo post direptum Pratum summo mane ingressi in illius cubiculum, mortem illi minitati sunt, nisi se ex sua sede & statu dimovisset: si id fecisset, ipsos fore corporis custodes, & quo vellet incolumem educturos. Eodem tempore magni per urbem excitati sunt tumultus, & ille idem populus, qui per ipsum salvam & incolumem stetisse Rempublicam antea praedicaverat, minime se

laturum declarabat, ut, invitis principibus, resistente senatu, omnibus bonis repugnantibus, ejus caussa, protraheretur bellum, a quo in maximum periculum & extremum pene discrimen ipsa Respublica adducta erat. Ipse igitur insueta re permotus, & privatus jam magistratu ab iis, qui summam potestatem habebant, non resistendi, sed defugiendi consilium cepit, quod accidit decimo fere post anno quam summa cum fide atque integritate, sed nullo cum animi robore ad Reipublicae gubernacula sederat. Nocte insequenti ductus est in agrum Senensem, inde simulans se Romam iturum, ad Anconam iter direxit, ibique, conscensa navi, Ragusium pervenit. Certiorem enim illum fecerat Soderinius Cardinalis, ne suam committeret salutem fidei Pontificis, qui in consuetudinem verterat ulcisci peccata peccatis, injurias injuriis.

His rebus gestis, Florentini statim legatos ad Proregem legarunt, qui referrent, amoto auctore belli, & multitudinis concitatore, se paratissimos esse ad eas accipiendas conditiones, quae ipsi ferre libuisset. Porro minime defuit negotio Joannes Cardinalis, & pro sua humanitate atque clementia flectere ad aequitatem Proregis animum magnopere studuit. Quod ad se pertinebat, non aliud petendum censuit, nisi ut ipse suique omnes tum sanguine, tum amicitia conjuncti, qui ejus calamitatum participes fuerant, patriae redderentur, privatorum civium juribus fruerentur, potestatemque haberent praesenti pecunia redimendi bona sibi adempta, quae publica auctoritate in alienas manus pervenerant. Provisum etiam rebus publicis fuit. Nam Hispani jura, leges, agros, libertatem Florentinis reliquerunt, ipsos in societatem receperunt, imposita tamen conditione exsolvendi centum quadraginta millia nummum aureorum, quorum quadraginta ad Caesarem, octuoginta ad Hispanos, viginti vero ad Proregem pervenirent. Per caussam autem conjunctionis speciosam promiserunt Florentini & Hispani se mutuo armatis juvandi, quam ob rem illi coacti fuere dare stipendium ducentis Hispanis militibus; eosque in civitatem recipere.

Quanquam plurimum imminutus fuerit Hispanorum exercitus, quod multi Gallicis tot bellis defecerant, longumque iter ex Hispania nova subsidia impediebat, & gravis aestas magnam partem valetudine tentaverat, talis tamen erat, ut Florentinis fractis & debilitatis metu, civilibusque discordiis, & natura & usu ad bella sustinenda minime idoneis alienae voluntati obtemperandi necessitatem imponeret (22).

Cum de ordinanda Republica agi coeptum esset, creati XX. cives fuerunt, qui referrent quid maxime ejusdem Reipublicae rationibus conducere putassent. Cetera inter ex eorum sententia decretum est, ut annua esset Vexilliferi potestas, ut magistratui, qui nomen habebat ab octuoginta viris, ex quibus constabat, quorum summa erat auctoritas in gravissimis rebus, quique eligebantur sexto quoque mense, adderentur omnes ii, qui munus Vexilliferi exercuerant, qui legationes ad Principes obiverant, quique e decemviris ad bellum & pacem faciendam fuerant, ne aurae populari amplius obnoxius esset. His aliisque constitutis rebus, VI. Id. Septembris creatus est Vexillifer Jo. Baptista Ridolphius, nobilis idem ac dives, omnibusque naturae fortunaeque bonis instructissimus. Sexto post die Cardinalis urbem ingressus est, comitantibus Prorege omnibusque fere exercitus ducibus, inter quos erat Paludes ille, cui spem dederat imperii summam copiarum Reipublicae committendi. Donis, quae Legati Pontificii ab amicis accipere consueverant, ac gratulationibus ille dies celebratus est; sub vesperum vero adiit ipse summum magistratum, praeeuntibus Juliano & Laurentio Mediceis, quorum is, ut diximus, frater erat Cardinalis, quique antea venerat Florentiam tentandi caussa civium animos, hic autem fratris filius. Gratias egerunt, quod revocati in patriam fuissent, quodque urbanae res Patrum sapientia commodiorem in statum pervenissent, seque pro viribus effecturos spoponderunt, ut domesticis dissensionibus civitas liberaretur, jura legesque sartas teneret, & externorum hostium metum de-

deponeret. Quidquid loquebatur Joannes, ne ejus adventus hostilis esse videretur, mansuetudinem & humanitatem prae se ferebat, neque libentius se facere quidquam ostendebat, quam inimicis ignoscere, & privatas injurias concedere reipublicae, Non minus liberaliter omnia pollicitus est Magistratus, ad quem cum biduo post venisset Prorex specie agendi de rebus publicis, tanta hominum multitudine complevit Curiam, ut negari haud potuerit Juliano, qui cum illo erat, quin statim aeris campani sonitu populus convocaretur. Tum vi potius, quam liberis suffragiis decretum fuit, ut quae antea latae fuerant leges, abrogarentur, utque summa rerum esset penes octo supra quadraginta cives, quorum potestas in annum, vel in biennium, si ipsis libuisset, duraret, scita vero vim legis obtinerent, si a majori parte suffragiorum probarentur, Tali modo Medicei non modo auctoritatem, sed etiam imperium quodammodo tenere potuerunt in suos, cum nemini potestatis onerisque partem impertivissent, quem suorum studiosissimum minime novissent. Multa alia renovata fuerunt, in quibus paucorum magis potentia, quam Reipublicae bonum spectabatur, Jussum & restitui exules, iisque bona reddi, & in exilium mitti quinque ex Soderiniorum familia, & cum in omni re ambitione magis, quam vera virtute niterentur Medicei, multorum in se odium facile concitarunt. Quae tamen in ore atque oculis omnium gerebantur, testabantur publicum gaudium ob eorum in patriam reditum, & ex suburbano templo, quod Imprunetae dicitur, magna cum pompa advecta in urbem fuit B. M. V. imago, quod fieri minime consueverat nisi in maximis Reipublicae calamitatibus, maximisque prosperitatibus vel ad Deiparae opem implorandam, vel ad pium gratumque animum erga ipsam declarandum. Legati quoque fuerunt ad Pontificem Jacobus Salviatus, & Matthaeus Str[illegible]ius, ut ei gratias agerent, quod Florentinos in amicitiam ac fidem recepisset, & factum illius opera, ut ii Medicos suos recuperassent. Hi autem cum de rerum suarum prospero successu litteras ad V[illegible]

netum Senatum, qui amico in illos animo semper fuerat, dedissent, seque & fortunas suas illi commendassent, non verba modo honorificentissima retulerunt, sed etiam civitate nobilitateque donati fuere. Quanta autem ad bonos omnes pervenerit laetitia ob reditum Mediceorum in patriam, non solum quia existimabant pacem & salutem redditam Italiae fuisse, sed etiam quia sperabant fore, ut pristinus honor restitueretur ingenuis artibus, quae iisdem pene fluctibus obrutae videbantur, ex litteris Petri Bembi ad Joannem Cardinalem intelligi potest. Tali modo finem habuit diuturnum Mediceorum exilium, nec sane facile dixeris utrum Joannes clarior fuerit in prospera, quam in adversa fortuna. Si vera sunt, quae Petrus Alcyonius illi tribuit, cum disputantem de exilio cum Julio & Laurentio induxisset, sine dubio ipsum assimilaveris summis iis viris, quos antiquitas tanquam clarissima exempla constantiae, magnanimitatis atque prudentiae proposuit ad imitandum.

Interea pervenit Florentiam Curcensium Episcopus Caesaris legatus, cui Pontifex mandata dederat, ut Florentinos in fide erga se confirmaret, omninoque ab Gallorum partibus averteret. Obviam illi processit Joannes in Cafaggiolanum suum, in quo regio plane apparatu illum excepit. Neque minus studuit, ut a Florentinis omni honorum genere vir superbus & ambitiosissimus decoraretur ad testificandam memoriam beneficiorum acceptorum. Omnes vero captabat occasiones oblectandi populum, avertendique mentes hominum a publicis rebus, & quos dedit ludos & spectacula in saturnalibus feriis, satis declarabant nil nisi magnificum & excelsum illum delectare. Minime defuerunt poetae, qui in laudanda magnificentia & apparatione popularium hujusmodi munerum musas invocarunt, & genus erat oblectamenti, in quo artium liberalium magistri Florentinis facile primas concederent. Tum quoque acta fuit comoedia, quam Bernardus Dovitius ejus hortatu fecerat, cuique Calandrae nomen dedit. Tota haec referta est genere jocandi eleganti, urbano, ingenioso, faceto, & interdum etiam, ut mos

erat illorum temporum, subimpudico, ex qua ceteri exemplum sumpserunt comoedias soluta oratione scribendi. Haec erant solatia servitutis, quam ne aequo animo pati videretur Vexillifer, magistratu, secundo mense postquam illum inierat, se abdicavit. Tum suffectus in illius locum fuit Guilelmus Pactius, qui Cardinali levir erat, revocatusque antiquus mos hanc potestatem minime prorogandi ultra binos menses. Ob haec aliaque hujusmodi callidissime gesta omnes ii, qui ad honores adspirabant, se devovere Mediceorum amicitiae cogebantur, eorumque haec erat conditio, ut omnibus in vita commodis una cum iis fruerentur. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, cui in libera civitate tanta potestas esset, quod libuisset, agendi, & suorum dignitatis augendae. Vel ex eo tempore, quo in tuto esse visae sunt Mediceorum res, Hispanus exercitus ab Etruria discessit, Brixiamque accessit ea mente, ut opulentissimam civitatem, in qua praesidium erat Gallorum, caperet atque depopularetur. Mens quoque erat Julio Pontifici vexare Ferrariae Ducem, qua de re litteras ad Joannem Cardinalem dedit cum mandatis, ut eo cum Florentinorum copiis proficisceretur. Sed omnes ejus cupiditates, quas morbi haud valuerunt debilitare, una extinxit mors, quam obivit paullo ante lucem IX. Kal. Martias an. MDXIII. Id cum esset Florentiam allatum, Joannes lectica vectus, modicisque itineribus propter innatum ab ima sede abscessum, Romam profectus est, relictis ad gubernacula Reipublicae Juliano & Laurentio. Haec occasio visa est illos interficiendi Augustino Capponio Lucae, & Petro Paullo Boscolo Jachinotti filiis, haud dubia spe, iisdem e medio sublatis, civitatem pristinam libertatem recuperaturam. Sed proditi priusquam quidquam tentare potuerint, postridie, quam Cardinalis Florentia discesserat, capite, & quos habuerant consiliorum participes. Nicolaus Valorius, Joannes Folchius, Guccius Adimarius, Ubertinus Boncianius, & Franciscus Serrallius aut carcere, aut exilio Reipublicae poenas dependerunt.

Vel antequam conclavia ingrederetur Joannes (ingressus autem est post. Kal. Martii una cum Bernardo Dovitio, Francisco Minerbinio & Alderio Biliotto primum inter Diaconos Cardinales locum tenens) ob summam, quam habebat continentiae & liberalitatis opinionem, multorum voces illum Pontificem dessignabant. Sic quidem erant animo parati juniores Cardinales, quos omni officiorum genere semper coluerat, ut suffragari se illi praesertim velle palam dictitarent. Ex his plurimi erant regiis, aut maxime illustribus familiis orti, & non modo genere atque aetate, sed etiam opibus & clientelis florentes, Ludovicus Aragonius, Sigismundus Gonzaga, Marcus Cornelius, Alphonsus Petruccius, Bendinellus Saulius, & Matthaeus Sedunensis. Erat vero Senatus princeps Raphael Riarius, quem aetas, genus, honores, divitiae ad spem summae dignitatis obtinendae excitaverant. Eodem studio alii fortasse tenebantur, sed solertia, consiliis & prensationibus diligentioribus, ut ait Bembus, Bernardi Dovitii amabilissimi hominis omnium voluntates in unum conversae sunt Cardinalem Mediceum, eumque Summum Pontificem crearunt septimo post die quam ad comitia venerant, qui fuit dies ad V. Id. Martii. Fuere qui existimarent, teste Jovio, vel ob id seniores Cardinales ad Joannem accessisse, quod pridie, disrupto eo abscessu, qui sedem occuparat, tanto foetore ex profluente sanie totum conclave implevisset, ut tanquam a mortifera tabe infectus, non diu supervicturus esse, vel medicorum testimonio crederetur. Qua ex re calumniandi Joannem nonnulli, quibus & assentiri videtur Petrus Baylius, caussam sumpserunt, quasi juvenili quadam licentia in hujusmodi se se implicasset morbum. Sed nos potissimum Guicciardinio credimus, qui ait aditum ad summum Pontificatum Joanni patefecisse, & plausus ob adeptum excitasse memoriam paternarum virtutum, & famam, quae omnes regiones peragraverat ejus liberalitatis, benignitatis, morumque plane castissimorum, quod iis temporibus, in quibus nimia licentia dominabatur, non modo

rarum, sed & prope singulare in homine, qui nondum compleverat trigesimum octavum aetatis annum, videbatur. Addidit Historicus ille, qui sane non amico animo in Leonem fuisse videtur, fallacias nullas, promissa nulla & praemia contaminasse haec comitia, nullos anteivisse, quod fere semper acciderat, turbulentos motus, & omnia rite, ac more institutoque majorum peracta fuisse. Sunt quoque testes amplissimi innocentiae morum Joannis Petrus Delphinius, Gregorius Cortesius, omnesque ii, qui familiarissime cum ipso versati fuerant, qui non sibi solum, sed & Reipublicae Christianae gratulati sunt, quod is illi obtigisset Pontifex, qui in tam suspiciosa & maledica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquerat. Haud praetermittendum videtur ad declarandam illorum temporum inscitiam superstitionemque, quodam die recusasse Cardinales ferre suffragia, idcirco quia solis eclipsis tum fore dicebatur. Nam quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset Pontifici evenire cupiebant. Quia vero major hebdomada appropinquabat, id maxime decere omnes judicarunt, ut cum infulis & coronis Pontifex rem divinam faceret. Itaque, ut ait Paris Grassius, *die martis XV. factus est presbyter, & die Jovis XVII. consecratus, & die Sabbathi XIX. coronatus repentissime*. Nondum is e conclavibus exierat, cum sibi ab epistolis adscivit Petrum Bembum & Jacobum Sadoletum, qui Romae tunc erant, atque haec res mirum in modum valuit ad confirmandam spem, quam omnes conceperant, fore, ut per eum litterae litteratique omnes ad gloriam splendoremque veterem revocarentur. Nemo enim ignorabat rectissimis studiis & artibus homines illos praeditos esse; & scripserunt quidem epistolas plane Latinas, elegantissimasque, quod ante id tempus acciderat nulli, vix ut fieri posse judicaretur. Quanquam animis prius & judiciis, quam auribus nuncius Joannis ad summum Sacerdotium evecti acceptus fuerit, magno tamen certamine ac tumultu laetantis populi ad conclavia concursum est, primi quique oculis, auribusque haurire tantum

gaudium cupientes. Laetitiam quoque apertissime tulit populus Florentinus, nihilque relictum est, quod ad illam publice declarandam excogitari potuit. Nullus locus vel sacer, vel profanus ab hujusmodi significationibus vacuus fuit, totaque civitas personabat vocibus, quae fausta ac felicia omnia Mediceis precabantur. Is dies quoque solemnis servatus, quo Joannes Pontifex Maximus renunciatus est.

Hunc aliae atque aliae objectae animo cogitationes suspensum aliquandiu tenuerunt, quo nomine appellaretur (23). Quia vulgo ferebatur Claricem illius matrem, cum esset gravida, & jam appropinquaret partus, somniasse se parere, ut alibi quoque innuimus, leonem ingentis magnitudinis ac mirae lenitatis, vel ad hanc praesagitionem comprobandam, vel, quod probabilius arbitramur, ad magnanimitatem declarandam Leonis X. sibi nomen adsumpsit. Certiorem spem fecerant ipsum nil nisi magnum & excelsum cogitare & cupere benignitas, qua complexus est Soderinium Cardinalem, ut primum in conclavia pedem posuit, humanitas, qua ejus fratrem Petrum Romam invitavit, & liberalitas, qua usus est adversus eos, quos in Laurentium & Julianum conjurasse diximus. Eo usque illius clementia in Soderinium processit, ut non solum summo cum honore exceperit, sed etiam illius fratris filiam in matrimonium dederit Aloysio Ridolphio, qui ex Contessina sorore natus erat. Vixit tranquille Romae Soderinius, ibique, Pontificatum Maximum gerente Hadriano, annos natus LXII. vitae cursum explevit. Hoc quoque sit mirae Leonis bonitatis exemplum. Bernardinus Caravajalis & Fridericus Sanseverinus, quos Julius Pontifex Pisani concilii caussa, in quo primas egerant, non solum Cardinalatu privaverat, sed & atrocissimis poenis destinaverat, si unquam in potestatem suam cecidissent, ubi de morte illius certiores facti fuerunt, e Gallia Romam contendere deliberarunt, ut novi Pontificis humanitate pristinos honores recuperarent. Delati navi Liburnum, ac postea Pisas, ut Florentiam ducti, se sic

observari & custodiri intellexerunt, ut in manibus Pontificis eorum salus posita esse videretur. Misit hic ad eos Urbis veteris Episcopum, qui benignissimis verbis adhortatus est, ne properarent Romam ire, ac tamdiu Florentiae manerent, dum quid factu opus esset Pontifex ipse deliberasset, intera fidei ac bonitati illius confiderent, cui nihil tam curae erat, quam devios rectam in viam paterne deducere. Cum tempus visum est, perducti illi Romam fuerunt, admissique in Senatum sine purpurae insignibus, postquam conceptis verbis acta Pisani & Mediolanensis, atque Lugdunensis concilii abrogassent, & Lateranense uti legitimum, & jure optimo indictum agnovissent, in Romanae Ecclesiae gratiam, pristinamque dignitatem restituti fuerunt. Porro erant, qui aliter censebant, sed mederi Leo erroribus volebat ignoscendo, minime vero puniendo, similemque indulgentiam tribuit Zachariae Ferreiro Vicetino sacrae paginae, & juris utriusque Doctori, qui non solum opera, sed etiam scriptis, suoque periculo plurimum juverat schismatis auctores. Atque ab hoc viro cum multi erroris exemplum sumpsissent, poenitentiae quoque petierunt, quosque summa vis & severitas Julii II. minime commoverat, lenitate aequitateque Leonis non modo captos, sed etiam fractos se fuisse affirmarunt. Tali modo malum, quod late fusum videbatur, unius hominis prudentia extinctum est. Et jam cum summa quies & tranquillitas Romae esset, inde magnam Pontifex gloriae materiem hausit, cum totus fuisset in iis artibus provehendis, quae pacis comites dicuntur, in quo tamen nunquam pluris famam hominum, quam Rempublicam fecit.

Inter gaudia Populi Romani Florentia ad Pontificem legati venerunt, ut illi de summa dignitate gratularentur. Legationis princeps esse debebat Cosmus Pactius civitatis Archiepiscopus, sed hic dum iter parabat v. Id. Apriles e vita cessit. Substituit Pontifex in Archiepiscopatus munere Julium patruelem suum carissimum, qui plenus spei bonae paullo antea Romam concesserat;

rationem fecit Petrus Guicciardinius, neque ulla exaudita est libentius a Pontifice, qui se nulla in re patriae honori, incolumitati, atque splendori defuturum spopondit. Ex iis vero legatis Philippum Bondelmontium, & Aloysium Stufam, qui ceteros aetate anteibant, aurei calcaris, ut ajebant, equites declaravit, & insignibus decoravit, quod iis temporibus honorificentissimum putabatur. Haud tacendum videtur Bernardum illum Oricellarium, qui tantopere Latine scribendi elegantia floruit, ut alter Sallustius diceretur, qui semper Mediceorum partes secutus fuerat, quique magnis propinquitatis vinculis cum iis jungebatur, adversam simulantem valetudinem legationem suscipere, & Romam ire recusasse, quod omnes illi vitio dederunt, quasi Rempublicam parvi facere videretur, quam tamen regere ipse solus praesumebat. Paullo post venerunt quoque ad Pontificem legati a Senensibus, quorum vel imbecillitatem, vel temeritatem comiter adeo & lepide coarguit Leo, ut qui patris facta, orationem quoque imitari videretur (24). Hoc erat in Leone vel artis, vel consuetudinis, vel naturae, ut ea diceret, quae res ipsa pepetisse videbatur vel ad errores corrigendos, vel ad studia inflammanda, vel ad controversias componendas. Dissidebant tunc de honoris gradu Hispaniarum Regis & Caesaris Legati, sed hi permoti adeo lenissimis Pontificis dictis fuere, ut ejus voluntati omnes querimonias dimiserint. Pari felicitate arrogantiam atque intolerandam ambitionem compescuit Curcensis Episcopi, qui Romam cum advenisset insignia Cardinalatus, quo decoratus fuerat a Julio II., accepturus, ea postulabat, quae ne ipse quidem Caesar, cujus locum in Italia tenebat, postulare ausus fuisset, Sunt exempla hujusmodi alia plura, ut Leonis orationem flexanimam facile dixisses,

Trigesimo die postquam creatus est Pontifex Leo, qui erat S. Leoni magno Sacer, more institutoque majorum Lateranensem Basilicam, Ecclesiarum omnium matrem adivit. Ille idem dies, qui fuerat calamitosissimus ob pugnam anno ante apud Ravennam pugnatam,

tam,

tam, summam ad felicitatem atque laetitiam conversus est. Fuit enim pompa, fuit species, fuit comitatus & concursus dignus temporibus Reipublicae Romanae, quando summi Imperatores de victis triumphum agebant. Thracius equus, in quo Pontifex vehebatur, secum una captus ad Ravennam, magno pretio redemptus rursus apparuit multo auro, multisque gemmis ornatus. Viae, per quas transire debebat, aulaeis, frondibus, floribus, arcubus, picturis & statuis magnifice & splendide decoratae erant, easque incredibilis prope hominum multitudo opplebat. Cardinalium, Antistitum & Optimatum omnium comitatus equis, vestibus omnique ornamentorum genere praefulgebat, & vel ii, qui famulatum praebebant, serico & purpura induti erant. Romanae Ecclesiae vexillum Alphonsus Ferrariae Dux, quem valde liberaliter Leo ad hanc pompam invitaverat, Rhodiae vero militiae, qui vel a pueritia in illam fuerat adscriptus, praetulit Julius Mediceus, atque ex eo die arma deposuit Ecclesiae militaturus, bono sane omine, viam illi sternente Deo ad Summum Pontificatum. Adfuit & Franciscus Maria Feltrius Urbinatium Dux, qui a Julio II. patruo Pontificiorum exercituum praefecturam obtinuerat (25), quique in excelso loco, & in magnis ac locupletibus copiis collocatus fortunae muneribus, & naturae commodis omnibus abundabat. Prodiit is optime vestitus, palla inaurata indutus, chlamyde purpurea coloribus variis intexta, vexillum tenens Pontificium multo distinctum auro. Alia & apparebant vexilla, Mediceumque aureis fulgebat pilis. Pecunia, quae per vias spargebatur, tantam exaequabat pompam; centum enim millibus aureis hanc stetisse Pontifici quaestores affirmarunt (26). Ex his populus sibi vere augurabatur aurea fore tempora Leonis, contra prudentiores ajebant tam profusos sumptus minime Pontificiae gravitati convenire, nec temp[illegible]um conditionem ferre, ut pecunia magno opere a Julio [illegible]ecta pessum daretur. At non propterea minus just[illegible] sibi caussam populum omni liberalitatis genere [illegible] [illegible]merendi esse existimavit Pon-

fex, iisque gratias egit, qui frequentiam & officium suum tanta voluntatum significatione praestiterant, ut nulla unquam major magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores fuisse constaret. Hac confirmata opinione magnanimitatis, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam censuit, ut aequitatis etiam famam colligeret. Plebs acri quidem annona fatigabatur, cui ut consuleret, quantum impendio diligentiaque potuit, curavit. Et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia magistratuum tolerarent, providit. Pollicetur magnae sibi curae fore, ut omnia civitatibus, quae cujusque essent, restituerentur, & cupiditates iracundiaeque potentiorum restinguerentur. Ex juris peritorum consilio & auctoritate nonnulla praescripsit, quae ad judicia exercenda pertinebant, ut ratio vera restitueret, quae consuetudo vitiosa detraxerat. Nam tempora illa sordida adeo erant, ut jura omnia nutu atque arbitrio potentiorum gubernarentur. Dum vero circumspiciebat omnia, quae populo grata sunt, studebatque, ut omnes perspicerent suum promptum & alacrem animum ad defendendam & bene gubernandam Rempublicam, gratulabatur sibi, quod consiliarios & administros haberet Julium patruelem & Bernardum Dovitium, quorum fidem & benevolentiam in utraque fortuna, in pace atque in bello expertus fuerat. Quaestorem creavit Dovitium, Datarium, ut vocant, Laurentium Puccium Florentinum, aliaque munera fidelissimis amicis mandavit.

Dum Reipublicae caussa ea apparabat & providebat, quae necessitas & tempus flagitare videbantur, eam conditionem esse putans imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si omnibus reddatur, litteris sic consulendum putavit, conquisitis undique eximiis earum cultoribus, ut earum pater & custos diceretur. Ne vero instrumenta comparandae sapientiae deessent, Vaticanam bibliothecam augendam suscepit, eique, mortuo Thoma Phaedro Inghiramio, praefecit Philippum Beroaldum juniorem, cui, teste Bembo, omnes non eruditionis modo & doctrinae, sed etiam pro-

bitatis laudem facile concedebant. Non diu is vixit, huic autem successit Zenobius Acciajolius, quo anno MDXIX. extincto, locum illius tenuit Hieronymus Aleandrus. Satis per tot annos ignavia peccatum, dolenter ajebat, ut in urbe quondam doctrinarum omnium sede nulli, aut pauci admodum essent illarum magistri, quare ut malis oppressae civilibus jam extollere caput, & aliquando recreatae se erigere possent, Romanum Archigymnasium instauravit, vel potius instituit, optimis praeceptoribus ornavit, ad quod cum tanquam ad mercaturam bonarum artium cives & peregrini accederent, inanes redire turpissimum judicarent. Principes ingenii & doctrinae numerabantur Augustinus Niphus Suessanus, & Christophorus Aretinus, quorum alter in philosophis, alter in medicis magnum nomen habebat. Utrumque noverat Pisis, coluerat etiam solitus frequentare omnes eos, quos sapientiae fama commendabat. Commisit Hieronymo Butighellio, ut Romanorum jura ritusque exponeret, & Basilio Chalcondylae Demetrii filio, miro juveni ingenio, & summa eruditione, ut Graecas litteras doceret, quo in munere non diu fuit, quod acutissima correptus febri vix quartum & vigesimum agens aetatis annum ex hac vita migravit. Neque eos audiendos puto, qui illud dant vitio Leoni, quod non admodum facere videretur rerum divinarum interpretes, quanquam & his operam dederit adolescens & pene puer sub haud poenitendo praeceptore Georgio Benigno Salviato. Nam & theologiae studiosis consuluit, cum hujus facultatis peritissimos magistros suo in Archigymnasio esse jussisset, liberalissimisque praemiis invitasset. Nil vero tam curavit, quam ut optimus esset magister illarum artium, quae, quod verissima sunt solatia humanae vitae, hominesque ab fero agrestique ad hunc humanum civilemque cultum deduxere, ab humanitate ipsa nomen acceperunt, hocque munus assignavit Parrhasio Consentino, ad quem litteras quae honorificentissimas dedit testes sui omniumque indicia de illius in his artibus praestantia. Homini, qui in periculum capitis venerat sub

Alexandro VI. non aliam ob caussam, nisi quia ejus obsequio & comitate delectabantur bini Cardinales eidem Pontifici infensi, gratissimum fuit posse praeteriti temporis injuriam sarciri singularibus Leonis beneficiis, cui nil tam curae erat, quam honestissimas disciplinas in antiquum domicilium veluti postliminio revocare. Magnum profecto hujus rei documentum dedit in iis litteris, quas ad Marcum Masurum, hominem Graecum Graecisque disciplinis eruditissimum misit, quarumque hoc est exemplum. *Cum magnopere cupiam Graecorum sermonem & Graecas disciplinas jam prope abolitas atque deperditas restituere, & quantum in me positum est, consulere bonis artibus, exploratumque habeam & praestanti te doctrina, & judicio esse praeditum singulari, mando tibi, ut suscipias diligentem curam adducendi ad nos e Graecia decem, aut duodecim, aut sane quot voles ipse, liberalis ingenii bonaeque indolis pueros, unde Latinis hominibus linguae illius vetus germanusque usus, rectaque cognitio, & tanquam seminarium quoddam bonorum studiorum commode confici & comparari possit. Qua de re Joannes Lascaris, vir propter suas virtutes, & multam in iis litteris doctrinam mihi valde charus scribet ad te pluribus verbis. Te vero pro tua vetere in me observantia, quae opus esse ad eorum studiorum rationem, & hanc rem, quam paro, cognoveris, sane confido summa diligentia curaturum.* Hac ipsa de caussa sollicitavit Jo. Lascarem, ut quam maxime posset cito ad Urbem accederet, domumque a procuratoribus Sedunensis Cardinalis, quae erat in Exquiliis, emit, ut in ea esset tanquam ludus quidam Graecarum litterarum. Quae Leonis ceterorumque Mediceorum merita respiciens Hieronymus Vida, primo in Poeticorum libro cecinit.

Illi etiam Grajae miserati incommoda gentis,
Ne Danaum penitus caderet cum nomine virtus,
In Latium advectos juvenes, juvenumque magistros,
Argolicas artes quibus [illegible]
Securos Musas jussere atque otia amare.

Si qui vero erant e nostratibus hac ipsa laude illustres homines, eos mirifice amplexabatur Leo, & quod aliquot annos domi suae vixerat Scipio Carteromachus Pistoriensis, qui sive carmina Graece, sive Latine funderet, sive orationes scriberet, sive abditissimos locos disciplinis fere in omnibus interpretaretur, magnam admirationem sui faciebat, huic locum dedit in aula Julii patruelis, quem, tanto studiorum socio, non degeneraturum sperabat a majorum virtute & gloria. Accidit vero ut paucos post menses, ex quo in intimam amicitiam venerat fortunatissimi adolescentis, a quo nihil non sibi polliceri poterat, repentina correptus febri in patria moreretur. Retinere quoque Romae voluisset Leo Urbanum Valerianum Bellunensem, Minoritarum Sacerdotem, qui diu, Venetiis praesertim, Graecas litteras docuerat, quemque ipse praeceptorem habuerat. Venerat enim ad eum statim ac summo auctum sacerdotio audivit, non ut aliquid obtineret (singulari enim erat modestia) sed ut eidem de honore gratularetur. Qua re, & vita illa, quam sibi delegerat, remota a strepitu & ambitione contentus, oblata praemia recusavit, ad suosque remeavit. Neque hoc loco praetereundum arbitror studiis quoque suis effecisse Leonem, ut Praefectus Carmelitarum eligeretur Jo. Baptista Mantuanus, qui non fuit poeta unus e multis, potius inter multos singularis, ut alterius Maronis nomine appellaretur. Nam hujus facultatis, qui essent compotes, mirum in modum fovebat atque amplectebatur. Consulendum quoque putavit Hebraicarum, Syriacarum & Arabicarum litterarum studiosis, quae tum in potestate esse videbantur hominum Catholicae Ecclesiae infensissimorum, ut unde hi errores, nostri sanctissima dogmata depromerent. Cujus studii fructus sane amplissimus fuit editio Psalterii Hebraei, Graeci, Arabici, Chaldaei cum tribus Latinis interpretationibus, & commentariis, quae peracta est per Augustinum Justinianum Genuensem [illegible] Praedicatorum familia & Episcopum Nebiensem, qui [illegible] opus Pontifici ipsi nuncupavit, [illegible] fere habere cetera, quae ad utrumque

tam novum, quam vetus Instrumentum pertinebant, iisdem distincta linguis, eademque serie & forma typographis imprimenda, si libuisset, traditurus. Quod ne praestaret ejus ad Gallos migratio fecit. Plenus erat expectatione Leo de Theseo Ambrosio Ticinensi, ex nobilissima Albonensium familia, cujus mirabilis erat multarum linguarum peritia, quemque Chaldaicam & Syriacam in Bononiensi Lyceo, quod ante id tempus nunquam factum fuerat, docere jussit. Idem auctor fuit Sancti Pagnino Lucensi e Dominicanorum familia, ut non modo coleret ipse, sed & ad multos propagaret Hebraicae linguae studium, cumque ab eo donum accepisset interpretationis divinorum librorum, exscribendam curavit, & sumptus in impressionem se facturum promisit (27), quod tamen serius omnino, Clemente VII. Pontificatum Maximum gerente, praestitum est. Multos fortasse in persequendi hujusmodi interpretationes studio retardavit quae incredibili prope labore & sumptu facta est, cura Francisci Ximenii Cardinalis Compluti editio divinorum omnium librorum, quorum postremum volumen (sex enim totum opus constat) prodiit in lucem an. MDXV., cui operi magnum sane ex Leonis X. nomine, cui nuncupatur, accessit ornamentum. Cum peteret vero Leo ipse exemplum a ceteris nationibus, minime cessabat hortari Italos suos, ut exercerent ingenium in his studiis, idque praesertim exigere videbatur a religiosis familiis, quibus hominum liberalitate tot industriae subsidia atque instrumenta comparandae sapientiae suppeditata erant. Plurima mala, quae inusta erant Reipublicae, idcirco deploranda esse ajebat, quod religiosi homines degeneraverant a majorum disciplina, quodque beate vivere in inertia ponerent. Quapropter saepe monuit eorum Praefectos, ut praemia dignitatis iis denegarent, qui illa potiundi [illegible] minime utiles labores suscepissent, neque paterentur ceteris edere [illegible]cepta salutis, populum hortari ad virtutem & decus, ac revocare a flag[illegible] nisi eos, qui graviorum artium instrumenta, & virtutis laudem sibi compar[illegible], qui

animi cupiditates, quam qui sanarent corporum aegritudines, omni doctrina & virtute ornatissimos esse cupiebat, eaque propter Patavio accivit, & summo in honore habuit Bernardinum Speronium Alvarottum, plurimum favit Bartholomaeo Pisano, quem *haberi inter praecipuos*, qui salutarem artem exercebant, ipse testatus est, fortunis locupletavit Jacobum Brixianum, qui manu etiam medicinam faciebat, & non parum tribuit Jacobo Accorombonio, Christophoro Volaterrano, integerrimo & spectato viro, Archangelo Tuto Senensi, nonnullisque aliis, quibus valetudinis suae curam commisit. Studia illius erga hos aliosque bene multos disciplinarum magistros, quibus certe nulla majora esse potuerunt, tam grata iis erant, ut cum Romae degerent, eique servirent, veluti in Deorum concilium se admissos esse palam dictitarent, neque praedicare cessarent, per eum factum, ut ex superiorum temporum caligine & tenebris disciplinae omnes lucem respicere coeperint. Ipse & rationem institutionemque rei litterariae in Archigymnasio Romano administrandae praescripsit, in quo tanta sapientia fuit, ut de se vere haec praedicare potuerit. *Ad summum Pontificatum divina providentia cum assumpti fuissemus, & restitutis in pristinis juribus dilectis filiis Populo Romano, inter alia vectigal Gymnasii Romani multis ante annis ad alios usus distractum, eisdem restituissemus, ut urbs Roma ita in re litteraria, sicut in ceteris rebus totius orbis caput esset, procuravimus, accersitis ex diversis locis ad profitendum in Gymnasio praedicto viris omni doctrinarum genere praeclarissimis, quo factum est, ut praecedenti anno, Pontificatus nostri primo, talis studentium numerus ad eamdem urbem confluxerit, ut jam Gymnasium Romanum inter omnia alia totius Italiae principatum facile obtenturum videatur* (28). Cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda plurimum a pueritia studii fuerat & temporis, illa curare tam gratum erat, ut eorum progressu successu, omnis, quae illum angebat de Republica sollicitudo, consideret. Ne vero tam

insignis, tamque illustris beneficii memoria periret, institutum fuit, ut quotannis in illo sapientiae domicilio laudes celebrarentur Leonis X., qui mos nunc etiam servatur, ut non paucorum annorum gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque ipsi Populus Romanus donasse videatur.

Jam hoc Pontificis munus a se maxime postulare putavit, ut Lateranense Concilium a Julio II. anno ante quam moreretur, convocatum ad schisma tollendum, quod per Gallos excitatum fuerat, habitis Episcoporum conventibus tum Pisis, tum Mediolani, tum Astae Pompejae, tum Lugduni, bonos exitus haberet. Primum venit ad illud magna cum pompa v. Kal. Majas an. MDXIII. cum curasset antea, ut aedes Lateranenses omnibus rebus instructae & ornatae essent; nam in iis habitare & pernoctare ad aliquot dies deliberaverat. Fuere, qui suaderent sine cunctatione renovanda edicta quaedam adversus Ludovicum Gallorum Regem, huncque compellendum ad pragmaticam sanctionem, ut vocant, tollendam. Sed ad haec nihil respondit Pontifex, cui propositum erat Regem non tam potentia, quam naturae bonitate spectatissimum lenitate potius mollire, quam duris verbis ad iracundiam commovere. Accedebat memoria benignitatis, qua complexus fuerat Julianum fratrem, cum in Galliam turbulentissimis illis suis temporibus se contulisset, & quanta semper etiam in Gallorum Reges cum patriae, tum familiae in primis suae observantia extitisset, in qua manere non solum se velle, verum & se magnopere optare eidem Regi per Julianum ipsum & Rupertum Nannantensem Cardinalem, quem ad eum legaverat, declaravit. Erat Concilio, ut vocant, Secretarius Thomas ille Inghiramius, de quo supra mentionem fecimus, quique jamdiu in Urbem venerat sui ingenii, elegantiorisque doctrinae, ac praesertim eloquentiae, in qua excellere putabatur, periculum facturus. Nemo non illum honorabat, amabat etiam Pontifex, ac multis magnisque in rebus ejus opera, sane utili, usus fuerat. Per eum proponebat Concilii Patri-

tribus quid vellet, & se maxime velle ostendit, ut revocarentur sanctiores mores, Senatus vitiis careret, ceterisque specimen esset, res urbanae componerentur, pax inter Christianos Principes conciliaretur, & schisma tolleretur. Mandavit etiam iisdem Patribus, ut judicium ferrent de quibusdam controversiis, cujus rei monumentum extat in iis litteris, quas ad Sigismundum Poloniae Regem dedit, postquam Maximilianus Caesar ab eo petierat, ne sineret Marianorum Theutonicorum societatem ulla in re vel armis, vel concordiae nomine ab eodem laedi. Nec defuit Boemis, qui cum quererentur, quod Sedes Apostolica minime maneret in pactionibus cum Hussitis, quae factae fuerant Basileae, invitavit eos ad Concilium, spe proposita, hoc non decreturum, nisi quod iis utile & salutare foret. Dedit autem negotium Thomae Strigoniensi Cardinali, ut, quoniam in illo Regno semina Hussiticae haereseos adhuc inclusa esse videbantur, omnem curam ac diligentiam in iis extirpandis poneret. Adjecit & mandatis, ut daret operam de jungendis foedere Germanis, Pannoniis, Boemis, Polonis, Danis, Svecis, Norvegis, Prussis, Russis & Moschis adversus Turcas, qui crudeliter Pannoniam & Illyricum vexabant, & adversus Tartaros, qui crebras excursiones in Poloniam faciebant. Ut vero animus accederet Rhodianis militibus ad prohibendos Turcas, si quidquam in Insulam tentassent, minime se eis defuturum & suis & Genuensium triremibus, aliisque subsidiis spopondit. *Stultitia est*, ajebat ipse, *sedendo, aut votis debellari credere posse immanissimos hostes; armari copias oportet, iisque totis viribus resisti.*

Quando secundo venit ad Concilium, quod accidit XIV. Kal. Januarias, gaudio cumulatus est, quia Galliae Rex per Oratores suos solemniter declaravit, se plane reprobare acta Conventus Pisani, & Lateranensis decretis se prorsus obtemperaturum. Magnopere illum commoverunt Regina (29), proceres, clerus, omnisque fere populus, & acceptae in bello, quod sustinebat cum Britanniae

Rege & Caesare calamitates, ut in gratiam cum Romana Ecclesia rediret, neque dubitabat, quin secum mitissime acturus esset Pontifex, qui tot in deerrantes ediderat mansuetudinis exempla, quique nemini, qui errorem suum deposuisset, veniam & impunitatem se non daturum profitebatur. Laudavit ille exquisitissimis verbis Regis consilium & factum, eumque, proponens majorum exempla, cohortatus est, ut dignitati & gloriae serviret in rei christianae defensione suscipienda. Fuerunt & aliae publicae laetitiae caussae ob victorias, quas Lusitaniae, Pannoniae, & Poloniae Reges adversus catholici nominis hostes obtinuerunt, pro quibus gratias Deo agendas Leo censuit magna cum pompa in re praesertim divina facienda, & in equitationibus ad Aedes S. Mariae de Populo, & S. Augustini. Quidquid harum rerum jubebat, curabat, ut summam speciem & dignitatem haberet: maxime enim diligebat publicam magnificentiam. Commisit vero Camillo Portio, ut oratione, quam dixit in Sacello Pontificio, non modo Lusitaniae Regis Indicas victorias, sed & laudes celebraret: nam, quas ab eo acceperat, litterae singularem erga se & Romanam Ecclesiam voluntatem declarabant. Neque hac re contentus Emmanuel Rex tres ad eum legatos misit cum amplissimis muneribus, qua legatione nihil iis temporibus fuit magnificentius, & pro qua singularibus verbis Leo illi gratias agendas censuit (30). Princeps illius erat Tristanus Cugna, qui res praeclaras in India gesserat, cujusque summa erat dignitas: sequebantur Jacobus Paciecus & Joannes Faria magni nominis, magnaeque auctoritatis jurisconsulti. Urbem illi ingressi sunt IV. Id. Martii an. MDXIV. cum magno comitatu, in quo erant tres Cugnae ipsius filii, & cognati, & affines plures, eosque a porta ad hospitium Populus Romanus, & qui obviam illi miserant Cardinales & Principum Legati, praetorianique milites incredibili celebritate & laetitia prosecuti sunt. Erat cum iis elephas Indicus mirae magnitudinis, panthera venatica, magnifice instructi equi Persici, quem regebat Persa venator exi-

mius, clunibus insidens, & haec omnia cum sacris vestibus auro gemmisque distinctis, vasis, calicibus, & altaris pallio summo artificio elaboratis dono Rex Pontifici mittebat. Erat quoque caduceator Lusitanus cum insignibus Regiis, qui Legatis praeibat. Ut ventum est ad eum locum, ubi Pontifex e fenestra hanc pompam spectabat, elephas ter flexis genibus, & demisso corpore venerabundus illum salutavit, deinde proboscide in dolium ingens aqua repletum immissa, aquam hausit, qua non solum circumstantem plebem, sed etiam e fenestris spectantes magno cum Pontificis ipsius risu aspersit. Sexto post die ad eum Legati non minori cum pompa deducti fuerunt; aderant Cardinales, Antistites, Principum Oratores omnisque aula; Paciecus splendissimam orationem habuit, cui Latinis verbis ita respondit Pontifex, ut nil fieri potuisse aptius, nil gravius, nil elegantius omnes judicaverint. Postridie Legati in viridarium, quod palatio adjunctum est, admissi fuerunt, quo in loco munera Pontifici obtulerunt, inde in hortum vicinum, ubi erat elephas & panthera, quae in animalibus ad rem ipsam paratis suam venaticam dexteritatem experta est. Majus quoque spectaculum fuisset, nisi rhinoceros non visum in Italia multis jam saeculis animal, quem Romam devehendum quoque Rex jusserat, ad Ligusticae orae scopulos, cum impeditus catenis enare nequisset, naufragium fecisset. Ad testificandum gratum animum suum Leo Regi rosam auream dono misit, eique concessit, ut Equitum Jacobensium & Cisterciensium Magisterium, cui vellet, assignaret, utque honores, qui Beatis tribui solent, tota Conimbricensi Dioecesi haberentur Elisabethae Dionysii Lusitaniae Regis uxori, feminae vitae sanctitate nemini secundae. Eodem ferme tempore septem Minoritas, qui ab origine ultima familiae in Africa pro catholica religione mortem obierant, in martyrum album retulit. Omnia, quae pertinere ad Dei Sanctorumque cultum, & ad prodenda virtutum exempla illustria intelligebat, studiosissime diligentissimeque curabat, & tum maxime & pietatem & religionem

versari in animo illius dixisses, cum rebus divinis operam dabat. Testatur Jovius vere de illo dictum videri, neminem superiorum Pontificum illo augustius & decentius sacrificasse, neminemque majori studio procurasse, ut caerimoniae & religiones publicae sanctissime colerentur. Videbat etiam, ne quid a ceteris, qui sacris praeerant, fieret, quod a majorum institutis & ab antistitum dignitate abhorreret, probe noscens quam sensim negligentia inlapsa in populorum animos, malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret. Vel in ipsis modis musicis, qui ad Dei cultum adhibebantur, jucundam quamdam severitatem probabat, nec sane tulisset, quod nunc passim fieri videmus, ut cantores cervices oculosque pariter cum modorum flexibus torquerent. Magis etiam magisque apparuit ejus studium sanctioris disciplinae ex iis, quae Concilii Patribus decernenda proposuit, cumque intervenisset querelis Episcoporum, quas habebant de Cardinalibus, quod hi eos non solum juribus quibusdam, sed etiam dignitate fere spoliare volebant, eorum decori auctoritatique consuluit. Ea autem de Cardinalibus ipsis sancienda curavit, quae ad eorum frenandam ambitionem atque luxuriem salutaria, atque temporibus, tanta erat morum corruptela, accommodata videbantur. Bene quidem ac sapienter Concilii Patres judicarunt, hominum, qui in amplissimo essent ordine collocati, vita victuque mutato, mores mutari quoque civitatum, quod vitiosi principes non solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. His autem verbis decretum factum fuit. *Cardinales vitae munditia ac virtutum splendore cunctis praefulgeant: sint omnes vigiles, ac divinis officiis missarumque celebrationibus intenti: in domibus familia, mensa, supellectili sint modestiae & frugalitatis speculum: ministerium indecorum Episcoporum, Praelatorumque in domibus non habeant, sed eos honorifice ut fratres, ac juxta eorum statum ac dignitatem tractent. Ne partialitatem suscipiant aliquam neque Principum, aut Communitatum; vel quorumcumque alio-*

rum contra quemquam, nisi quantum justitia & aequitas postulat, eorumque dignitas & conditio requirit; Promotores aut Defensores fiant, sed ab omni privato affectu remoti sedandis & componendis inter quoscumque litibus omni diligentia vacent incumbantque; Principum & quorumcumque aliorum, ac praesertim pauperum & religiosorum justa negotia pio promoveant affectu; ut Ecclesiarum bona temere ne effundant &c. Praeclara sane lex, sed verendum erat, ut non de Senatu, deque iis Senatoribus, qui tunc erant, sed de futuris, si qui forte illi parere voluissent, lata videretur. Magnum quidem collegio illi se addidisse decus putaverat Leo, quod IX. Kal. Octobris an. MDXIII. in ipsum cooptaverat Laurentium Puccium dandis litteris (Datarium vocant) Julium Mediceum patruelem suum, qui quod justo matrimonio natus minime erat, rem manifestam, editis quibusdam litteris, dubiam se facere posse putavit (31) Bernardum Dovitium Bibienensem Quaestorem, & Innocentium Cybum, quem ejus soror Magdalena ex Francisco Cybo Innocentii VIII. Pontificis filio genuerat. Si vera sunt, ut arbitror quidem, quae de Puccio memoriae tradidit Sadoletus scribens ad Antonium Cardinalem fratris illius filium, minime affirmare verebor, illum sive Curiam regeret, sive Pontificibus, civibus, & exteris lumen sapientiae suae porrigeret, sive bonorum & miserorum caussas tueretur, sive Deo cultum, hominibus autem opem praeberet, nihil praetermisisse, quod Cardinalis proprium officium atque munus esse declaraverat Lateranense Concilium. Minime autem necesse arbitror de Julio dicere, quod ejus vita omnium oculis, ut & omnibus fortunae telis proposita fuit, cum Pontificatum Maximum Clementis VII. nomine per annos ferme XI. gessisset. Hunc profecto dignissimum existimavit Leo, quem rogaret sententiam, & ad quem de rebus divinis, de caerimoniis, de sacris, de omni religionum interpretatione, de rebus patriis, deque bello & pace referret. Desiderasses quidem in Dovitio generis nobilitatem, gravitatemque morum, minime autem ingenium ad omnes res aptum, dexteritatem-

que summam ac prudentiam in negotiis gravissimis tractandis, quam a Laurentio praesertim Mediceo didicerat, cui operam fidelissimam in scribendis epistolis praebuerat. Potuit & reprehendi festinatio Pontificis in honorando Cybo, si hujus spectes aetatem: vix enim tum compleverat XXI. annum. Sed hoc se debere declaravit familiae, quacum propinquitatis & magnorum beneficiorum vinculis erat conjunctus, illa usurpans verba: *quod ab Innocentio accepi, Innocentio restituo*. Praeter quam quod non mediocria ab eo sperabat, quod habebat, quemadmodum significavit Ferdinando Hispaniarum Regi, egregiam indolem conjunctam cum optimis moribus, quos ornabat litterarum & bonarum artium studiis, ut nihil esset adolescente illo probius, elegantius & charius. Usus praesertim fuerat ad illum instituendum opera Juliani Varini Camertis, cui & bibliothecae suae praefecturam commiserat, viri sane litteratissimi & humanissimi, qui miserabiliter obiit in fatali Urbis direptione. Lex tum erat lata in superioribus comitiis, quae vetabat quem creari Cardinalem sine Senatus universi suffragatione, vel absentium habita ratione. Haec quidem ad dignitatem eorum, quos nominavi, accessit, quod ab hominibus assentatione assuefactis obtinere haud difficile fuit.

Sed ut ad Concilium redeamus, alia sane plurima, auctore & approbante Pontifice, ab eo sapienter statuta fuere, de reddendis servandisque juribus Ecclesiae, de coercenda negligentia eorum, qui ab ea bona habebant, de Montibus, ut loquuntur, Pietatis instituendis, de puniendis blasphemis, impuris impudicisque clericis, atque simoniacis, de sacrorum oratorum munere & officio, de sarta & tecta tuenda Episcoporum jurisdictione, deque concordia inter eos & religiosas familias, quae de illorum juribus nimium multa detraxerant, stabilienda, de corrigendo Kalendario in eo, quod pertinet ad Pascha rite celebrandum, qua de re Leo consulendos putavit astronomos, & Lyceorum Italicorum tum theologos, tum mathematicos illustriores (32); de frenanda licentia typographorum

providendoque, ne quid christiana Respublica a malis libris detrimenti caperet, &, ne singula persequar, devoti diris fuerunt, qui ausi fuerant tradere, neque unicam, neque immortalem in cujuslibet hominis corpore inesse animam (33). Plurimum vero laudati pro concione omnes illi Episcopi Galliae fuerunt, qui cum iter facerent Romam versus, & apud Taurinos consistere cogerentur, quod a Maximiliano Sfortia minime veniam obtinere potuerant tuto transeundi per Mediolanensem provinciam, miserant ad Concilium monumenta, ex quibus constabat suorum & collegarum, a quibus mandata acceperant, nomine eos detestari & ejurare acta Concilii Pisani, hoc habere tanquam funestam schismatis & seditionis facem, Lateranensi adhaerescere, eosdemque se submittere potestati atque imperio Romani Pontificis. Haec non tam sua sponte voluntateque, quam Regis auctoritate faciebant. Nam cum hic totos dies & noctes cogitaret de recuperanda Mediolanensium ditione, non negligenda in hoc negotio videbatur Pontificis amicitia. Magnas ille quidem copias comparaverat, atque eduxerat in expeditionem, amplissimaque praemia ductoribus promiserat, si victores in Galliam rediissent. Factum est autem virtute Helvetiorum, quibus occulte Pontifex subsidia pecuniae miserat, ut illae apud Novariam non solum superatae, sed prope ad internecionem pulsae fugataeque fuerint. Litterae ipsae Pontificis, quas dedit tum ad Maximilianum Insubrium Ducem, tum ad Raymundum Cordonam Proregem Neapolis, qui cum sua manu magno adjumento fuerat ad victoriam, satis declarant voluntatem illius, vel studium potius & cupiditatem removendi ab Italia Gallorum arma. Atque hoc quidem feliciter adeo processit, ut nulla nobilior victoria fuisse judicaretur. Qua ne nimis superbiret Maximilianus, cujus fortuna non solum restituta, sed plane confirmata videbatur, magnopere curavit Leo, paternis verbis exhortans eum ad veniam concedendam iis, qui quidem aliquid in illum conati fuerant. Nemo tam sine oculis, tam sine mente erat, qui omnino nesciret, quo spectarent

consilia Pontificis: perinde tamen loquebatur cum Gallorum Regis Legatis, quasi publicae tranquillitati unice studeret, & nascentes dissensiones extingui cuperet. Nihilo tamen minus Caesari, qui cum suis copiis Venetos vexabat, haud recusavit equitum subsidia, quorum imperium dedit Troilo Sabellio, Achilli Taurellio, & Mutio Columnae, quae res Venetis ipsis fuit molestissima. Bellum varium fuit, nihilque gratius Leoni accidere potuit, quam se arbitrum invocatum ad ea definienda, quae in controversiam adducebantur. Eodem tempore postularunt quoque arbitrium illius Lucenses, qui ob pacis ruptam Pisano in bello fidem moleste rogabantur a Florentinis, ut sibi restituerent dominatum Petrae Sanctae & Motroni. Curavit quidem Leo, ut oppida redderentur, utque stabilis ac perpetua inter eos esset concordia.

Quantum voce, viribus, spiritu & lingua poterat, conari videbatur Pontifex, ut pacis, concordiae, compositionis inter Christianos Principes auctor esse diceretur. Cum cerneret vero maxime inclinatum Regis Gallorum animum ad repetendam Italiam, qua foede pulsus fuerat, Neapoli, Mediolano & Genua amissis, nihilque non agere, ut Veneti aliique populi secum societatem & foedus inirent, cumque ipse quotidianis precibus sollicitaretur, ne expeditioni impedimentum afferret, omni opera sibi enitendum putavit, ut ad imminens periculum cautus esset, nullamque Regi inimici animi suspicionem daret. Multae profecto res dehortabantur Pontificem a societate Gallorum, recordatio praeteritorum malorum, quae ipse, tota ejus familia, Florentini sui, & universa Italia ab iis perpessi fuerant, male tuta fides ipsorum, tot gesta vel propter intemperantem superbiam, vel propter utilitatem, quam unice consuluisse videbantur si quando Mediceis auxilia praebuerunt. Neque minus dubitabat Ludovicus de Pontificis animo, augebatque suspicionem, quod cum ad se, statim ac Pontifex creatus est, misisset familiarem quemdam nomine Cyntium, nil nisi bona verba sibi dedisset, quod permiserat Prospero Columnae impe-

perium capere exercitus Mediolanensium Ducis, quod Britanniae Regi significaverat se minime discessurum a foedere, quod cum illo, cum Caesare & cum Catholico Rege Julius II. percusserat, eique stimulos addiderat invadendi cum exercitu in ipsam Galliam, quod litteris humanissimis & promissorum plenis invitaverat Helvetios ad Italiae defensionem, & quod demum suadere conatus fuerat Venetis, misso ad eos Legato Petro Bembo (34), ut si quo modo cum Caesare res ad concordiam deduci potuisset, oblatam occasionem minime amitterent. Multa sane & dixit & egit Pontifex avertendae suspicionis gratia, quamquam nil tam cuperet, quam ne Galli Mediolanensium ditione potirentur. Nuntium interea accepit inducias factas fuisse ad annum inter Ludovicum Regem, Ferdinandum Hispaniarum & Siciliae Regem, Maximilianum Caesarem, & Henricum Angliae, & Jacobum Scotorum Reges; pro qua re litteras ad eos dedit gratulationis & paterni studii plenissimas. Hortari vero non destitit Ludovicum, ne a domesticis periculis vacuus arma ad Italiam converteret, neque recusaret, si quid juris haberet in amissa regna, ex aequo potius & bono, quam armis disceptare, qua in re *non modo aequitatem suam, sed etiam benevolentiam fore paratissimam promisit*. Ceterum nunc agendo, nunc promittendo, nunc differendo, nunc simulando Leo suspensos tenere volebat eos, qui novas in Italia sibi comparare dominationes contendebant, fore fortasse sperans, ut aliquando suum sibi negotium agere liceret. Suae quidem rei duxit secreto pacisci foedus ad annum cum Caesare & Rege Catholico, quo se se mutuo adstringebant ad defendenda, quae possidebant, eodemque tempore significavit Sanseverino Cardinali, qui Galliae Regis negotia Romae procurabat, quoniam minime sinebant tempora, ut aperte cum eo consentiret, cupere se tamen, ut conjunctionis initia ponerentur, neque se passurum unquam, ut ejus potentia & gloria minueretur. Fertur etiam secreto sollicitasse Gallos ad maturandum iter in Italiam, recuperandumque Mediolanum, quod cum

minime facturos confideret & propter anni tempus (hiems enim appropinquabat) & propter difficultatem pecuniae, facilius illis probari posse credebat se minime inimico in ipsos esse animo. Ad haec spem in iis movit Helvetios, quamvis rebus gestis superbientes, nihil molituros, & Octavianum Fregosium Genuensium Ducem cum illis consensurum in recuperanda Genua, ac proinde minime dubitarent ad praedam & ad gloriam properare. Nemo profecto in dubium revocabit, quin omnibus his in rebus multa simulate & malitiose egerit Pontifex. Temporibus enim servire, potentiorum neminem in se irritare, & bellorum fluctus a sua ditione repellere volebat.

Ex litteris, quas ad Raymundum Cordonam Neapolis Proregem misit, cognosci quidem potest magnae ei curae fuisse; ut quoniam in fidem & clientelam suam receperat Genuam urbem, ne illius status, qui magna cum omnium civium voluntate suaque diligentia fuerat constitutus, aliqua ex parte turbaretur ab Adurnis & Fliscis, qui Helvetiorum armis sustentati ad illam oppugnandam accesserant. Ea propter misit eo triremes suas, nullaque non prece sollicitavit Proregem ipsum, ut oppidum egregium, cujus in salute posita erat Italiae tranquillitas, ab imminenti periculo, consilio, auctoritate, & armis etiam, si opus fuisset, liberaret. At vix dum instituta oppugnatione, Helvetii, fortasse ob non soluta stipendia, discesserunt, conjuratoresque fugae se mandarunt. Haec sane ex animo gerebat Leo; nihil vero minus volebat, quam consociari cum Gallis, quamvis multa obtegeret, quae ficte reconciliatae gratiae suspicionem movere poterant, & ea loqueretur, quae ad praesentem fortunae suae statum convenire arbitrabatur. Sunt tamen, qui putant eum non tam a se alienare noluisse Gallos, quam allicere ad recuperandum per injuriam ademptum Neapolitanum regnum, haud dubitantem, quin, confecto bello, occulti foederis praemio vel propagare Romani imperii fines, vel Juliani fratris fortunae consulere potuisset. Nam iis temporibus Romani Pontifices

non solum magna, sed etiam immoderata cupiebant, nec tam continentem fuisse arbitraberis Leonem, quin, dum sua aut conservare, aut recuparare studebat, aliena quoque concupisceret. Ad suam quidem potentiam dominatumque convertere meditabatur Ferrariam urbem, & cum jam teneret Regium Lepidi contra promissum, quod fecerat Hippolyto Atestino Cardinali, triginta amplius millibus numis aureis Mutinam a Caesare coemit, quemadmodum Julius II. moriens faciendum esse monuerat. Per fideles amicos ad se se animos convertit Parmensium & Placentinorum, qui, mortuo Julio, in potestatem venerant Mediolanensium Ducis, nihilque non egit, cum ab illo descivissent, ut in sui & Ecclesiae Romanae fide retineret. *Et quoniam diligentiam adhibui* (in haec verba illos hortatus est) *ut sub Reipublicae imperium rediretis, redeuntes, nunc vos paterno amore charitateque amplector, atque recipio, dabiturque a me opera, ut vos perinde tractem, ut neque meae diligentiae in vobis recuperandis, neque vos vestri in Rempublicam studii, observantiaeque poeniteat*. Cotignolam etiam, aliaque oppida in deditionem recepit, quae dum prospere procedebant, neque se passurum profitebatur, ut jura Sedis Apostolicae violarentur, non satis occultabat cupiditatem parandi suis opes atque potentiam. Hos enim impense amabat, liberalitatemque, qua utebatur in eos, effusionem imitari videbatur. Studiis Pontificis respondebat Populi Romani assensus, vel potius adulatio. Nam Julianum, qui magno cum comitatu, magnaque cum pompa exeunte Aprili Romam venerat (35) civitate donavit, ediditque in ejus honorem ludos scenicos, ligneo theatro in area Capitolina extructo, ubi per biduum summo concursu actus est Plautinus Penulus (36), variaque subinde poemata jucundissimi argumenti decantata (poesi enim is inprimis delectabatur, cum componeret ipse carmina elegantissima) adeo exquisito rerum omnium apparatu, ut revocata veterum Romanorum magnificentia videretur. Tale vero studium cum non posset non summe esse jucundum Pontifici, ad testificandum gratum

animum suum vectigal salis imminuit, amplificataque triumvirali Conservatorum Urbis potestate, praemiis & immunitatibus publice privateque Romanos est prosecutus. Haec beneficia, quae gratissima omnium civium memoria erant inclusa, auctoritate etiam publica testata sunt. Marmorea enim statua a Jacobo *del Duca* Siculo sculpta in Capitolio posita est cum hac inscriptione: OPTIMI LIBERALISSIMIQUE PONTIFICIS MEMORIAE S. P. Q. R. Atque hic idem Populus cum non multo post a Pontifice Julianus Ecclesiae Vexillifer (Capitaneum etiam vocabant) renunciatus fuisset, tot publicae laetitiae edidit signa, perinde ac si sibi honos ille donatus fuisset.

Non minora benevolentiae testimonia praebuit Leo Ursiniis suis. Curavit enim, ut componerentur controversiae, quae erant inter eos & Cameriae Dominum, initamque concordiam matrimonio firmavit; Jordano castella duo Sedi Apostolicae pignori data restituit, & aureorum numum quatuordecim usque millia condonavit, nulloque non beneficio & honore illum omnesque suos se prosecuturum declaravit. Prorsus multos obstringere sibi volebat, magnoque beneficio affecit Venetos cum a Gallorum Rege obtinuisset, ut e custodia emitteretur Bartholomaeus Alvianus, eorumque iterum stipendia mereret. Ejus enim virtuti in primis confidebant, indigebantque strenuis ducibus, cum ad recuperandam Veronam aliasque urbes ab Hispanis captas toto animo intenderent. Extant Petri Dovitii litterae Pontificii Oratoris apud Venetos ipsos, quibus Leonem docet, quantum ii ejusdem bonitati studiisque conficiendae pacis confiderent, quo in proposito ut ipsum confirmarent, utque obedientiam summo Ecclesiae Rectori praestarent, decem usque nobilissimos civitatis Romam legatos miserunt (37), qua legatione nihil sane fuit splendidius. Consuluit & aequitati, cum jussisset reddi Lucensibus, quae per vim Florentini, excursione facta in illorum agrum, iisdem abstulerant. Haec quidem erant gloriosa Pontifici; non pari modo quae praescripsit de sacerdotiorum & mo-

nasteriorum, quae sunt in ditione Florentinorum, decumis, ex quibus triginta millia aureorum numum quotannis & per triennium exigi debebant, specie consulendi Reipublicae aerario praeteritis calamitatibus exhausto, & parandi bellum adversus Turcas. In eo quoque reprehensionem minime vitavit, quod Fabianum Lippium Aretinum Regium Lepidi & Mutinam misit, ut Juliani fratris nomine illarum urbium possessionem caperet, cui cum Mutinensium multi, factum indignantes, resisterent, adfuit cum copiis Franciottus ad eos comprimendos atque puniendos. Quod autem per illos dies Romam Pontifex acciverat Laurentium Mediceum, qui cum esset constitutus administrator rerum Florentinarum, nunquam didicerat auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, neque usum, & scientiam, & studium ad Rempublicam moderandam unquam contulerat; permirum omnibus visum est tantum illi concedere Pontificem ipsum, ut omnia tempora exploraret, omnesque quaereret occasiones illius augendae potentiae atque dignitatis. Erant quoque Romae Contessina Petri Ridolphii, & Magdalena Francisci Cibi uxores & Pontificis sorores, nec non Alphonsina Laurentii ipsius mater, quarum ambitioni adeo indulsit Leo, ut earum caussa effusissimos sumptus faceret. Non diu vixit Contessina: mortem enim obivit illo ipso die, quo Julianus Vexilliferatus insignia accepit, qui fuit ad III. Kal. Quintilis an. MDXV. Lipus quidam, cum ei funus amplissimum in S. Augustini aede Pontifex faciendum curasset, de laudibus illius orationem dixit, nec Praesules modo, & Principum Legati, sed & primariae feminae exequias decorarunt. Profecto si tantum fuisset studium Pontificis in Sedis Apostolicae rebus administrandis, quantum fuit in comparandis opibus propinquis & necessariis suis, neque ita obsecutus esset voluntati eorum, & naturae & consuetudini suae, ut nullum modum in largiendo teneret, magnis justissimisque reprehensionibus caruisset.

Quo facilius id, quod eorum caussa volebat, consequi posset, societates atque amicitias potentiorum studiose colebat; sed is erat publicarum rerum status, ea conditio temporum, ut cum inter se perpetuis odiis dissiderent Catholici Reges, uni favere non posset, quin alterum offenderet. Magnopere confidere videbatur Henrico Anglorum Regi, qui cum victor pacem Galliae Regi obtulisset, ceteras inter conditiones decrevit, ut Pontifici oppida, castella, villae redderentur, & pro illius arbitrio res Genuensium administrarentur. Sunt quidem testes eximii studii Henrici in Pontificem litterae, quas ad eum dedit, postquam Pontifex ipse de concordia hac confirmanda plurimum adlaboraverat (38). Non aeque valuere studia Leonis ad avertendum Ludovici Regis animum ab Italicis rebus: prorsus enim hic suae gloriae, suaeque dignitatis esse putabat recuperare Mediolanensium ditionem, quare nunquam orare cessabat Leonem, vel ut amicitiam secum jungeret, vel saltem ut ne teneretur alienis foederibus. Contra ea Caesar datam fidem proponebat, hortabaturque Leonem, ne proderet patriam, universamque Italiam, quae praeteritis exemplis edocta nil tam timere debebat, quam Gallorum ambitionem atque perfidiam. At dum Ludovicus maxime intentus erat, ut quantae maxime possent peditum equitumque copiae in Italiam trajicerentur, Kalendis Januarii an. MDXV. diem obiit supremum magno sane cum suorum luctu, quod ejus singularis bonitas, & aequitas commune omnium perfugium esse videbatur. Cum nullos reliquisset liberos Salicae legis jussu, in illius locum successit Franciscus Valesius hujus nominis I. adolescens aetate, corporis forma, liberalitate, humanitate, omnibusque ingenii & animi virtutibus, & Gallorum studiis sane commendatissimus. Cum hoc affinitatem habebat Julianus Mediceus; duxerat enim hic anno ante in matrimonium Philibertam Caroli Ducis Allobrogum, atque Regis ipsius matris sororem (39), quare eum ceterosque Mediceos cura maxime tenebat, ut tam nobilis ac potentis Regis benevolentiam ac studia magis

magisque sibi conciliarent. Pontifex ipse suadebat Laurentio, ne differret sui & Reipublicae Florentinae nomine Legatos ad eum mittere, per quos suas civitatisque fortunas ejus fidei commendaret, commemoraret vetera Gallorum in Mediceos merita, paternum pro iis effusum sanguinem, & constantem Senatus, Populique Florentini erga eos voluntatem. Haec eo spectabant, ut si bellum Italicum a Francisco susciperetur, satis esse caussae putaret, quare nullum Mediceis & Florentinis detrimentum afferret. Et toto quidem animo is ferebatur ad educendum exercitum in hanc expeditionem, pro qua tot apparatus fecerat Ludovicus, & a qua maximam gloriam, cujus erat avidissimus, se consecuturum sperabat. Misit itaque Legatos Venetias, qui de foedere antiquo renovando agerent, spemque accendit in Pontifice ei suisque se minime defuturum, si cum liceret iis nullius esse partis, cum inimicis suis minime consentirent, & in retinenda Reipublicae dignitate unice adlaborarent. Principio simulavit se cum Helvetiis rem habere velle, quorum odium in Gallos nec precibus mitigari, nec utilitate deponi, nec vetustate sedari posse videbatur. Sed nemo dubitabat, quin ad occupandum Mediolanum tota mente, totisque viribus intenderet, cujus se Ducem dixerat, cum Galliae regni possessionem occupavit. Ea propter convenerunt apud Helvetios ipsos Caesaris, Hispaniarum Regis & Mediolani Ducis Legati, deque foedere inter se paciscendo consenserunt, tempore constituto Pontifici, quem constabat nil tam cupere, quam avertere Gallorum furorem ab Italiae pernicie, in illud transeundi. Sed hic suo more rem differre ac procrastinare, ambigua & flexiloqua verba respondere, ut sibi liberum esset vela eo dare, quo se inclinasset fortuna. Prius quam quidquam decerneret (quanquam plurimum de decernendo stimularetur ab Alberto Carpensi, & Hieronymo Vichio Caesaris & Catholici Regis Romae Legatis, quibus summam rerum omnium fidem habere videbatur) Franciscus Rex misit ad eum Guilelmum Budaeum, quo nemo erat iis temporibus Graecis

Latinisque litteris omnique eruditionis genere, ac praesertim notitia antiquitatis peritior, posteaque Antonium Mariam Pallavicinium virum Pontifici ipsi acceptissimum, qui, quod fere libenter homines id, quod volunt, credunt, Regi retulerunt Leonem ab illius amicitia minime defecturum. Quod non minus ex usu suo fore intelligebat Franciscus, si Octavianum Fregosium, qui principatum, ut diximus, Genuae tenebat, in partes suas traxisset, suasit illi magno cum sui & civitatis periculo futurum, si homines bellicosos, finitimosque hostes haberet, quare ne differret secum amicitiam jungere. Aegerrime tulit Pontifex, quod non modo injussu suo (hominem enim mirificis obstrictum habebat beneficiis, sic ut quidquid esset, quodque viveret illi se debere profiteretur) sed etiam se insciente id fecisset, nec ad offensionem minuendam valuerunt litterae, quibus multis verbis narravit caussas, quae sibi necessitatem hujus novae conjunctionis imposuerant. Nihil enim tam optabat Leo, quam ut ne quis in bene constituta & libera civitate dominaretur, cujus studii paullo antea documentum dederat, cum pericula a Mediolanensium Duce & Adurniis illi intenderentur. His enim verbis scripserat tum ad Fregosium ipsum, tum ad Magistratus. *Egimus cum Florentinorum Magistratibus, Laurentioque Mediceo fratris nostri filio, mandarent iis equitibus, qui Pisis sunt, ut ad vos tuendos defendendosque contenderent, vobisque praesto essent quo tempore, quo loco jussissetis; quod si vobis opus erit majore auxilio, Florentinorum equites milites que, quotquot habent, & nostrae copiae omnes ad vos, statumque vestrum & dignitatem retinendam atque oppidum conservandum & confirmandum celeriter trajicientur.* Facturos se in praesentia, quod vellet, Magistratus responderunt, sed metu Mediolanensium mutarunt postea consilia, minime praevidentes ex foedere Gallorum nihil praeter nomen Reipublicae se habituros.

Cum jam omnia comparasset Franciscus ad bellum Italicum, ducesque eos delegisset, qui summam scientiam rei militaris habe-

bere existimabantur, quibusque ipse praeesse volebat summus exercitus imperator, omnibus iis cupientibus, quasi ad certam victoriam progrederentur, ac novo aperto itinere inter maritimas & Coctias alpes, Sextili mense an. MDXV. in Italiam pervenit. Priusquam proficisceretur, convenerat inter Pontificem & Caesarem de parandis copiis ad illius impetum atque ardorem reprimendum. Dolebat vero Leo, quod hujus belli caussa studia Caesaris minuerentur de persequendis Turcis, quam ob rem, moliente maxime ejus legato Strigoniensi Cardinali, Vindobonae convenerant Poloniae, Bohemiae ac Pannoniae Reges, & aliorum Principum Oratores, atque plures Germaniae Episcopi. Testatus Deum hominesque Maximilianus eo in conventu professus est, nihil unquam se magis concupivisse, quam ut omnes vires suas ad restinguendos Turcarum conatus conferret, sed videri eam sibi datam conditionem imperii, ut omnes acerbitates perferret, cum conquievisset nunquam ab intestinis discordiis, & a bellis, quae Ludovicus XI. Carolus VIII. & Ludovicus XII. sibi intulerant, cogereturque a Francisco I., quoniam Italiae pro sua dignitate deesse non poterat, duodecim usque millia Helvetiorum conscribere, iisque jungere copias suas, quas in ipsa Italia habebat, ad illam Gallorum periculo liberandam. *Haec si nos remorantur* (sic clausit orationem suam) *si contigerit tamen, quod & a Deo, & a studiis Pontificis, Catholicique Regis speramus, ut tandem aliquando tot malorum finis sit, minime profecto patiemur plus apud nos valere vocem et voluntatem foederatorum, quam susceptum Christianae reipublicae munus.* In hanc dimicationem duorum potentissimorum Regum omnes gentes animos intenderunt; priusquam autem audiretur Franciscum alpes transgressum, ejus dux Palicia cum quatuor alis equitum superiora Perosae montis juga, ductantibus alpinis agrestibus, transgressus, inopinato Prosperum Columnam, in quo maxime Mediolanensis belli fortuna niti videbatur, oppressit. Erat is in Villae Franchae oppido, quod Salutio VII. millibus passuum abest, &

quia nihil adversi ex ea parte suspicabatur, profectionem parabat, ut se jungeret Helvetiis, qui eas vias intercludebant, per quas patefieri posse Gallis aditus in Italiam putabatur. Cum eo captus est Petrus Marganus Romanus, magnaque pars militum, quibus imperabant, ceteris in fugam conversis. Hac re audita a Pontifice, qui mense ante secreto foedus pepigerat cum Caesare, Hispaniarum Rege, & Mediolanensium Duce, eaque propter mandaverat Laurentio Mediceo (nam Julianus longa & periculosa febri in ipso itinere correptus fuerat) ut copias suas in Cisalpinam Galliam deduceret, sibi timere coepit, & non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intellexit, ne Gallorum iram in se suosque concitaret. Si aures praebuisset Dovitio Cardinali, tutius existimasset reddere Bentivolis & Ferrariae Duci, quae Julius II. iis ademerat, ne augeretur inimicorum numerus, sed obstitit Mediceus Cardinalis, quem paullo ante Bononiae Legatum creaverat, cui praestare visum est omnes difficultates perpeti, quam, tanta infamia accepta, omnium suorum voluntates alienare. *Etiamsi honor noster vobis vilior esset* (in haec verba litteras ad Pontificem scripsisse dicitur) *salutem certe charam futuram puto tot nobilium fidelissimorumque hominum, qui omnia sua devoverunt Romano Pontifici, ut patriam tyrannis liberarent*. Erat Vercellis Franciscus Rex, quando a Sabaudiae Duce primum audivit de foedere inito a Pontifice, deque studiis ab eo per Marcum Sedunensem Cardinalem adhibitis ad inflammandos magis magisque contra se Helvetios, quod quamvis molestissimum illi acciderit, edicto tamen vetuit, ne quis detrimentum, aut injuriam afferre auderet urbibus atque oppidis, quae in illius ditione erant, sperans aut benefactis, aut periculo rerum suarum ipsum ad mutandam fidem trahi posse. Jam omnia prospere Gallis succedebant, captaque Alexandria Statiellensium & Ticino, cum pugnam commisissent ad Marinianum, incredibili virtute, ac multis acceptis vulneribus, Helvetios superarunt. Nunquam majori contentione ac ferocia pugnatum est, inclinantemque principio fortunam

una potuit Regis fortitudo atque prudentia tum in adeundo vitae periculo, tum in ordinibus servandis revocare. Helvetii, qui superioribus victoriis freti in suorum virtute totius Italiae salutem positam putabant, quique palam dictitabant, se effecturos, ut is locus, ubi constitisset Gallorum exercitus, varius linguis, moribus, diversisque cupiditatibus affectus, duce adolescentulo, ex illorum calamitate & internecione nomen caperet, aut memoriam proderet, magna suorum parte amissa (cecidisse enim supra septem millia dicuntur) consternatique animo domum redierunt. Tum Mediolanenses ad Regem Legatos miserunt, seque in deditionem ut reciperet petierunt, omnia, quae postulasset, ab se fore parata affirmantes. Qua re impetrata, ceteri illius provinciae populi eorum exemplum secuti sunt. Expugnandae tamen supererant arces tum Cremonae, tum Mediolani, in quam confugerat Maximilianus Dux, quae res bene quoque & feliciter gesta est.

Hujus victoriae nuncio accepto, Pontifex satis animose egit cum foederatorum Legatis, ne a suscepto negotio se removerent, stipendiis afficerent Germanos, si Helvetiorum auxilia defecissent, quorum opera forti & fideli saepe Respublica usa fuerat, omnique vi fortunae resisterent. Vehementer etiam egit cum Britanniae Rege, ut ad removenda ab Italia Gallorum arma, iis bellum inferret, quodque minime ignorabat apud illum & amore & auctoritate plurimum posse hominem ambitiosissimum Thomam Vulsaeum Eboracensem Episcopum, hunc Cardinalem creavit. Sed haec frustra fuerunt, cumque in victoria alacris exultaret Francisci Regis ambitio, palam dictitabat, Florentinis veteribus amicis suis libertatem se restituturum, neque laturum, ut Parmae & Placentiae urbes a Mediolanensium ditione sejungerentur, quam tot laboribus ac periculis sibi comparaverat. Tantorum impendentium sibi malorum metu permotus Leo, minime cunctandum existimavit de concordia concilianda. Hac de caussa misit ad Regem Ludovicum Canosam Tricarici Episcopum, jussitque Laurentium Mediceum, qui cum

Pontificio exercitu Placentiae erat, hostile nihil tentare. Sane magnopere optabat Franciscus Rex amicitiam jungere cum Romano Pontifice, reminiscens quot mala peperisset Julii II. in Gallos odium. Itaque paucis cum esset in utramque partem disputatum, cumque in istam pacificationem se quoque interposuisset Carolus Allobrogum Dux, cujus studium in Mediceos minime erat obscurum, res huc deducta est, ut Rex in fidem reciperet Pontificem, Julianum, Laurentium & Florentinos, ut liberum esset Cordonae Proregi per Pontificias provincias Neapolim copias reducere, ut Pontifex revocaret Verona milites, quos Caesari adversus Venetos subsidio miserat, ut Regi possessionem Parmae & Placentiae concederet, pro quo promissum est Mediolanenses omnem salis copiam Cervia comportaturos, ut Mediceis ipsis annuam pecuniae summam, & Juliano in Gallia ditionem aliquam (fuit haec Namurci Ducatus) Rex se daturum sponderet, & ne a Florentinis dura exigeret, idcirco quia foedus initum cum Ludovico XII. violaverant. His conventis, Laurentius supplex ad Regem ivit, Canosa vero, citatis equis, ad Pontificem contendit, ut illa rata ac firma haberet (40). Coactus hic necessitati parere, jussit magistratus Parma & Placentia decedere, ut nequaquam eas urbes de manu tradidisse, sed deditionis arbitrium ipsarum civibus reliquisse videretur, sperans infamiae notam, quam tum summo cum animi dolore subire cogebatur, posse, reflante fortuna, resarciri. Ceterum Regi ipsi significandum curavit, amicitiam illius sibi ornamento & praesidio, non detrimento esse oportere, idque se ea spe petiisse. Ad quae respondit Rex, neque suam, neque Gallorum consuetudinem pati, ut bene de se meritis injuriam faceret, tantummodo reminisceretur eas urbes ad Mediolanensium ditionem pertinere, addiditque cupere se vehementer, ut de iis rebus, quae inter ipsos agi coeptae, neque perfectae essent, cum eo sermonem habere, quare locum & tempus colloquio constitueret. Colloquendi erant caussae Pontifici, qui non tam Italiae saluti, quam suorum fortunae consulere volebat. At

cavendum putavit, ne Rex cum copiis aut Romam, aut Florentiam veniret, indeque aut ipse, aut populi novarum rerum molitionem quaererent. Itaque operam dedit, ut Bononiam accederet, quo se quoque, stato die, accessurum promisit. Rem ad concilium Cardinalium detulit, quos Viterbii convenire jussit in festo omnium Sanctorum, ex iisque nonnulli fuerunt, qui Pontificiam majestatem minui putarunt, si alio in loco, praeter quam Romae, Leo Regem exciperet. Hoc autem est exemplum litterarum, quas hac de caussa ad Cardinales absentes singulatim misit.

Dilecte Fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Accepit, quemadmodum Deo O. M. placuit, eas pacis conditiones, quas ei dedimus, carissimus in Christo filius Franciscus Rex Christianissimus, libentique animo nobiscum & cum Sede hac sancta foedus inivit, quam rem non solum eidem Sedi, sed universae Reipublicae Christianae speramus, ac confidimus in Domino maxime utilem & salutarem futuram. Nunc autem cum existimaremus ad ejusdem Sedis & Reipublicae dignitatem magnopere pertinere, ut de tota re, ejusque partibus te reliquosque fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales quam primum consulamus, ut quae agenda deinceps sint, communi omnium sententia constituantur, peto abs te, ut, omni mora postposita, quod commodo tuo fiat, Viterbium ad nos te conferas, qua in urbe ad III. Kal. Novembris erimus. Id erit & prudentiae tuae ac dilectionis, quam Apostolicae Sedi Christianoque nomini debes, maxime proprium, & nobis vehementer gratum. Datum Corneti sub annulo Piscatoris die XXI. Octobris MDXV. Pontificatus nostri anno III.

Quia mos erat, absente Pontifice, creari Legatum, qui ejus nomine res urbanas administraret, hoc munus mandavit Soderinio Cardinali, non tam propter merita hominis, quam propter metum, ne quid ab eo Florentiae, si eo secum accessisset, turbaretur. Eodem tempore nominavit, quos comites itineris habere volebat, quo in comitatu fuerunt XX. Cardinales (pauci enim per caussam valetu-

dinis in Urbe remanserunt) magnus Praesulum, & Curiae Romanae ministrorum numerus, Cum iter Senas versus dirigeret, pervenissetque jam ad Aculam urbem, litteras a Senensibus accepit, quibus rogabatur, ne magno cum comitatu ad eos veniret propter commeatus inopiam. Quare, mutato consilio, praemissisque via breviore Cardinalibus nonnullis, ipse per Arni vallem Cortonam contendit, ad cujus agri fines venerunt quoque sex Reip. Florentinae Legati, qui ei honorem haberent. Triduum Cortonae fuit in aedibus Julii Passerinii, qui in ejus comitatu erat, & ex iis, quae eo in loco gessit, secum pietatem, sanctitatem & religionem affuisse judicasses. Perrexit inde Aretium, & antequam Florentiam ingrederetur, triduum constitit in suburbano rure Jacobi Jamfiliatii, quod *Marignolle* dicitur, ut spatium Florentini haberent ea parandi, quae ad tantum hospitem excipiendum fieri decreverant, quaeque continuae pluviae impediverant. Nihil enim relictum est, quod ad ornatum viarum, locorumque omnium, qua Pontifex iturus erat, excogitari potuisset. Vidisses arcus cum inscriptionibus & picturis, obeliscos, columnas, trophaea, statuas, disjectas portas, ac populum exultantem laetitia, ac triumphantem gaudio, quod reviseret civem, per quem civitas, omnibus licet ornamentis naturae & artis supra ceteras Italicas abundaret, maxime decorata fuerat. Ingredienti in urbem die S. Andreae festo adfuerunt collegia, & summus magistratus cum Vexillifero, qui tum erat Petrus Ridolphius Pontificis ipsius levir, clerus omnis, & omnes religiosae familiae, supplicationum more incedentes, ac centum usque nobiles juvenes pretiosissimis vestibus induti, qui omnes illum ad majus Templum, posteaque ad coenobium, ut appellant, S. Mariae Novellae, ubi pernoctavit, deduxerunt. Postera die adiit templum B. M. V. ab Angelo Salutatae, ac paternas aedes, ubi lecto tenebatur Julianus frater, & ubi habitare, mutato consilio, destinavit; insequenti autem, quae erat Dominica prima Adventus, rem divinam fieri jussit in Basilica S. Laurentii, cui & ipse interfuit, dumque genua submit-

sit ante sepulcrum Patris erratorum veniam illi a Deo precaturus, visus est illacrimari, reminiscens ornamenta, quae ipse, communis patria, universa Italia, litterae, ac boni omnes ab illo acceperant. Antequam Florentia discederet (discessit autem tertio die postquam ad illam venerat) egit cum Cardinalibus de ratione, qua tractari debebat Galliae Rex, cupiens non tam dignitati, quam personae servire. Binos destinavit Cardinales (fuerunt hi Fliscus & Mediceus) qui obviam ipsi Regi irent ad fines usque Pontificiae ditionis, quatuor autem Antistites, qui eadem de caussa Parmam usque contenderent. Dies, quo Bononiam ingressus est, fuit V. ante idus Decembris (nam nocte antea in suburbana domo Cruciferorum habitavit) cumque civitas neque apparatu, neque verbis, neque vultu signa ulla laetitiae dedisset, contra plurima moestitiae atque rusticitatis, satis apparuit Bentivolorum caussa haec accidisse. Etenim intus erant contrariae factiones, quarum altera, veluti servitute erepta, eos prorsus deleri optabat, altera vel ab inferis ipsos revocasset, cumque non satis constaret cuinam Pontifex esset satisfacturus, potius quam gaudium, iram agitare videbantur. Vel pueros avidivisses clamantes *serra*, *serra*, quod est Bentivolorum stemma. Sane in quibusdam vix risum tenere potuit Pontifex, dolentique Grassio, qui, ut diximus supra, erat illi a caerimoniis, & qui haec memoriae mandavit, quod male adeo a Bononiensibus suis consultum fuisset illius honori, respondit, se gratias illis agere, quod ridendi materiem sibi dedissent. Ceterum multa irati in illos animi signa dedit, adeo ut nonnulli e Cardinalibus nimiam ejus lenitudinem increpare visi fuerint.

Triduo postquam venerat Bononiam Pontifex, eo quoque venit Franciscus Rex cum omnium fere principum & liberarum civitatum legatorum & nobilissimorum ducum comitatu. Obviam illi progressi sunt extra portam, quae Sancti Felicis dicitur, quotquot erant Bononiae Cardinales, qui majestatis verecundia caput nudarunt. Ab his deductus est ad Pontificem, cum quo per triduum in

publicis aedibus habitavit, quod satis diu putavit Leo, quia verebatur, ne Bononienses inde motus excitandi occasionem arriperent. Sane nullum officii genus praetermisit, quo sibi in perpetuum obstringeret florentissimum Regem, utque odium, quod Galli omnes in Romanum Pontificem ob ea, quae gesserat Julius II., jamdiu conceperant, deponerent (41) & quia id melius semper putabat, quod erat splendidius & magnificentius, dedit operam diligentissimam, ut non modo animos & studia Gallorum, sed etiam oculos in se converteret. Quindecim millibus numis aureis aestimata est crux pretiosissimis gemmis distincta, quam Pontifex Regi dono dedit (42); curavit ut abunde omnia essent, quae ad epularum apparatum pertinebant, atque in ipsa re divina facienda pompam minime contempsit. Quodvis donum & praemium religionis caussa Regis asseclae ab illo optarunt, id optatum tulerunt, nec recusavit Cardinalem creare Hadrianum Boisium, qui Arcturi Regiae familiae magistri frater erat & Episcopus Constantiensis. Tanta porro inerat comitas Leoni, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, ut non Franciscum modo Regum humanissimum, & omnis politioris elegantiae cupidissimum, sed barbarum etiam & hostem infestissimum facunde alloquendo sibi facile conciliare potuisset. Itaque cum primum in colloquium venit (magnificum sane spectaculum binos Principes, quorum res gestae iisdem, quibus solis cursus regionibus ac terminis continentur, uno die pacem amicitiamque invicem petentes convenisse) in suum decus nomenque quidquid ageretur vertere se posse speravit. Spectavit praesertim Rex ad depellendos subsidiis Pontificis Italia Hispanos, ratus fore, ut pro suo jure Regno Neapolitano facile potiretur. At Pontifex, qui Gallum maximae partis Italiae imperium obtinere nolebat, ne ipse inanibus promissis deceptus servire postea cogeretur, se non admissurum dedecus respondit, ut a societate Aragoniorum palam recederet, antequam pacti foederis tempus effluxisset, post hoc (sexdecim enim menses supererant) omnia a se expectaret. Actum fuit

quo-

quoque de restituenda Mutina & Regio Lepidi Ferrariae Duci, deque in gratiam reducendo Urbini Principe, qui cum stipendia mereretur Pontificis, antea jungere copias suas cum Laurentio Mediceo, qui successerat vicarius muneri Juliani patrui, cui Florentini copiarum suarum imperium dederant, recusaverat, idcirco quia secreto cum Gallis societatem coiverat. Pontifex numeratam Caesari pecuniam Mutinae caussa, factosque in eam sumptus ostentans, urbem se non redditurum affirmavit, nisi solutum recuperasset; sic vero increpavit infidelitatem Urbinatis, ut ne quod perniciosum, atque imperantibus maxime fatale exemplum proderetur, haud illi ignoscendum esse probaverit. Facilem in eo se praebuit, quod spectabat ad sacerdotiorum majorum nominationem, quam a Collegiis & Capitulis in Regem ipsum transtulit, cui & jus concessit decimam partem fructuum hujusmodi sacerdotiorum per annum exigendi (43). In eo vero negotium suum agere putavit, quod a Rege obtinuerit, ut nova fieret aestimatio fructuum sacerdotiorum ad annuum praebendum Pontifici, quando vacabant; nam si stetisset antiqua, non multum inde emolumenti accepisset: sed facile fuit iis, quibus haec res mandata est, datam fidem fallere. Haec cum conventa fuissent, magna spe & laetitia omnium discessum est (44): Rex enim Mediolanum, neque multo post in Galliam, motus conatusque Caesaris, & Hispaniae Britanniaeque Regum timens, Leo vero Florentiam est reversus. Fuit hic ab XI. Kal. Januarii ad XI. usque Kal. Martii. Commutatam esse annonam questi sunt Florentini, quae quia in Pontificis reditu facta erat durior, ab illo, cujus adventu fore vilitatem populus dictitabat, flagitabatur. Propositum quidem erat Pontifici omni ratione allicere benevolentiam suorum civium, sed multae erant caussae penuriae earum rerum, quae ad victum sunt necessariae, quam ob rem, teste Grassio, magna pars Pontificiae aulae ad Urbem redire maturavit (45). Plurima is tamen vestigia reliquit suae liberalitatis, bona, fortunas, ornamenta multorum auxit, aureo ense & pileo Vexilliferum donavit, fecitque,

ut plures, quorum ratio voluntasque a Mediceis longissime abhorrebat, praeclarum ducerent eorum imperio se submittere. Nuncium interea accepit ex hac vita migrasse Ferdinandum Aragonium Hispaniae Regem, virum prudentia, aliisque virtutibus, felicitate partisque victoriis tum in Africa, tum in Italia clarissimum, ob quam rem arctiora fore vincula foederis videbantur, quod paullo ante Pontifex ipse & Franciscus Rex percusserant. Hic quidem statim animum intendit ad recuperandum Regnum Neapolitanum, cujus belli & participem, & socium & adjutorem fore sperabat Leonem. Sed hic nihil minus volebat, quam augeri in Italia Gallorum potentiam, quasque ad Carolum, qui in Ferdinandi, ex cujus filia genitus erat, locum & jura successit, Florentia litteras dedit, satis illae quidem declarabant eam voluntatem, quam semper habuerat erga Aragonios, in illorum successorem se retenturum. Tantum nolebat huic sic aperte studere, ut Francisco Regi suspicionem ficte reconciliatae gratiae afferret: retinuit enim semper consuetudinem obediendi temporibus, obtegendi artificio simulationis cupiditates suas, blandiendique iis, quos illis servire posse sperabat. Minime autem dissimulare poterat in constituendis Reipublicae Florentinae rebus, decorandisque honoribus primariis viris spectare maxime ad suorum potentiam confirmandam, cumque omnia illorum caussa faceret, utilitas saepe cum honestate ita certabat, ut saepe superior discederet. Miseris perditisque temporibus permirum fuisset, si siluisset adeo dominandi cupiditas, ut aut veteri occupatione, aut victoria, aut lege & pactione omnibus rebus compositis & adjudicatis, constans & perpetua voluntas suum cuique tribueret, ne quis sibi plus aequo arrogaret, ne quis afferret injuriam, ne quis alteri afferri sineret. Dederat quidem natura & educatio Leoni recti sensum, & multis prodesse exoptabat; sed nimia indulgentia in Laurentium, qui non solum publicis rebus interesse, sed etiam praeesse volebat, cujusque corruptum ambitione & voluptate ingenium in id unice intendebat, quod sibi esset emolu-

mento, multa gessit, quibus illa optima mens, illud praeclarum studium Reipublicae bene gerendae interdum consopiri videbantur. Aberat tum Florentia Laurentius ipse, qui Regem Mediolanum comitatus fuerat, graviterque tabificis febribus aegrotabat Julianus, in quo maximam familiae spem Pontifex collocaverat. Vir erat benigno elegantique ingenio, modestia prope incredibili, & comitate singulari, quas ob virtutes a Florentinis non solum diligebatur, sed etiam amabatur. Sed hic paucos post dies, quam Pontifex Romam redierat, magno cum ipsius & bonorum luctu naturae concessit. Multa in eum & beneficia & ornamenta contulerat Leo, imperium illi dederant Florentini copiarum suarum, Rex quoque Galliae, ut supra declaravimus, Namurci Ducem fecerat, & ex affinitatibus Philibertae Sabaudicae uxoris, quae nuptiae centum & quinquaginta millibus aureis numis stetisse Pontifici dicuntur, ut esset unde dos conficeretur, majora etiam sibi polliceri poterat. Sed cum complesset nondum trigesimum septimum aetatis annum, nullosque legitimos suscepisset liberos, sibi suisque ereptus est. In administranda Republica, quo civibus in retinenda libertate consentientibus facilioribus uti posset, hoc curavit semper, ut honestis consiliis, justisque factis, non fraude & malitia intelligerent se ea, quae vellent, consequi posse. Vel eos, quibus se debere beneficia putabat, quosque meritissimos honoribus judicabat, prius judicio populi probari volebat, ne aut ingratus in referenda gratia, aut arrogans in praeripiendo populi ipsius beneficio videretur. Quid? Ita in omni actione se gessit, ut non grave fuerit populo Florentino esse in libera civitate hominem, qui aequabilitatem communis juris praestantia dignitatis atque fortunae transibat. Sed versa & mutata postea fuerunt omnia in pejorem partem. Nam cum ad gubernacula Reipublicae solus sederet Laurentius, qui opes violentas, & minime ferendam potentiam concupiscebat, rem publicam sic constituit, ut omnia ad arbitrium illius collata essent, semperque eo tractus est, quo rapuit, stimulos addente Alphonsina matre, ambitiosissima & avara femina, dominandi libido.

Horum cupiditatibus minime studia Pontificis defuerunt. Quod huic, uti supra innuimus, multae erant caussae odii in Franciscum Mariam Urbinatium Regulum e Roborea familia in Feltriam ab ejus avunculo Guidone an. MDIV. adoptatum, non solum quia contra imperium Pontificis, & fidem datam Juliano ducere in Cisalpinam Galliam equitatum, cui imperabat, recusaverat, sed etiam quia antea occulte favens Soderinio surdum se praebuerat obtestationibus Mediceorum, qui in illius subsidiis magnam spem posuerant ad Etruscam expeditionem suscipiendam, & quia multis signis omni luce clarioribus apparuerat eum, si non aperte, clam tamen semper consensisse cum iis, qui adversabantur Mediceae gentis fortunae, honeste parto regno illum privare deliberavit. Huic consilio, cujus auctor praesertim fuisse dicitur Alphonsina, dum vixit, semper obstitit Julianus, libera voce indignum facinus detestans, in quo non tam aequitati, quam grato animo se servire aperte tulit. Nam, ut alibi narravimus, exilii fluctibus jactatus, tanquam in portu Urbini quieverat, a Guidone, ipsoque Francisco Maria omnibus officiis benevolentissimorum, atque amicissimorum devinctus. Illo autem mortuo, omnis vis & dirarum & belli (46) in eumdem erupit, atque simul ac Laurentium appropinquare cum Florentinis & Pontificiis copiis nunciatum est, Urbini civitas, & vicina oppida de deditione egerunt, ipso consentiente Duce praesenti periculo deterrito. Hic autem & propriam & temporum calamitatem querens, cum praesidium in arce Pisauri, quo se receperat, reliquisset, Mantuam cum uxore Eleonora Gonzaga, Francisci illius civitatis Marchionis filia, & Guidobaldo filio aufugit. Brevi quoque tum Pisauri, tum Senogalliae, tum Majoli arces in hostium potestatem venerunt, cumque una superesset, quae dicitur S. Leì, natura loci munitissima, haec etiam, postquam trium mensium obsidionem sustinuerat, vi & dolo capta est. Quanquam haec non sine gravi invidia Pontificis acciderint, nullus tamen e Cardinalibus fuit, uno excepto Grimanio Urbini Episcopo, qui non subscripserit illius

sententiae, quam in ipso Senatu adversus Ducem tulit, amissa ab eo jura in Laurentium transferens, quod beneficium alio quoque cumulavit, cum eodem tempore ipsi Urbis praefecturam, quam gesserat Julianus, detulisset. Sed haec felicitas, quemadmodum demonstrabimus, minus illi fuit diuturna.

Aegre quidem tulit Galliae Rex sua praesertim caussa spoliatum Urbinatium ditione fuisse Franciscum Mariam, qui si in praesentia quiescendum putavit, haud diffidebat fore tempora propitia ad amissa recuperanda. Hac spe saepe de suis injuriis ac miseriis apud ipsum Regem deploravit, aliorumque imploravit fidem, quos non laturos sperabat, quod omnia sua commoda, jura ac fortunas unius iniquitate ac libidine perdidisset. Neque ejus casum luctumque tantummodo doluit Franciscus Rex, sed etiam infidelitatem Pontificis, quia minime ignorabat, ipso conscio, novi aliquid ab adversariis suis iniri consilii ad occupanda nonnulla Mediolanensis ditionis loca, egisseque eumdem cum Carolo Hispaniarum Rege, ne cum Gallis foedus iniret, & stimulos addidisse Helvetiis per Ennium Verulanū Episcopum, ut Caesaris amicitiam sequerentur. Nihilo tamen minus sua interesse putavit minime irati animi signa dare in eum, cujus auctoritatem inter omnes Europae Principes plurimum valere, cujusque tam egregiam in se voluntatem, dum Bononiae fuit, perspexerat. Tantum porro illi tribuit, ut ejusdem precibus abstinuerit ab inferendis molestiis Mirandulae, Carpi, & Corregii Dominis, quos Pontifex suam in clientelam tutelamque receperat. Ad id quotquot Massiliae habebat naves se in expeditionem educturum promisit ad continendam Maurorum audaciam, qui ardentes avaritia mare infestum habebant, pro qua re & classem Pontifex ipse instruxit, cui praefecit Fridericum Fregosium Archiepiscopum Salernitanum, & navium subsidia a Genuensibus obtinuit. Multa in hoc maritimo bello praeclare gesta sunt, sed nimia cupiditate praedae milites occasionem expugnandae Bisertae, & Turcicae classis aut capiendae, aut cremandae

amiserunt. Infeliciorem etiam exitum habuit, quae paullo ante per Ximenesium Cardinalem, qui summam rerum in Hispania administrabat, Didaco Vera duce, facta est expeditio in Africam ad expugnandum Algerium: Hispanorum enim classis rejecta atque fugata fuit. Qua re audita, Pontifex vehementissime hortatus est Cardinalem, ne animum propter acceptam calamitatem dimitteret, sed confirmaret atque renovaret. *Par est enim*, ajebat ipse, *experiri & tentare omnia, ut immani atque intollerandae Turcarum barbariae resistamus, utque sine metu vivamus*; cujus rei quia magnam sibi spem fecerat Franciscus I. vel ab eo tempore, quo Bononiae fuit, declaravit Lusitaniae Regi nihil sibi in vita accidisse optabilius atque jucundius, quam quod *tantum Regem, tanta virtute, tanto gerendarum rerum initio, ea aetate, iis opibus ad omnem rem praeclaram suscipiendam promptum & alacrem, eumdemque supra aetatem prudentem, alto & magno animo, aperto ingenio ac perliberali, omninoque bonum & pium, quasi de caelo missum ad rem Christianam tuendam, juvandam atque amplificandam mirum in modum converterit*. Vexabant tum maxime Turcae Uladislaum Pannoniae Bohemiaeque Regem, quem omni ope atque opera juvandum Pontifex censuit. Quare cum ad eum litteras Florentia mitteret, maxime hortatus est, ne aut pacem, aut inducias cum hoste feriret, cum confideret tantum illi pecuniae subministratum iri a se, ceterisque Christianis Principibus, quos excitaverat aut per epistolas, aut per internuncios suos ad certamen adjuvandae Christianae reipublicae, ut minime illi verendum esset, ne non repellere hostem, suosque fines facile tueri posset. Id non minus laborabat & contendebat Pontifex, ut rei Catholicae prospiceret, quam ut sibi Regem potentissimum conciliaret. Hic autem tantum illius gratiae ac studiis concessit, ut cum sibi vitae finem adesse intelligeret, ejus fidei unicum suum filium Ludovicum, suaque regna commendaverit. Quare ad hunc statim legavit Rupertum Rheginum Archiepiscopum, ut una cum Strigoniensi Cardinali res illorum regnorum admini-

straret, daretque operam, ut labentem ac prope cadentem rempublicam, conciliatis optimatum animis, fulciret. Quia vero eodem tempore maxima quoque pericula ab Turcis Dalmatiae & Croatiae intendebantur, nulla non prece sollicitavit Gallorum Regem, ut saltem quindecim millia numorum aureorum ad se mitteret, quibus totidem se additurum spopondit ad communienda municipia, quae omni necessaria re ad bellum, & ad vitam sustentandam laborabant.

Per idem ferme tempus Bernardum Dovitium Cardinalem ad Maximilianum Caesarem legatum misit ad sua & reipublicae Christianae negotia procuranda. Pax enim an. MDXVI. facta fuerat inter Galliae & Hispaniae Reges, neque multo post, eodemque anno studiis Pontificis in concordiam quoque redierunt Caesar, Galliae Rex ipse, atque Venetorum Respublica. Tum respirare posse visa est Italia a metu belli, quo tot annis vexata fuit, ut pars illius nulla a calamitate fuerit incolumis. Sed fuit hoc fatum illius, ut perpetuis fluctibus jactaretur, cui sane malo non modo caussam, sed etiam necessitatem quodammodo attulerunt diversa studia, variaeque voluntates eorum, qui in illa imperabant. Porro pacem illam moleste tulerunt Hispani milites, qui stipendia meruerunt tum Galliae Regis, tum Venetorum ad liberandam Veronam Caesarianorum armis: nam facultatem sibi ereptam videbant praedandi licenterque vivendi. Non defuit occasioni sui negotii gerendi Franciscus Maria Feltrius, cum militiae sacramento obstrinxisset quinque millia illorum militum, quibus imperabat Maldonàtus vir impiger, & in bellicis rebus exercitatissimus. Hos secutae sunt alae equitum ex diversis nationibus collectae, praeeratque Belgis Zucharus Heduus, Graecis & Epirotis Andreas Bua & Constantinus Boccalus minime sane contemnendi duces; erant & Itali, inter quos eminebat Fridericus Gonzaga Bozzoli dominus, quem incredibili virtute atque exercitatione in armis esse omnes praedicabant, quique hujus conjunctionis maxime auctor fuisse dicitur. Erant illi caussae odii in Lauren

tium Mediceum, cujus consilio auctoritateque (hic enim omnia omnium concupiscebat) spe depulsus fuit obtinendi praefecturam copiarum tum Pontificis, tum Florentinae Reipublicae, quam gerebat Julianus, quamque sibi, antequam moreretur, destinaverat; itaque injuriae ulciscendae occasionem haud dimittendam esse putavit. Ut audivit Pontifex eodem illo die, quo reddita Veronae urbs Venetis fuit, totam illam manum ex eo loco discessisse, atque iter Urbinum versus suscepisse, magnopere commotus est non tam propter virtutem ducum, militum fortitudinem, & incertos animos hominum & belli exitus, sed etiam propter metum, ne Galliae Rex, cui justas querimoniae caussas dederat ob multa, de quibus Bononiae convenerant, non plane servata, iisdem aut occulte, aut aperte faveret. Nec occurrebat, cujus opem & auxilium imploraret, quod Veneti ejus potentiae & gloriae invidebant, ceterique Principes, qui in Italia dominabantur, positis armis, foedus, aut pacem cum Francisco Rege confecerant. Adde, quod res indigna videbatur omnibus, urbes & sedes suas eripuisse homini, a quo nulla laesus putabatur injuria, quamvis ei plurima crimini dederit, quae quantum irritaverint juvenis animum gloriae cupiditate incensum nihil attinet dicere. Ceterum seu sua sponte, seu suorum libidine moveretur Leo, experiri ultima, & impetum in hostes facere decrevit. Hi incredibili celeritate per Bononiensem agrum, perque oppida Ferrariae Duci subjecta, & Aemiliam, nemine resistente, iter confecerunt, cumque pervenissent ad fines Urbinatium, summa omnium alacritate suscepti fuere. Profectus Florentia Laurentius cum copiis raptim collectis, evocatisque iis, quae ad Ravennam erant, quibusque imperabant Rentius Cerites & Vitellius, minime retardavit impetus hostium, qui jam Urbinum accesserant, antequam ille Caesenam perveniret. Praeerat illius urbis arci Jacobus Rossettus Tifernas, qui primo cum obsistere & defendere conaretur, ut vidit concurrere ad arma vel ipsas feminas & senes odio in novum, & amore in veterem dominum, ut

in

in deditionem reciperetur petiit ea conditione, ut Laurentiani milites, qui erant in praesidio, abjectis armis, tuto exire possent. Capto Urbino, laeti Feltriani, velut explorata victoria, reliqua oppida oppugnare coeperunt, quae, ut eadem deditionis conditione uterentur, ab iis facile impetrarunt. Non pari felicitate Fanum Fortunae tentarunt, ex quo loco cum discessissent castra posuerunt in Monte Baroccio, loco opportunissimo ad defendendam a tergo universam Urbinatium ditionem. Intoleranter dolens Pontifex, quod hostes urbem atque oppida & loci natura, & manu munita paucis diebus, quibus eo ventum erat, in potestatem suam redegissent, legatos quoquo versus dimittere, conjurare, copias parare, auxilia ducesque a Florentinis suis, a Vitelliis Tifernatibus, a Ballioniis Perusinis, aliisque implorare non destitit. Tali modo sexdecim fere millia peditum coegit, in queis erant aliquot Vasconum cohortes, nec non Germanorum, quorum virtus fuerat in defensione Veronae cognita. Hi omnes cum equitatu Pontificis & Florentinorum Pisauri convenere, quos ita distribuendos censuit Laurentius, ut Itali Candelaram, exteri Nugolaram (sunt haec montibus, & castellis in summo eorum positis non longe Pisauro nomina) occuparent. Belli fortunam haud tentandam Pontifex existimabat, non solum quia tiro, & mala, aut nulla disciplina institutus erat exercitus Italorum, neque magnopere confidebat virtuti & prudentiae Laurentii, sed etiam quia periculum erat, ne si hostes superiores discessissent, omnis illorum vis ad Etruriae perniciem converteretur. Ad id non diu eosdem ab pecunia & re frumentaria laborantes in iis locis mansuros, & pacem imploraturos sperabat, exieratque jam fama indignari Hispanos milites ibi imperium esse, ubi non esset praedandi facultas. Auxere animum Pontificis promissa Caesaris & Catholici Regis, mandaveratque hic jam Potentiae Comiti, ut educeret e Neapolitano Regno CCCC. equites, iisque auxilio Pontificiis veniret. Neque hoc contentus privavit Feltrium Sorae ditione, quam illius pater magna pecunia sibi

comparaverat. Quod mireris, cum convenisset Pontifici cum Galliae Rege de quibusdam rebus, in quibus hic datam sibi Bononiae fidem requirebat, ab eodem trecentos equites obtinuit, & praesto fuerunt Romae Hispani, quos conscriberet, nulli sumptui ac labori parcens, ut de hoste triumpharet, quamvis intelligeret irae magis & ambitionis, quam gloriae fore triumphum. Tum vero gravior cura Francisco Mariae incessit, quippe cum prodi caussam suam ab iis Regibus cerneret, quos injusti imperii ultores fore speraverat. Itaque certioris vitandi caussa periculi ad Laurentium misit hominem Hispanum cognomine Suaresium, qui illum suo nomine invitaret ad singulari certamine finiendas controversias. Principio minime conditionem respuit Laurentius, postea simulationem & fallacias metuens in id unice animum intendit, ut in rei frumentariae angustias, occupato Sorbolungo ac vicinis locis, per quae annonae subveniebant, hostes adduceret, cogeretque castra munitissima deserere. Quanquam huic semel iterumque occasio bene rei gerendae oblata fuerit, multa tamen vel imperitia, vel malitia, vel ignavia ducum adversa acciderunt, & vulnus in capite accepit, dum in Mondolfo oppugnando occupabatur: magni enim erat animi in adeundis periculis. Vulneris curandi caussa Anconam concessit, & ob ejus ab exercitu discessum, cum milites neque ordines servarent, nec ducum dictis audientes essent, praedae magis, quam victoriae cupidi esse videbantur. Tum Pontifex misit eo Bernardum Dovitium Cardinalem, cui neminem fide in se, & studio rerum suarum praeferebat, & malis sane ominibus advenisse judicatus est, cum maximus tumultus in exercitu fuisset, ortus a nullius momenti quaestione inter militem Germanum & Italum, quam ob rem centum & amplius Germani, viginti Itali, & Hispani nonnulli vitam amisere. Sane magnopere laborandum fuit Dovitio, ut illum sedaret, ipseque, dum crucis signum praeferebat inter tumultuantes, magna voce eos adhortans, ut ab armis discederent, vitae periculum adiit. Sedato tumultu, optimum esse

duxit nationes sejungere, ex quibus Pontificius exercitus constabat, & ita disponere, ut Pisaurum, & vicinum montem, qui Ariminum prospectat, & Imperialis dicitur, occuparent. Franciscus Maria, quod adversus tantam multitudinem praelii fortunam haud tentandam esse ducebat, suis se diu continuit castris, atque interea egit cum Hispanis, qui Pontifici militabant, ut ad se transirent. Itaque cum ad eorum castra, quae erant in summo monte, prima luce accessisset, paucis & ducibus ipsis exceptis, omnes illius signa subsecuti sunt. Tum audacter Germanorum castra, quae erant in medio monte adortus est, atque inopinata re perterriti minime locum tenuerunt, multisque suorum amissis in Corsorum castra, quae erant posita ad montis radices, se se receperunt. Hos & terga vertere, & Pisaurum confugere coegit. Successu rerum ferocior (Martem spirare dixisses) exercitum inter Urbinum & Pisaurum disposuit, & quotidie augebantur illi copiae propter defectiones Germanorum, quos neque preces ducum, neque oblata praemia continere valuerunt. Exercitus Pontificis omnium rerum abundabat copia: multum erat frumentum provisum & convectum superioribus temporibus, multum ex vicinis provinciis comportabatur, magna copia pabuli suppetebat, nec deerat pecunia ad stipendia large solvenda. E contrario omnibus his rebus laborabat Franciscus Maria, sed tanta erat opinio illius, cum non minus sit imperatoris consilio & prudentia, quam gladio superare, ut ad certam victoriam se ire putarent ii, qui illius vexilla sequebantur. Vel Itali milites, qui erant in exercitu Pontificis, tumultuari coeperant, nec sine magna vi pecuniae ii retineri potuerunt. In his rerum asperitatibus ne praesenti malo alia mala adderentur, Legatus, Ursinius Archiepiscopus, ceterique, qui in exercitu magnam auctoritatem habebant, minus fortasse fidele consilium Pontifici dederunt, ut Bentivolos Bononiam revocaret, eorumque subsidiis accepta detrimenta sarciret. Id indignissime tulit Leo, gravissimisque verbis reprehendit Ursinium, quem illius consilii au-

ctorem maxime fuisse putabat. Monuit & Legatum, ut exercitum suum conservaret & tegeret, omnes in officio vel minis, vel promissis retineret, quo integerrima essent omnia vel ad pacem conciliandam, vel ad bellum prosequendum: magna se esse in expectatione novorum subsidiorum, suisque recentibus beneficiis promeritum se esse, ut ab ipso Gallorum Rege validas opes esset accepturus.

Feltrius etsi magni interesse putabat, quae occupaverat defendere, & vicinas urbes, quae erant in ora maritima, suas facere, ut satisfaceret tamen militibus, quibus se omnia debere dicebat, quibusque nihil optatius erat in magna tum pecuniae, tum annonae difficultate, quam praedas agere, statuit eos in Etruriam ducere. Discedentem universi cohortantur magno sit animo, neu dubitet hostes domi adoriri, & suorum fidem virtutemque experiri. At quae fides haberi poterat hominibus, qui illam saepe violaverant, quique nec pudore, nec metu tenebantur ad quodvis scelus perpetrandum? Aderant, qui de illo prodendo cum Laurentio Mediceo egerant, cujus rei certissima habebat documenta. Rem ad exercitum detulit, postquam iter Perusiam versus faciens in Eugubii agrum pervenit. Illius in se merita multis verbis praedicavit, quae sua expectatione suaque fortuna majora esse dixit, rogavitque ipsum, si sui beneficii poeniteret, vitam, cujus se jam toedebat, sibi adimeret, dum ne in potestatem impurissimi hostis caderet, & ne ad contumeliam honorem dedisse videretur. Qua oratione permoti milites dicentem interpellavere, ut magno cum dolore infidelitatis suspicionem sustinere viderentur. Quos vero dixit probavitque esse proditionis reos, Maldonatum, Suaresium, aliosque paucos duces statim morte mulctarunt. Mens erat Feltrio Perusiam sine mora adoriri, cujus consilium, cum praevidissent Pontificii, miserunt eo Jo. Paullum Ballionium, & Camillum Ursinium cum militum manu. Praesidium quoque posuerunt Tiferni, & Laurentius, qui ex vulnere jam convaluerat, mutatis ad celeritatem equis,

Florentiam concessit, ut ea pararet, quae ad defensionem Etruriae necessaria erant. Cum scriberet vero Pontifex ad Senenses, monuit eos, non fore tutos a Feltrii armis, certo enim se scire, illum Perusinis e finibus ad illos profecturum, quare bono animo essent, pararent ea, quae per eos fieri poterant, ne imparati offenderentur, omnia a se expectarent, mandavisseque jam copiis, quas a Galliae & Hispaniae Regibus obtinuerat, ut conjunctae cum suis hostes subsequerentur, eorumque nefarios impetus retardarent. Eodem tempore animos addidit Ludovico Tudertino, ut in oppido illo muniendo omnem operam poneret, dumque illius erga se studium laudat, plurimum se dolere ait, quod *alii partim timore periculi*, *partim inertia sua*, *nonnulli etiam perfidia*, *vel e medio se subduxerint*, *vel cum hostibus se conjunxerint*. Cum Feltrius Perusiam accessisset, cives eruptionem in illius copias fecerunt, fortiter strenueque pugnando magnam illis cladem intulerunt, victoresque in oppidum se receperunt. Qua de re extant Pontificis litterae ad Ballionium, quibus illi & civitati gratulatur, quod, *hoc confecto facinore*, *singularia illorum merita in Rempublicam praeclare amplificarunt*. Dum scribebat vero ad Potentiae Comitem, & Sissam, quorum alter Praefectus erat Hispanorum militum, alter Gallorum, ait se non satis scire hostes discedentes Perusia quo pergere, aut quid aggredi cogitarent, at magnopere illos hortari, ne conquiescere sinerent, omneque genus molestiae ac detrimenti illis inferrent; turpe iis fore, si quos Perusini parva manu fudere, ipsi legitimo exercitu minime delerent. Sane nihil praetermittebat Leo, quo studia potentiorum sibi conciliaret, averteretque ab homine, quem impiorum ac sceleratorum numero habendum ajebat, illi decedendum, aditum ejusdem sermonemque defugiendum, ne quid ex contagione incommodi acciperetur. Atque hic, dirarum obnunciatione neglecta, eadem de profectione cogitans, quae antea senserat, iter Tifernum versus direxit, sperans per S. Sepulcri oppidum facilem sibi fore in Etruriam introitum. Sed

cum in itinere ipso audiisset Legatum Pontificis, novis conscriptis Italis militibus, expugnasse Forum Sempronii, & Pergulam, ac movere castra Fanum Fortunae versus, eo unde venerat, sua tuendi caussa, rediit. Incredibili celeritate iter confecit, tantumque terrorem hostibus injecit, ut hi nil amplius tentare ausi fuerint. Tum mutavit consilium, omnemque rationem belli in Picenum conferre constituit. Auctis copiis, pristina omnium confirmatur opinio, & spes victoriae augetur, adeo ut quidquid intercederet temporis, id morari praemia militum videretur. Fabrianum, aliaque oppida depopulationem pecunia redemerunt, capitur Aesis, atque vastatur, eamdemque fortunam aliae civitates & castella subierunt: aegre Ancona impetum hostium sustinuit, nec pecuniae parum solvit, ut liberaret vastatione agros, in quibus maturae erant segetes. Auximum quoque, sed parum feliciter, tentarunt, indeque recedentes, cum castra posuissent ad Corinaldum oppidum, in quo erant ducenti milites ex exteris nationibus collecti, fortiter adeo hi restiterunt, ut oppugnatores, frustra consumptis viginti tribus diebus, inde quoque discedere coacti fuerint. Non semper illis favit fortuna quoties cum resistentibus rem habuerunt, quod nequaquam imperitiae ducum, neque militum ignaviae, sed tormentorum & munitionum inopiae tribuendum putabis, Nihilo tamen minus Feltrius tantam fiduciam habebat virtutis suorum militum, ut pristinum occupandi Pisauri desiderium minime deposuerit. Erat in ea civitate Potentiae Comes cum delecta militum manu, quibus, quo minor frumenti copia suppeditaretur, navigia nonnulla Feltrius armavit. Sua & habebat Comes manibus ferreis, & harpagonibus, magnoque pilorum, tragularum & sclopetorum numero instructa. Res venit ad manus, quodque Feltrii minus exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus utebantur, & navigiorum numero superabantur, depressa majori navi, ceterae captae fuerunt. Hoc accepto detrimento, Feltrius alio bellum transferre deliberavit.

Inter haec egit diligentissime Pontifex per internuncios suos

Ennium Verulanū Episcopum & Jacobum Gambarum cum Helvetiis, ut octo, vel saltem sex millia peditum ex iis, qui fortissimi habebantur, sua stipendia mererent, magnisque itineribus ad suos exercitus se conferrent. *Scio non latere vos* (in haec verba scribebat ad ipsos) *quot & quam graves impressiones audacissimi homines, quibus a sacris interdictum sit, in nos, atque proxime in rempublicam fecerint; qui urbes nostras obsidere, capere, vastare agros, rapinis, caedibus polluere atque foedare omnia non destiterunt; eaque de caussa coactum impensas maximas me fecisse; existimavi minime vobis mirum videri, si pensiones eae, quae a me debebantur, nondum vobis essent persolutae.* Hanc excusationem quaerere necesse fuit Pontifici, quia homines vitae magis, quam pecuniae liberales recusabant nova stipendia, nisi vetera solverentur. Summa celeritate ii ad Arimini suburbia pervenere, neque dubitabat Feltrius, quin si hos vicisset, futurum ut reliquae cohortes contra consistere non auderent. Flumen, ad quod noctu accessit, superare minime potuit, quia propter maris aestum plurimum aucta erat illius altitudo. Praelium itaque in ipsis suburbiis commisit, milites suos non longiori oratione cohortatus, quam uti suae pristinae virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo, hostiumque impetum sustinerent. Magna utrimque virtus apparuit, anceps & cruentum fuit praelium, nonnulli e primariis ducibus, & in his Gaspar Silinus Helvetiorum cohortis praetoriae praefectus, ex Hispanis vero Balastachinus & Vinea cecidere, ipseque Feltrius, & Fridericus Gonzaga, acceptis vulneribus, vitae periculum adierunt. Nihil tamen flexerunt animos, & arma ferrumque in dextris velut solas reliquias spei suae intuentes, postquam ab conatu Ariminum occupandi repulsi fuerunt, ne fame perirent in vastatis regionibus, bellum in Etruria renovare constituerunt. Multis in oppidis intentiores erant custodiae ob praeteriti periculi memoriam, & quae arte belli eligi praeparari ve poterant, providerant Florentini. Anglarienses, in quos impetum primum fe-

cerunt Feltriani, tanta virtute illum sustinuerunt, ut eos, infecta re, ad castra, quae posuerant ad Apennini radices, se recipere coegerint. Vicinorum oppidorum oppugnatione abstinuerunt, quod Anglariensium exemplum ceteros animosiores effecerat, quodque praesidia militum ad ea Arimino venerant. Venit quoque Florentia cum copiis ad Burgum S. Sepulcri Laurentius Mediceus, prope quem cum esset Feltrius, per plures tamen dies suos omnes castris continuit non tam timore periculi, quam quod militum voces audiebantur, se se omnibus necessariis rebus egentes fessos jam esse trahere bellum, a quo nihil sperare, multum autem timere debebant. Maximas Leo largitiones fecerat ad corrumpendos duces & centuriones, ac triplex stipendium, & majora etiam praemia promiserat cohortibus, si Feltrium deseruissent; quae quanti momenti fuerint apud gentes avaritia corruptas, & praedae cupidas facile est conjicere. Ad id Ugo Moncada Siciliae Prorex Caroli Regis nomine persuaserat Hispanis cohortibus, si contra Pontificem arma ferre perseverarent, eos eorumque liberos reos majestatis habitum iri. Eadem ferme dixit Vasconibus Thomas Fojus, quem cum novis subsidiis Galliae Rex miserat ad Pontificis exercitum, & quia nobilissimo genere is natus erat apud illos, magnamque auctoritatem habebat, omnes conclamarunt se se contra cives non ituros, nec contra voluntatem Regis quidquam facturos. Tum subitam commutationem fortunae Feltrio videre licuit, quare licet multi superessent milites, qui pro illius salute & dignitate se vitam profusuros, fide ac jurejurando interposito, pollicebantur, aures dolenter praebuit iis ducibus, qui hoc unum esse tempus ajebant de pace agendi, quoniam quantum in bello pecunia & fortuna possent, jam ipse incommodis suis satis erat documento. Conditiones pacis fuerunt, ut Pontifex quadraginta quinque millia nummum aureorum solveret Hispanis militibus, sexaginta vero Vasconibus & Germanis, ea conditione, ut intra dies octo ab Florentinorum, Pontificis, & Urbini Ducis ditione discederent; ut Feltrius, quae

quae possidebat, dimitteret, Umbria excederet, ac secum tormenta, supellectilemque omnem ac bibliothecam, quam Fridericus maternus avus regio plane sumptu pro suo singulari in litteras studio sibi comparaverat, deferret. Optasset ille, ignominia & dolore permotus, ut declararent Hispani Metaurensium ditionem ab iis ad Pontificem deferri, & hac de caussa cum iis altercatus est, proditionemque verens, Sextinum versus cum leviorum equitum & multorum peditum comitatu profectus est. Demum necessitati cedere coactus per Aemiliam & Bononiensem agrum, cum secum haberet Fridericum Gonzagam, centum equites & sexcentos pedites, Mantuam contendit. Tali modo post octavum mensem gravissimo bello finis impositus est, quod stetisse Pontifici dicitur octingentis millibus aureis, quorum magnam partem obtinuit, vel potius extorsit a Florentinis suis. Non satis constat num Galliae Rex, quamvis subsidia miserit, ex animo concupierit liberare Pontificem armorum molestiis. Nam licet multa signa apparerent mutuae inter eos benevolentiae, & saepe se litteris interpellarent, residebant tamen semper in iis suspicionum reliquiae. Praeter quam quod sunt plerumque ambitiosae fucosaeque Principum amicitiae, nec aberat Leo ab artificio simulationis, quoties utilitas postulare videbatur. Fuit & hic suspectus Carolo Hispanorum Regi, non secus ac si specie recuperandi Metaurensium imperium consensisset cum Gallis de occupando Neapolitano regno. Et id quidem moliebatur, ut quamcunque occasionem sibi fortuna obtulisset augendi amplificandique potentiam fratris filii, hanc sine mora & studiosissime arriperet. Nec sane legitimam excusationem habuit tot modis vexasse Feltrium, totque confecisse malis subjectas illius imperio civitates & oppida. Quare cum Pisaurum aliquando venisset ejus urbis Episcopus Paris Grassius, & deformatam illam vidisset, minime continere se potuit, quin in haec verba exclamaret: *Deus parcat Papae, qui tolerat tot suorum peccata*. Quae referre libuit, ut omnes sciant quantum de fama Pontificis detraxerit foe-

da suorum regnandi cupiditas. Si quid fortunae superfuit Feltrio; ejus virtus tuita est, & dum querebatur injurias suas (47), praestolabatur opportunitatem temporum ad amissa recuperanda, in quo eos ipsos Mediceos adjutores habuit, a quibus tot modis vexatus fuerat.

Non minus ingrata & invisa bonis omnibus fuerunt quae Leo conflavit pericula Senensibus. Ex quo is Pontificatum Maximum adeptus est, illi rebus suis timere coeperunt, nec ad minuendum timorem valebant quae de sua ac Florentinorum omnium voluntate liberaliter iis polliceri consueverat. Sedebat tum ad Reipublicae gubernacula Burghesius Petruccius Pandulphi tyranni filius, & Alphonsi Cardinalis frater, qui quantum inferior esset patri prudentia, calliditate & animi fortitudine tum maxime declaravit, cum, nuncio accepto, Senenses exules cum militum subsidiis, quae Pontificis opera a Florentinis aliisque obtinuerant, ad urbem accedere, turpiter illa aufugit. Venerat cum copiis ad illi opem ferendam Alphonsus, verum ubi audivit fratrem fuga sibi consuluisse, nihil tentandum putavit. Dissidebat cum hoc odio & invidia Raphael Petruccius ejus patruelis Crassetanus Episcopus, quem Leo illo miserrimo exilii tempore omnium itinerum, navigationum, laborum & periculorum comitem habuerat, cuique praefecturam Romanae arcis detulerat. Hunc itaque idoneum putavit ad turbandas res Senensium, haud dubitans, si hanc mutationem tempora adjuvassent, fore ut illorum civitate potiretur. Hujus cupiditatis conscii erant Florentini, qui, ut averterent nobiliorum Senensium mentes a periculo, quod iis parabant, maximo apparatu spectacula fieri Florentiae jusserunt, ad quae finitimos quosque venturos speraverant. Misit quoque Pontifex Senas Petrum Petruccium Raphaelis fratrem & Urbis Senatorem, nec non Hieronymum Cenutium, Camerae, ut ajunt, Auditorem, qui per speciem societatis defectionem juvarent. Sed cum Burghesius locum suum deseruisset, hunc sine vulnere occupavit Raphael, utque retineret factum stu-

diis Pontificis, qui si id solum bonum judicasset, quod rectum & honestum est, minime passus fuisset dominari in libera civitate hominem, a quo omnia praeter egregiam fidem in Mediceos desiderasses. Insolentia dominatus extulit adeo animum illius, ut vix ullo modo ejus audaciae & impudentiae obsisti posset, tantumque in se omnium odium concitavit, ut alterius Tarquinii nomine appellaretur (48). Per haec non solum auctoritas, sed etiam fortunae Alphonsi Cardinalis plurimum imminutae fuerunt, quod homo ambitiosissimus & sumptibus effusissimis deditus molestissime tulit, se ipsum vehementer incusans, factum sua culpa, ut in tot mala incidisset, idcirco quia studiis & suffragiis suis viam Leoni muniverat ad Summum Pontificatum obtinendum. Neque hic solum ingrati animi, sed etiam inconstantis culpam contraxit. Nam ipsum, ut ajebant, e Palatinorum numero esse jusserat, donaverat Volsiniensi oppido, & domo cum vinea ad S. Pudentianae. Tam justum odium movit ferum juvenem ad ulciscendas publicas privatasque injurias, & quamvis e Latio, quo se se receperat, Romam rediens mitigati animi signa dederit, quasi patientia mitiorem effecisset, continere tamen minime se poterat, quin interdum maledicta jaceret in suae calamitatis auctores. Famam etiam fuisse testatur Jovius vel in ipso Senatu, vel in venatione cogitasse de occidendo Pontifice, sed continuisse furorem suum, cum tutius existimasset non vi atque impressione, sed occultis dolis ipsum e medio tollere. Tum fidem imploravit chirurgi cujusdam nomine Baptistae, patria Vercellensis, hominis callidi, & veteratoris insignis, qui se jactabat non modo mirabilia, sed & prodigiis similia in arte sua facere posse, atque fecisse. Ejus vocibus respondebat oratio Alphonsi, sic ut illius opinio mirum in modum creverit. Id eo respiciebat, ut Pontifex curandae caussa fistulae, quae jamdiu illi in ima sede, quemadmodum alibi innuimus, nata erat, & ob quam semel iterumque in vitae periculum adductus fuit, illo chirurgo, veteri remoto, ac venenato medicamento uteretur. Locus

Vercellensi erat patefactus, nisi Leo, cunctis adversantibus, salutari quadam verecundia minime se novo chirurgo aperiendum judicasset. Intercipiuntur interea litterae Alphonsi ad Antonium Ninium, Senensem Canonicum, qui illi erat ab epistolis, quique ipsius negotia, dum Roma aberat, procurabat, ex iisque, quamvis arcanis notis conscriptae essent, satis lucide apparuit, strui insidias Pontificis vitae, deque veneno illi parando agitari consilia. Hac re cognita, Pontifex specie consulendi rebus illius Alphonsum e Latio, quo redierat, statim ac audivit se incidisse in suspicionem occulto consensisse cum Urbini Duce, Romam advocavit, deditque fidem non tam ipsi, quam Hispaniarum Regis Legato, tuto illum venturum. Minime tamen defuerunt, qui illum admonerent, ne in certum periculum se committeret, quanquam ipsum satis monere debebat factorum conscientia. Sed patriae caritas, & exilii toedium impulit eum ad parendum, vixque pedem posuit in palatio, cum captus est, & in carcerem conjectus, nequicquam Hispano Legato datam fidem postulante. Quem participem consiliorum habuerat Bandinellum Saulium Genuensem Cardinalem, comitem habuit poenae; nam jussit eos Pontifex, ut parricidas, arcte & separatim in Hadriani mole custodiri. Eodem die, qui fuit XIV. ante Kalendas Junii an. MDXVJJ. convocavit ad se se Cardinales omnes & Principum Legatos, iisque sui facti caussam aperuit, commisitque tribus Cardinalibus aequitate spectatissimis, Remolinio, Accolto, Farnesio, qui erant ex ordine Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ut de tota re cognoscerent, Mario Perusco Fisci praefecto quaestiones habente. Vel ante hoc tempus mandaverat Florentinis, ut quoniam ad eos venerat Vercellensis medicinam adhibendi caussa Goro Pistoriensi magnae auctoritatis viro, qui ex Gallico morbo laborabat, hominem comprehenderent, & Romam mitterent. Decem post dies jussit dari in custodiam Raphaelem Riarium Senatus principem, Episcopum Ostiensem & S. R. E. Camerarium, hominem quietissimum, ab omni non modo faci-

noris, verum etiam minimi errati suspicione remotissimum. Hoc maximam admirationem movisse testatur Grassius, quia *si Cardinalis*, inquit ille, *tam prudens*, *tam magnus*, *tam cordatus conspirationis reus fuisset*, *profecto ipse sibi fuga consuluisset*. Non defuerunt, qui dicerent, levissimae conjecturae & suspicioni locum dedisse Pontificem, ut vindicaret, quae acciderant in conjuratione Pactiana, cui caussam attulisse Sixti IV. effrenata ambitio, & ipsius Cardinalis juvenilis imprudentia putabatur. Haerebat enim illi in visceribus mors Juliani patrui, & vulnera inflicta Laurentio patri. Hanc opinionem confirmare videtur Grassius, ajens: *Papa semper habuit coleram contra Cardinalem S. Georgii*, quem Cardinalatu postea privavit, quanquam dum illum pristino honori paullo post sponte restituit, non solum humanitatem, sed etiam animi altitudinem prae se tulit. Amplectens enim & osculans eum, dum rem divinam faciebat die Natali Domini sacro, haec Grassius, qui aderat, cum lacrimis dixisse testatur: *Reverendissime Domine*: *ut Dominatio vestra habeat veram pacem*, *plenam atque perfectam tam in facie*, *quam in corde*, *ego vobis illam annuncio & dono*, *praesente hic Domino nostro Jesu Christo in carne & sanguine*, *cujus gratia ego remitto Dominationi vestrae Reverendissimae omnem injuriam*, *si quam ullo casu*, *aut tempore contra me fecistis*. *& vice versa similiter per ipsum D. N. J. C. hic praesentem rogo & peto*, *ut contra me omnem malum animum remittatis*, *si quem habetis*. Haec ex animo proferebat Pontifex; nam cum esset clementia & misericordia singulari, facile mentem ad lenitatem revocabat. Nihilo tamen minus, quasi quod tum promulgabat misericordiae nomine, ad crudelitatis tempus esset dilaturus, Riarius in Urbe, ubi splendidissime, ac magnificentissime vixerat, sic ut ejus domus maxima quotidie frequentia civium, & summorum hominum splendore celebraretur, amplius esse noluit, cumque Neapolim secessisset, hoc in loco VIII. id. Julii an. MDXX. vitae cursum explevit (49).

Neque hic constitere indicia machinationum in Pontificem Cum convocasset Senatum VI. Id. Junii, praesentes adesse dixit binos alios Cardinales conjurationis socios, invocatoque Christi nomine, detectoque capite coram illius imagine, magna voce juravit, se illis veniam daturum, si peccatum fassi essent. Negavere primo Franciscus Soderinius, & Hadrianus Cornetanus, quanquam oculi & voces Pontificis satis clare illos indicarent, & tres Cardinales conspirationis judices magnis precibus ad confitendum illos invitarent. Cessere tandem, seque ad pedes Pontificis lacrimantes prostravere. Iidem judices mulctam illis irrogavere XXV. millia nummum aureorum, nec defuerunt maledici consiliarii, qui suaderent Pontifici, ut duplicaret poenam hanc, quoniam pecunia egebat ad prosequendum bellum adversus Feltrium, in quem non parum suspicionis patratae hujus conspirationis recidebat. Qua re ab iis cognita, fugam arripuerunt vel propter criminis conscientiam, vel propter duritiam judicum, & invidorum malitiam. Soderinius in Fundanum agrum secessit, potestatemque ei fecit Pontifex ubi vellet manendi, dum ne Romae esset. Erat ei ingenium grave, perspicax, optimisque litteris praeclare excultum, sed avaritia corruptus fidem saepe habuit venalem. Cornetanus suspicax & timidus, qui ad summos honores pervenerat non commendatione majorum (humili enim familia Corneti natus erat) sed bonarum litterarum & dexteritatis cujusdam, qua facile potentiorum voluntates sibi conciliabat, rebus adeo suis diffidit, ut, teste Jo. Pierio Valeriano, neque quo abiisse, neque ubi esset, quatuordecim jam elapsis annis, quisquam potuerit explorare. Constans tamen opinio fuit, addidit ille, eum, insuto in interiorem thoracem auro oneratum, comitis famuli perfidia oppressum, auroque surrepto, cadaver solitario aliquo loco occultatum fuisse. Fertur non malevolentia, sed vana regnandi cupiditate Leonis mortem concupivisse: non obscure enim fatidica mulier praedixerat, huic immatura morte sublato virum senem nomine Hadrianum successurum.

Acerbiora sane perpessi sunt Petruccius & Saulius, in quibus maxime haerebat conjurationis crimen. Mirum porro videri debuit se implicuisse Saulium erroribus Petruccii, quem Pontifex nullo non beneficio propter suavitatem morum, & vitae elegantiam affecerat. Cum illo erat Leo quoties oblectationem animi, requiemque curarum quaerebat, eique se obligatum putabat, quod ejus suffragio ac studio amplissimum sacerdotium adeptus fuerat. Sed superbia nata ex ejus fortunis, cum animi levitate conjuncta tam altas in eo egit radices, ut, teste Grassio, alterum se esse Pontificem putaret, indignareturque, si omnia, quae immoderate concupiscebat, non assequeretur. Aegerrime tulit in petitione sacerdotii Massiliensis sibi praelatum fuisse Julium Mediceum, & hanc repulsam se minime animo depositurum parum fidelibus amicis declaravit. Amens itaque & perditus, quae per se facere minime ausus fuisset, cogitata a Petruccio probavit, suaque pecunia juvit. Utriusque perfidiam manifestam fecerunt indicia, scripta, & confessiones Vercellensis. Petruccius ipse nominavit Cardinales, quos dignos putaverat vel ob alienatum animum a Pontifice, vel ob speratam summi Pontificatus dignitatem sui consilii esse participes. Dum vero habebantur quaestiones, saepe commovebatur adeo, ut insanire ac furere videretur, omne maledictorum genus aspere & ferociter in Leonem conferens. Saulius autem, cum ad eum ventum primum est, erubuit, expalluit, titubavit, inconstanter locutus est, & alia signa conscientiae ac timoris patefecit. De his rebus Leo per litteras certiores fecit Hispanorum & Gallorum Reges, iisque probationes ipsas tentati criminis misit. Die autem festo Pentecostes, antequam sacrum solemne perageretur, cum apud se convocasset Cardinales, iis exposuit quanto moerore affectus esset, quod sibi necessitas imponeretur puniendi eos, a quibus beneficia acceperat, quodque res ipsa severitatem adeo flagitaret, ut nullus esset lenitati locus. Cum dicentem haec oculis lacrimantibus vidisset Grassius, ait se neminem novisse, cui grave

ve adeo fuerit reipublicae caussa animo inclusum misericordiae & humanitatis sensum deponere, nihilque mitius fieri potuisse Leone. Neque multo post XIJ. Kal. Sextiles, omnibus honoribus & sacerdotiis binos illos Cardinales & Riarium privavit. Qua de re haec narrat Grassius, cujus testimonio plurimum tribuendum putamus: *Concistorium hoc duravit ab hora XI. usque ad XXIV. tum propter lectionem processus, quam propter clamores & rixas in Concistorio habitas: nam sunt ab extrinseco exauditi clamores mutui praesertim Papae contra aliquos Cardinales, & Cardinalium contra Cardinales & contra Papam. Cardinales praesentes privationi fuerunt XII. nam non plures erant in Urbe. Petrus Bembus legit sententiam.* Mortis genus, quo perierunt Vercellensis & Procointesta quidam Bagnacavallensis ex domesticis atque intimis familiaribus Petruccii, acerbissimum fuit; nam in frusta discerpti fuerunt: Petruccius vero, si Jovio credimus, ab Aethiope quodam in carcere strangulatus est (50). Saulio vitam impetravit Franciscus Cibus, cui, ut alibi narravimus, nupta erat Leonis soror, & quamvis perpetuo carceri damnatus fuerit, magna tamen vi argenti soluta, non modo libertati, sed etiam pristino honori redditus fuit. At non diu vixit: mortem enim obivit Romae XJV. Kal. Apriles an. MDXVJJJ. fuitque suspicio lento veneno consumptum fuisse. Variis judiciis haec accepta fuerunt. Erant enim, qui dicerent, gravissimas poenas pendere eos debere Reipublicae, qui laesae majestatis criminis rei convicti fuissent; ajebant alii poenam sine provocatione, animadversionem sine auxilio cuipiam dari non oportere; alii conficta fuisse crimina, ut pecunia in sumptus belli iniquissima ratione pararetur. Hanc porro suspicionem tollit dignitas Leonis, qui si timuit, ne quis motus excitaretur a punitorum necessariis, adeo ut stipatus satellitibus, dum ii in vinculis detinebantur, in Vaticanam Basilicam die SS. Apostolis Petro & Paullo sacro venerit, confidentissime tamen affirmare potuit, se in illo judicio, quod totum reposuit in aliorum sententia, tantum humanitatis adhibuisse,

se, quantum aequitas, & imposita sibi a Republica persona patiebatur.

Nil porro tam dolebat Pontifex, quam in ipso Senatu esse nonnullos animo sibi inimicos, quanquam eorum dignitas, atque amplitudo carissima sibi semper fuisset, ac nullum praetermisisset officium, quo sibi eos & familiae suae conciliaret (51). Sua itaque interesse putavit ad amplissimam dignitatem evehere multos, in quibus stabilis benevolentiae posset esse fiducia, & uno eodemque die, qui fuit Kal. Quintilis an. MDXVIJ. unum supra triginta creavit Cardinales. Ex his si doctrinam, & sanctitatem spectes morum, & usum rerum, primas tenuisse mihi videtur Aegidius Viterbiensis Augustinianorum Eremitarum praefectus. Magna cum hoc erat Pontifici familiaritas, ut ex illius litteris plenis suavissimi studii apparet; amabat in Aegidio gravitatem summa cum comitate conjunctam, suavitatem orationis, incredibilemque facundiam, & nunquam intermissum studium in litteras, ac praesertim divinas; consilia etiam interdum ab ipso petebat, cumque cogitaret Senatum cogere, ut hunc ordinem augeret, adscisceretque aliquot, qui sibi & omnibus probati essent, aliquot etiam, quos Reipublicae necessitas postulabat, petiit ab eo, ut ipse quoque hoc de gravissimo negotio cogitaret, rescriberetque sibi quid sentiret. Vel ante hoc tempus rumor per Urbem sparsus fuerat, deliberasse Pontificem de illo in amplissimum Collegium cooptando, quod cum minime comprobasset eventus, rem posse confici nunc etiam diffidebat. Quare cum invitatus fuisset, ut adiret Pontificem, eique gratias ageret de destinato sibi honore, ire distulit usque ad illud tempus, quo id ipsum certum habuit. Secundum illum ponimus Thomam Vium origine Cajetanum, & Christophorum Numalium, quorum alter praefecturam gerebat Dominicanorum, alter Franciscanorum, homines sane doctrina & moribus spectatissimos. Magna quoque erat in opinione apud omnes Laurentius Campeggius nobili genere Bononiae

natus, quem Leo Legatum ad Caesarem miserat, misitque etiam postea, cum purpura decoratus fuisset, ad Henricum Britanniae Regem, a quo Saresburiensi episcopatu auctus fuit. Hunc ornamentum & decus sacri Senatus appellat Areostus, nec sane parcus fuit in eo laudando Erasmus, cujus plures extant ad ipsum litterae. Quod semper adamaverat Leo prudentiam, probitatem & modestiam in Joanne Piccolomineo Archiepiscopo Senensi, qui maximis vinculis propinquitatis conjunctus fuerat Pio II. & III. (52), in Nicolao Pandulphinio Florentino, ac Pistoriensi Episcopo, atque in Joanne Maria de Cupis Romano, hos amplissimo honore dignos putavit. Exposui supra quanto studio prosequeretur Raphaelem Petruccium Grossetanum Episcopum, quem arci S. Angeli praefecerat, quemque Carrantiana suo domo, quae erat ad portam Vaticanam, cum hortis donaverat. Atque his finibus si continuisset liberalitatem suam, neque de illo in Senatum cooptando cogitasset, melius quidem famae suae consuluisset. Consuluit quidem cum locum in illo dedisset Andreae de Valle Romano, e cujus ore nil nisi grave, severum & sapientia refertum prodibat, Joanni Baptistae Pallavicinio Genuensi multarum disciplinarum scientia, & prudentia in negotiis administrandis claro, cujus cum familia magna sibi intercesserat amicitia, Scaramutiae Trivultio Comensi Episcopo, qui sibi praesertim nomen fecerat in docenda Ticini juris prudentia, & Dominico Jacobatio Romano, qui cum esset ipse doctrina & virtute praeditus, has quoque in aliis honorare semper consueverat. Operam diuturnam & utilem navaverat Leoni Ferdinandus Ponzettus, seu Poccettus, quem alii Neapolitanum, alii Florentinum dicunt, in cujus industria, integritate, varietateque doctrinae muneribus honestanda, & acuti in pendendis hominibus, & propensi in honorandis famam & gloriam sibi comparare putavit. Et sane ea vera liberalitatis est laus, cum in illos confertur beneficium, qui sua dignitate donantis nomen illustrant. Cum de probitate & ingenio Francisci Armellinii Perusini magna in animo Pontificis insedisset opinio, hunc

non solum in Mediceorum familiam & in Cardinalium collegium adscivit, sed multis ditavit sacerdotiis, quibus ad avaritiam explendam, minime autem ad liberalitatem exercendam usus est. Nimium quoque tribuisse visus est Leo Sylvio Passerinio Cortonensi, cujus studium in Mediceos omnes fuit illustre, quibusque ita servivit in administrandis publicis Etruriae rebus, ut cum illorum periculo suum conjunctum minime esse recusaverit. Merito quidem praedicavit Leo donari purpura virtutis ergo, benevolentiaeque, quam erga se semper habuerat, Paullum Aemilium Caesium Romanum, quem aliquot annos ante libellis supplicibus praefecerat. Quae vero esset in Christianam Rempublicam mens, quam rectus sensus, quam prudens & apta consiliis explicandis oratio, quanta morum gravitas, quanta innocentia Alexandri Caesarinii, declaravit saepe Sadoletus, adeo ut nemo vir bonus esset, qui in illius recipi clientelam minime cuperet. Certissima spe erat Leo se uberrimam frugem ex matura postea virtutis segete percepturum, cum purpura decorasset Herculem Rangonium Mutinensem, de quo mirifica prorsus praedicat Lilius Gregorius Gyraldius, qui eum in optimis studiis erudierat, cujusque humanitatem singularem satis laudari non posse testatur Bembus. Dedit hunc honorem Leo non solum merito, sed etiam, ut alibi innuimus, amicitiae, quia gratus cognosci volebat erga auctores salutis suae. qua de caussa, statim ac Pontifex creatus est, & ipsum, & ejus matrem Blancam Romam invitavit, iisque non sedem modo in ipso Palatio, sed & amoenissimos hortos secundum molem Hadriani assignavit. Gratias vero iis egit, quod secum adduxissent Gyraldium ipsum, cui neminem, & jure quidem, parem ponebat in omni eruditionis genere, quemque non solum laudibus, sed etiam beneficiis honoravit singularibus. Neque minus satisfecit amori in decorando Augustino Trivultio Mediolanensi, de quo cum scriberet ad Joannem Jacobum Trivultium, haec ait: *Cum animo repeteremus quanta cura, quantoque studio nobiscum semper egeris, ut Augustinum Trivultium propinquum tuum in Car-*

dinalium ordinem legere atque adsciscere vellemus, cum tuis precibus impulsi, tum ipsius allecti virtutibus, religione, optimis praestantissimisque moribus, demum etiam vestrae familiae cum nostra consuetudine, officiorumque prope omnium conjunctione suadente, hodie de Fratrum meorum S. R. E. Cardinalium consensu.... Cardinalem nominavi. Bembum & Sadoletum amicos & laudatores praesertim habuit, & nullum sane laudis genus fuit, quod in ipsum minime conveniret. Quid dicam de Hadriano Batavo Episcopo Dertusensi, qui Leoni ipsi in Pontificatu successit? Multis praeclarisque monumentis ejus vita ad omnem memoriam commendata esse videbatur, nec illud erat postremum, quod Carolus Hispaniarum Rex illo praeceptore, & in rebus publicis gerendis fidelissimo administro usus fuerat. Itaque sic ejusdem honorem Pontifici commendavit, ut suum judicium a nemine posse reprehendi putaverit. Non minus grata fuerunt Leoni studia Lusitaniae Regis, qui nullo non tempore in se & in Romanam Ecclesiam insignem benevolentiam declaraverat, ut dibapho decoraret Alphonsum ejus filium septennem, quod ea conditione concessit, ne jura & insignia dignitatis obtineret, nisi XIV. aetatis annum attigisset. Cum ad eum scriberet Bembus an. MDXXX., quo anno decessit, maximi eum Regis fratrem, & multa doctrina, & omnibus virtutibus perornatum appellavit. Talem quidem se praebuit, ut in eo expressam imaginem bonitatis liberalitatisque omnes, ac praesertim litterati, & catholicae rei studiosi intuerentur. Non parum quoque ornamenti addidit Purpuratorum collegio, si genus, honores, & Dei cultus studium spectes, Ludovicus Borbonius regia Gallorum stirpe ortus, de quo merito dictum fuit, luxisse adeo ejus virtutum splendorem, ut vel obscurissimam familiam illustrare potuisset. Vir antiquae probitatis ac innocentiae appellatus est Franciscus Pisanus Venetus, in quo tum nil aliud desiderasses, nisi maturitatem aetatis. De Bonifacio Ferrerio patria Vercellensi nescio quid dicam. Diligentissimus is quidem fuit in promeren-

do, ut sibi magni honores haberentur, nec dubitabo hoc in ejus laude ponere, quod, dum Bononiae Legatus praeerat, Ferreriorum collegium ad imbuendos optimis disciplinis Pedemontanos suos instituerit. Minime quoque defuit Hispanis purpurae honor, quo decoratus fuit Guilelmus Raymundus Vicus patria Valentinus, cujus acre judicium, prudentia in consiliis dandis, & pietas erga Deum a multis laudatur. Visus sibi esset Leo quasi descivisse ab officio, si rationem etiam patriae & propinquitatis minime habuisset. Habuit & meriti, cum nominasset Cardinales Nicolaum Ridolphium, tum imberbem, & Joannem Salviatum, qui sororum illius filii erant. Magnus ille vir evasit, & Sadoletus humanissimum, doctissimum ac liberalem praedicavit, quippe qui Reipublicae Christianae commodis ubique & semper studuit. De illo altero vero ait sibi propositum semper fuisse, ut illum praecipue coleret, non solum amplitudinis & dignitatis ipsius caussa, quod illi erat commune cum multis, sed multo etiam magis quod is sibi videbatur in illo ordine vel solus, vel certe cum paucissimis antiquae virtutis exemplum retinere. His adde Aloysium Rossium, qui quod iisdem praeceptis atque una institutione formatus erat in domo Laurentii Medicei, ex cujus sorore genitus erat, quodque sibi fidelissime adfuerat in omni varietate fortunae adversae, secundae, angustae & amplae, unus ante alios Pontifici videbatur esse charissimus. Romanos vero sibi praesertim obstrinxit, quod praeter eos, quos nominavi, nobilibus ortos familiis, functosque amplissimis muneribus, Franciscum de Comitibus, Pompejum Columnam, & Franciscum, vel Franciottum Ursinium purpureo galero insignivit. *Pacis*, inquit Aegidius Cardinalis, Leonem ipsum alloquens, *te duce, cultores evasimus: videmus, te Leone Principe, fieri, quae fecit, cum se terris ostendit Leo de tribu Juda . . . . Dicam & aliud sanctae tuae pacis opus inauditum. Deducimus de more Senatores: Urbs omnis Columensem comitatur: ventum erat ad Columensium domum divite gaza, & festa fronde cultam; ecce apparent portae*

ornamenta, ubi vidimus utriusque Senatoris insignia Ursinorum atque Columnensium, quo spectaculo nihil a multis saeculis vidit urbs Roma laetior .... ut multi spectantium caelum acturi gratias suspexerint, plures lacrymas fuderint, tanquam fassi felicitatem saeculi, qui in horum Senatorum amicitia perpetuam factionum calamitatem depulsam sentirent. Profecto nil tam curae erat Leoni, quam aut praemiis, aut promissis, aut minis, aut poenis factiones extinguere, quae tot saeculis Romam afflixerant. Praeter quam quod amabat Ursinios propter maternum sanguinem, Columnenses etiam, quod in iis homines erant virtute praestantes. Fabritium & Prosperum liberaliter adeo tractavit, ut iis peramplas & tripartitas aedes cum ornatissimis hortis concederet, quas Julius II. privata in fortuna Columnio in solo ad SS. Apostolorum aedificaverat. Factum est etiam ejus officiis, ut Prosper ipse, qui, ut alibi diximus, dimicans in potestatem Gallorum pervenerat, libertatem recuperaret. Quod ad Pompejum vero attinet, multa sane in eo erant bona naturae & ingenii. Nemo enim erat vel e veteribus Senatoribus, qui eo gravius & eloquentius sententiam dicere, solemnia sacra nobilius atque decentius operari, familiaeque ordine & comitatu, atque mensarum elegantia, convivarumque delectu personae dignitatem lautius ac splendidius tueri videretur. Ad id hominum studia sibi conciliabat lites dirimens, veteres componens simultates, miseris & afflictis subveniens, & iis maxime opitulans, qui fidem & auxilium ejus implorabant. Haec gratissima erant Pontifici, qui ad liberalitatem & benignitatem exercendam natus esse videbatur. Quid si praevidisset hominem illum pro suo in Caesarem studio Clementi VII. tot exhibiturum molestias, ut ejusdem vitam summum in discrimen adduxerit, dum Urbi eversionem parabat?

Laeta civitas fuit, quod uno eodemque die tot Leo creasset Cardinales, in quibus octo erant Romani, & is dies laetissimus quoque fuit aliis populis, quod ex omni fere natione Pontifex de-

legerat homines virtute, doctrina, nobilitateque clarissimos, quibus Romanae aulae decus, & Mediceorum familiae fortunam magis magisque confirmaret atque augeret. Epulum in Vaticanis porticibus novis Patribus dedit, atque utinam extarent carmina illa, quae cantata de illorum laudibus fuerunt a Poetis, quos Leo in omni epularum apparatu adhibere solebat. Locus quidem erat ornatus non floribus, sed picturis iis, omni auro pretiosissimis, quas Raphael Sanctius per eos dies absolverat, in quibus cum imagines virtutum, divinarumque rerum mirum in modum essent expressae, facile fuisset animos illarum imitandarum cupiditate inflammare. Sed liberalitates commoditatesque, quas Pontifices & Reges in Cardinales conferre tum consueverant, magno erant virtuti impedimento. Ex divitiis enim erumpebat luxuria, & pauper is habitus fuisset, cui non redirent quotannis ex sacerdotiis decem, vel octo saltem numum aureorum millia. Unus pluribus praeerat Ecclesiis, monasteriorum reditibus eorum census augebatur, nec exiguis sane finibus continebatur jus conferendorum sacerdotiorum, quod Romani Pontifices habebant. Quasi iratus increpavit Leo Carolum Hispaniarum Regem, quod se difficilem praebuisset in possessione monasterii Leonardini, quod positum erat in Neapolitano Regno, Aegidio Cardinali tradenda, quia latere illum minime debebat, sacerdotia omnia, quorum Praefecti apud Romanos Pontifices mortem obiissent, eosdem Pontifices sine ulla Regum & Principum recusatione, quibus voluerint semper dedisse, semperque illa sui juris habuisse. Bone Deus, quot in uno Julio Mediceo cumulavit beneficia, quot unus episcopus rexit administravitque ecclesias, quot auctus Abbatiis & minoribus Sacerdotiis, quot gessit munera amplissima atque fructuosissima! (53). Nonne effusam fuisse quoque liberalitatem Pontificis dixeris in ornando Dovitio Cardinali? Hunc cum Carolo Regi commendaret, ut Episcopatus Cauriensis, qui in Hispaniae regno est, ei possessio sine mora daretur, ait se tantum laborare de amplificanda fortuna hominis optime de se meri-

ti, neque solum vetere usu, benevolentia, fide, studiis, officiis conjuncti, sed etiam ab ineunte aetate secum educati, ut id ipsum, quod conari videbatur, se jam abunde praestitisse appareret. Magna quoque contulit beneficia Petro fratri illius natu majori, quem cum internuncium declararet apud Leonardum Lauredanum Venetorum Principem, ait notissimum omnibus esse illius ingenium, probitatem, mores optimos, fidem atque observantiam erga se majoresque suos (Laurentio enim Mediceo fuerat ab epistolis) multis gravissimisque in negotiis adhibitam. Quod homines vero ex humili loco ad summam dignitatem perduxisset, id indicio esse debere dicebat, alta quadam mente & singulari virtute praeditos illos fuisse, sibique persuasum esse nil tam conducere ad rem Romanam augendam, quam ne urbs unquam clausa esset peregrinae virtuti. Nemo profecto illo liberalior fuit, ubi patriae charitas, ubi Sedis Apostolicae dignitas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de spectatis & probatis hominibus, aut referendae gratiae voluntas existebat. Quare de illo sic multi praedicabant, unum esse, in quo saeculi splendor niteretur, & per quem sopita virtus quasi nova luce recreata revivisceret. Cumque se ad civilem societatem natum intelligeret, non solum curavit, ut homines essent, qui consilio & auctoritate, & vel specie ipsa Reipublicae dignitatem sustinerent, sed etiam ut stabilirentur leges, quibus quasi sepimento aliquo illius salus & felicitas contineretur. Tria esse praedicabat, quemadmodum a Laurentio patre acceperat, quae Principem maxime decerent, consilia a prudentibus & fidelibus amicis, prius quam quidquam agatur, exquirere, & sine mora lente consulta exequi; nunquam oblivisci absentium amicorum; & non solum factis, sed etiam suspicionibus judicandum de iis, a quibus aut vitae, aut Reipublicae conflari periculum putatur. Quod vero sic providendum Populo Romano existimaverit, ut, sublatis monopoliis, libera esset exportatio earum rerum, quibus abundabat, & earum, quibus egebat, invectio, si tempora spectes, hoc non solum laudabile,

sed

sed etiam prorsus mirabile judicaveris, ex quo factum est, quemadmodum testatur Jovius, *ut mercatorum concursu, & aemulatione cuncta vilescerent, & urbs ipsa, repletis horreis, copiosissima redderetur* (54). Dixerunt alii opulentissimam, & beatissimam, & omni laetitia gestientem fuisse urbem Romam sub Leone, & miram in ea quoque fuisse securitatem, quod boni Principis putavit punire sontes, & multitudinem conservare. Volebat enim cum a peregrinis & civibus, tum a familiaribus & consanguineis magnopere timeri, verum incolumi benevolentia, illud omnino, quod est rarissimum, assecutus, ut neque facilitas auctoritatem, neque severitas amorem minueret.

Dum per se procurabat, quae ad publicam spectabant prosperitatem, insinuabat Concilii Patribus, ne quidquam praetermitterent, quod Ecclesiae fore salutare & Romanae aulae decorum (55) judicassent. Retulit ad eos, quae sibi cum Gallorum Rege convenerant de majorum sacerdotiorum, ac praesertim Episcoporum nominatione, non tam ut approbarentur & confirmarentur, quam ut abrogaretur Pragmatica Sanctio, quae Cleri Gallicani frequentissimi suffragiis lata fuerat an. MCDXXXVIII. quamque magnopere semper Summi Pontifices improbaverant (56). Quantorum malorum vero illa caussa fuisset, his verbis declaravit Leo: *Et cum ex electionibus, quae in Ecclesiis cathedralibus & metropolitanis ac monasteriis dicti regni a multis annis citra fiebant, grandia animarum pericula provenirent, cum pleraeque per abusum saecularis potestatis, nonnullae vero, praecedentibus illicitis & simoniacis pactionibus, aliae particulari amore, & sanguinis affectione, & non sine perjurii reatu fierent, cum Electores ipsi, etiamsi ante electionem per eos faciendam idoneiorem, & non eum, quem promissione, aut datione alicujus rei temporalis, seu prece vel precibus per se, vel alium interpositis, electionem procurare didicissent, eligere sponte jurarent, juramentum hujusmodi non servarent, sed contra proprium hujusmodi juramentum in animae suae praejudi-*

cium venirent, ut nobis notorie constat ex crebris absolutionibus & rehabilitationibus a nobis & Praedecessoribus nostris petitis & obtentis; idem Franciscus Rex noster paternis monitis, tanquam verus obedientiae filius parere volens, tam pro bono obedientiae, in qua magnum meritum vere consistit, quam pro communi & publica Regni sui utilitate in locum dictae Pragmaticae Sanctionis, ac singulorum Capitulorum in ea contentorum leges & constitutiones infrascriptas invicem tractatas, & cum Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus diligenter examinatas & de eorum consilio cum praefato Rege concordatas per dilectum filium Rogerium Barme regium advocatum oratorem suum ad hoc ab eodem Francisco Rege ad nos destinatum, habentem ad hoc speciale & sufficiens mandatum, acceptavit. Quamquam, vel ipsius Regis testimonio, per ea, quae cum Leone pactus erat, gravissimorum malorum semina sublata fuerint, Senatus tamen, & Academia Parisiensis, & Gallicanus clerus iisdem intercesserunt, aegerrimeque tulerunt sibi vim inlatam fuisse, ne eorum promulgationem impedirent. Clamoribus certe maximis ostenderunt plane esse, quod ferri non posset; pacta illa olere malitiam & calliditatem, cum Rex usurpasset sibi, quae omni aetate fuerant Collegiorum propria. Contra Leo quae fecerat, se pacis bonique publici caussa fecisse clamabat atque testabatur, quodque iis Concilii sanctio accesserit, id magno argumento esse dicebat, se in iis decernendis fuisse & moderatum & prudentem. Tandem cum septimo ad illud venisset, quod accidit XVIJ. Kal. Apriles an. MDXVIJ. omnia ejus acta approbavit, finemque illi imposuit. In hac solemni caerimonia rem divinam fecit ille ipse Bernardinus Carvajalis Cardinalis, qui primas partes egerat in conventu Pisano, ex quo, uti diximus, ad omne schismatis periculum avertendum caussam habuit Julius II. novum ac legitimum convocandi Romae Concilium, quod dictum est Lateranense V. Nulla vero non laude illius Patres celebrandos esse putamus, qui nil saeculo indulgendum esse putarunt, sanctissimis

factis decretis, quae ad reformandos mores eorum, qui militabant Ecclesiae, pertinebant. Illorum temporum imaginem intueri licet in iis, quae in eodem Concilio pronunciasse dicitur, quam vere nescio (57), Jo. Franciscus Picus Mirandulanus, quaeque efferuntur ab iis omnibus, qui nullam pestem majorem in Christianam Rempublicam invasisse dicunt, quam avaritiam, luxuriem, ambitionem, reliquasque cupiditates eorum, qui cum Ecclesiae nomen dedissent, non solum factis & consiliis, sed etiam specie ipsa ejus dignitatem sustinere debebant. Videbat haec omnia Leo, atque utinam tantum habuisset animi & roboris, ut mala, quae vetustate facta erant robustiora, exemplo, auctoritate, & constantia dictorum factorumque sanasset. Materiem enim subtraxisset furori eorum, qui ex clericorum praesertim moribus occasionem sumpserunt novas res moliendi, & impia dogmata spargendi.

Invidiam ex iis malis ortam unius hominis accendit audacia atque perfidia. Is fuit Martinus Lutherus, cujus impudentiam, ut se se primum prodidit, frenari posse Leo putavit auctoritate illius, quem in Praefecturam Augustinianorum Eremitarum (horum enim familiae is vel a prima adolescentia nomen dederat) in locum Aegidii Viterbiensis substituerat. Nam ad hunc cum scriberet, inquit: *Volo te eam curam suscipere, ut Martinum Lutherum tuae societatis sacerdotem, quem scire te existimo in Germania novas res moliri, nova dogmata nostris populis tradere, quibus utantur, ab incepto, si potes, revoces auctoritate ea, quam tibi Praefectura dat, cum scriptis ad eum litteris, tum per doctos & probos internuncios, quos te illic habiturum multos puto, qui placare hominem conentur: id si celeriter feceris, non erit, puto, difficile natam flammam extinguere.* Minime tum praevidebat Leo quantum & quam crudele ex ea futurum fuisset incendium. cui prospicere potuisset aut prohibendo quidquam fieri, quod minus recte factum, & ab disciplina a majoribus tradita alienum videbatur, aut audaciam temeritatemque Lutheri severissimis poenis cohibendo, tantum

erat apud omnes catholicas gentes. Romani Pontificis nomen, tantusque metus dirarum. Fuere etiam, qui praeoccupari posse hominem putarunt honorum spe, quod is erat ad omnem ambitionem propensissimus. Quidquid autem decernere libuisset, maturato opus erat, ne differendo remedia seu poena, seu beneficio morbus ingravesceret. Materiem dedit Lutheri reprehensionibus mos cogendi pecunias ex sacris, ut vocant, indulgentiis, quo beneficio vel ad exaedificandam illam augustissimam Vaticanam Basilicam, Julii II. exemplum secutus, vel ad alios sumptus faciendos, missis per omnia fere regna litteris (58), Leo uti minime dubitavit. Ceteros inter mandavit Alberto Archiepiscopo Moguntino & Magdeburgensi, quem magnis sibi beneficiis obstrinxerat (veniam enim illi concesserat utrumque regendi Archiepiscopatum, posteaque, anno scilicet MDXVJJJ. Cardinalem creavit) ut per eum in Germania fieret Indulgentiarum promulgatio; hic autem suum decus, suumque negotium reputans quam maximam argenti vim corrogare, summam hujus rei in Saxonia administrandae permisit Joanni Tetzelio e Dominicanorum familia; qui nihil pensi unquam habuerat, quique populari eloquentia praestabat. Pudet referre quae ipse & dixit, & fecit, quasi legatus e caelo missus fuisset ad quodlibet piaculum expiandum atque purgandum. Quia Augustiniani ad se maxime pertinere arbitrabantur munus hujus sacrae legationis, quanquam & aliis religiosis familiis demandatum interdum fuisset, tum abreptum indoluere, movitque Lutherum injuria, res novandi cupiditas, & spes creandi odium Tetzelio, avertendique ab eo nimium credulos auditores, ut clamare coeperit, caussam ingentis dedecoris, magnique detrimenti tum publici, tum privati imperita indulgentia haud nutriendam, excitandasque mentes ad delendum sacerdotalis avaritiae monumentum, prolapsamque Ecclesiae disciplinam in eo, quod pertinet ad peccatorum expiationem, revocandam. Facile is in Academia Wittembergae, in qua theologiam docebat, postquam philosophiam professus fuerat, plures invenit suarum opinionum

sectatores propter famam ingenii & doctrinae, quam non a lutulentis Scholasticorum, sed a purissimis divinorum Scriptorum fontibus se hausisse gloriabatur. Hinc animus illi additus ad vehementius vel in ipsis templis insectandos Indulgentiarum auctores promulgatoresque, neque hoc contentus in vulgus edidit LXXXXV. usque theses, quibus omnes suas hac de re sententias complexus est, quamlibet dimicationem se subiturum profitens ad easdem propugnandas. Tetzelius, Jo. Echius, ac praesertim Silvester Prieras Apostolici Palatii, ut vocant, Magister (59) caussam Romani Pontificis defendendam susceperunt, sed non valuere eorum scholasticae disputationes semina errorum non in Saxonia modo, sed & in aliis Germaniae provinciis sparsa extinguere. Homines enim suis sententiis idoneos undique eligebat Lutherus, cumque a Wolffango Palatino Heidelbergam vocatus fuisset, ut cum theologis illius Academiae disceptaret, plures in partes suas traxit. Adhibebat quoddam genus licentiae in dicendo, quod astutissima ratione comparatur, cum aut ita objurgamus eos, qui audiunt, quomodo ipsi se cupiunt objurgari, aut id, quod scimus facile omnes audituros, dicimus non timere nos quomodo accipiant, sed tamen veritate commoveri, ut nihilo secius dicamus. Minime is recusare affirmabat, quin de iis rebus, quae in controversiam vocabantur, a legitimis judicibus sententia ferretur, & simulata obedientia ipsius Pontificis Romani judicium se minime detracturum satis aperte his verbis declaravit. *Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuae Beatitudinis offero cum omnibus, quae sum & habeo: vivifica, occide, revoca, approba, reproba, ut placuerit, vocem tuam vocem Christi in te praesidentis & loquentis agnoscam; si mortem merui, mori non recusabo . . . . Protestor me prorsus nihil dicere, aut tenere velle, nisi quod & ex sacris litteris, deinde ecclesiasticis Patribus, ac decretalibus Pontificiis habetur, & haberi potest.* His quidem dictis captare se posse benevolentiam hominum, & a se omnem turbatae tranquillitatis culpam propulsare sperabat, sed mutavit

consuetudinem dicendi (nunquam profecto mutavit voluntatem nocendi) postquam audivit recusari fieri judicium de controversis dogmatibus, nisi in ipsa urbe Roma, sibique diem dictum esse, ut illuc accederet. Ad id rogatus a Pontifice fuit Fridericus Saxoniae Princeps, si aliter non potuisset, vi cogeret eumdem Pontificiae majestati se submittere; debere eum Sedis Apostolicae auctoritatem, & bonorum omnium consilium sequi potius, quam unius hominis, qui in Catholica republica violanda fraudes conceperat inexpiabiles, voluntati morem gerere; reliqua, quae ad illius sanandam mentem, vel ad impios conatus frenandos pertinere arbitrabatur, commemorat. Non is modo, sed & alii Germaniae Principes occulto favebant Luthero (60), cumque intelligerent universam fere Wittembergae Academiam cum eo consentire, & esse periculum, ne si Romam accederet, non modo honoris, sed etiam vitae jacturam faceret, ipsum in voluntate remanendi in Germania confirmarunt. Dum haec agebantur iis in regionibus, propter eas, quas mox dicemus, caussas, Legati Pontificii munere fungebatur Thomas Cajetanus Cardinalis, vir doctrina, & studio in Romanos Pontifices clarus, cui mandavit Leo, ut totam caussam cognosceret, deque ea ad se referret. Minime autem recusavit Lutherus ad eum, qui erat Augustae Vindelicorum, semel iterumque & tertio venire, cum prius a Caesare facultatem obtinuisset tuto per provinciam itineris faciundi. Principio Cajetanus multa eorum, quae cognoverat, dissimulanda sibi existimavit, ut experiretur, num permulceri potuisset animus Lutheri, & blandimentis humanitatis, & promissis etiam liberalissimis ad sanitatem revocari. Postea vero cum novisset ipsum in conceptis opinionibus perseverare, & quidvis perpeti paratum, quam eas *solemniter*, & *pure & simpliciter*, ut ipse ajebat, detestari, ad minas & verborum contumelias descendit. Tum praemetuens Lutherus, ne id fieret consensu Caesaris, & sui fallendi caussa se vocatum fuisse Augustam Vindelicorum, secreto inde discessit, atque in Saxoniam

rediit. Nullum intermisit tempus Cajetanus, quo doceret Fridericum de colloquiis habitis communis religionis caussa, rogaretque, quoniam nulla spes erat melioris exitus, vel ut pervicacem haereticum Romam deducendum curaret, vel ut e sua expelleret ditione. At is minime deserendum putavit hominem, a quo suam Wittembergensem Academiam, pro qua instituenda ornandaque tot sumptus fecerat, totque labores susceperat, plurimnm celebritatis accipere dicebat: nam magnus ad eum ex universa Germania fiebat discipulorum concursus. Minime Pontifex rem neglexit, dumque litteris nunciisque omnibus fere Germaniae Principibus proponebat pericula, quae iis & universae Christianae Reipublicae ex unius hominis licentia imminebant, etiam atque etiam ipsos hortabatur, ne segnes essent in avertenda malorum caussa, quae deteriora, ut ex longinquo, nunciabantur. Tum Lutherus diffidere coepit rebus suis, sed in timore nunquam illum deseruit animus & audacia, favitque illi fortuna, quod mortem obierit Maximilianus Caesar, apud quem gratia & preces Pontificis plurimum posse videbantur. Vixit ille quidem satis tranquille in Saxonia toto illo temporis intervallo (fuit hoc quinque mensium & dierum decem) quo de novo creando Caesare decertatum est. Nam Leonis ira per id temporis conticuit, quia a se minime alienare volebat voluntatem Saxoniae Electoris, cujus magna erat auctoritas in Caesarianis illis comitiis. Tandem, postquam jam Novembri mense an. MDXVIIJ. solemnibus verbis declaraverat factam a Deo Romanis Pontificibus fuisse potestatem elargiendi Indulgentias, in vulgus edidit (neque enim dilationem res pati poterat) litteras illas datas XVIJ. Kal. Julii an. MDXX. quibus omnem turpitudinem atque infamiam inussit Luthero, ejusque scriptis. Harum scribendarum litterarum mandatum praesertim dederat, postquam res diu & multum agitata fuisset in concilio Theologorum & Jurisconsultorum (61), Cardinalibus Laurentio Puccio, & Petro Accolto Anconitano Episcopo, inter quos magna contentio fuisse dicitur, cum uterque suum opus

collegae operi anteponendum diceret, qua in contentione judicium Pontificis fuit, cumulatius Accoltum satisfecisse desiderio suo. Invocatur Dei & SS. Apostolorum Petri & Paulli praesidium ad Romanae Ecclesiae caussam defendendam adversus novi Porphirii impios conatus, hujus errores detestabiliores, XLI. usque recitatis capitibus, singulatim enumerantur & damnantur, unde hauserit declaratur, neque iis modo, sed & omnes ii, qui ipsius sententias minime repudiarent, sceleratissimis consiliis opem praeberent, & congressus minime vitarent, diris devoventur, flammis omnia illius scripta damnantur, narraturque quanta benignitate lenitateque curaverit Pontifex revocare ad sanitatem hominem vel eo ipso tempore, quo plurima mala ab eo Christianae Reipublicae inurebantur, sic ut si quid nunc persequeretur acrius, dolenter, invite, & necessario se id facere diceret. Haec adeo perculerunt Lutheri animum, ut ex conceptis maculis summus furor atque amentia consecutae fuerint. Sicut e cavea leo missus, aut aliqua deterrima bellua soluta ex catenis acuebat dentes multos ad lacerandum atque perdendum, nullumque fuit dogma tam sanctum atque solemne, quod ad divinam Summi Pontificatus originem, ad Eucharistiae Sacramentum, ad peccatorum expiationem, ad Sanctorum cultum, & ad alia hujusmodi plura pertinet, quod ipse evertere non studuerit. Ad id crebris concionibus clamabat, non modo virtutem, continentiam, moderationem ex urbe Roma pulsa & fugata esse; fortunatam illam fore Rempublicam, quae cum illa sentina nullum amplius commercium habitura esset; & turpiter deceptas omni tempore omnes nationes fuisse, quae canonicis legibus & Pontificiis decretis fidem praebuissent. Pudet referre cetera impiissimi hominis nefaria dicta, quae magis magisque foedabant quotidianae in ganeis compotationes, & cum sacra virgine innuptae nuptiae ad libidinem explendam. Nihilo tamen minus innumeros habuit opinionum suarum sectatores, & fautores eximios, adeo sunt homines ad exsolvenda, vel laxanda religionis vincula propensi. Sed

dum

dum dolemus maximas regiones impurissimi hominis opera de recta via deflexisse, illud & moerendum putamus tantis motibus caussam dedisse cupiditatem corrogandae pecuniae ex sacris indulgentiis, quó beneficio adeo abutebantur Legati, ut se animas defunctorum, singulis acceptis aureis, expiare, & a Purgatorii poenis eripere profiterentur.

Cum primum coepit Lutherus suos spargere errores, periculum sibi a Maximiliano Caesare, qui nunquam non dederat hominis in rem catholicam bene animati signa, metuit. Nec sane huic deerat ad conservandam tranquillitatem voluntas, nec ingenium ad noscendum quid facto opus esset, sed in deliberando saepe animus illius in contrarias partes distrahebatur, & praecipiti celeritate vel ea, quae maturissime prius judicanda erant, exequebatur. Jucundum illi quidem fuit requiri a Leone officium suum, dumque moliri Luthero fortasse aliquid calamitatis cogitabat, debitum naturae reddidit prid. id. Januarii an. MDXIX. Tum sua & Reipublicae permagni interesse putavit Leo, ut in ejusmodi rerum perturbatione is crearetur Caesar, qui Romanae Ecclesiae patrocinium susciperet, minimeque turbaret tranquillitatem Italiae, quare ita se gessit, ut prudentissimus ad consilia esse judicaretur. Competitores erant Franciscus Galliarum, & Carolus Hispaniarum Reges, neque dubitabat, quin si horum alteruter eligeretur, tanta foret potentia, ut nulla vi labefactari potuisset. Uterque etiam magnas possessiones in Italia habebat; nam Franciscus imperium tenebat in Mediolanenses & Genuenses, Carolus in Neapolitanos, quare Leo excogitavit diligenter & caute, si quo modo excludi ii potuissent ab illo honore, quem ardenti studio petebant, haud dubie vel hoc tempore praevidens, quam fatalis futura esset non solum Italiae, sed universae etiam Europae horum potentissimorum Regum aemulatio. Nihil attinet dicere quanta prudentia & calliditate opus fuerit, ne ullam suspicionibus materiem daret, quanquam, ut eosdem removeret a certamine dignitatis, ea inquireret, & separatim proponeret, quae poterant suadere utilius fore illis, si studia in sibi

benevolum, a quo nihil timendum esset, conferrent. Ipsi Septemviri, qui jus suffragiorum habebant, satis noverant periculum sibi ipsis conflari, si honos potenti daretur, quare de eligendo Saxoniae Duce consenserunt; sed hic raro sane exemplo, quod ferme divinitus datum atque oblatum videbatur, recusavit (62), eam temporum conditionem esse, tantum a Turcis praesertim periculum Christianae Reipublicae impendere asseverans, ut eum Romano Imperio dignissimum judicaret, qui vi & armis plurimum posset. Quae vero commemoravit de Carolo Rege, in Germania illum ortum esse, hereditate avi in Principibus Imperii numerari, ac in potestate ipsius eas regiones esse, quae veluti propugnacula objecta Turcis sociorum fortunas facile defendere potuissent, moverunt adeo Collegarum animos, ut Carolum Imperatorem declaraverint. Vix comperit Pontificis Legatus (erat is Thomas Cajetanus Cardinalis) actum jam esse negotium, nec quidquam posse illud remorari, se a Pontifice mandata habere dixit, ut Carolo veniam concederet retinendi una cum Romano Imperio Neapolitanum regnum, quod Clementis IV. constitutione vetebatur. Nihil vero praetermisit Leo, quod ad publice gaudium declarandum pertinebat, &, quas ad Carolum ipsum dedit, litterae significabant voluntatem suam erga illum singularem, hortabanturque, ut pro suo eximio & perpetuo studio in Christianam Rempublicam ad errorum semina, quae in Germania sparsa erant, & ad comprimendos Turcarum impetus maxime spectaret (63).

Horum Rex Selimus appetens gloriae, & praeter ceteros imperii avidus, postquam admirabili celeritate Assyriae & Persidis, majorisque Armeniae regna subegerat, Syriam quoque in potestatem suam redegit, indeque ad Memphim progressus, felicissime adeo cum acerrimis nationibus dimicavit, ut ab Amano monte ad Rubri maris angustias, atque item a Cyrenaicis finibus ad Arabum solitudines & Euphratem late omnia unius dominatu tenerentur. Post haec rumor fuit de comparanda nova dominatione illum vehemen-

ter cogitare, ex eoque tempore, quo primum Byzantio hujus rei nuncius Romam allatus est, magno timore perculsus Leo supplicare non destitit omnibus Principibus, & iis praesertim, quorum pietas in Romanam Ecclesiam & potentia eminebat, ut huic suae sollicitudini omni ratione subvenirent. Ea propter eos, inter quos erant discordiae, aut pacificare, aut a bello, pactis quinquennalibus induciis, removere studuit, Turcarum loco illos se habiturum profitens, qui adversus hos arma minime tulissent. Legatos etiam quaqua versus, adprobante Senatu frequentissimo, misit, inter quos eminuere Cardinales Laurentius Campeggius ad Britanniae; Aegidius Viterbiensis ad Hispaniae, Bernardus Dovitius ad Galliae Reges, & Thomas Cajetanus, qui in locum Alexandri Farnesii morbo implicati suffectus fuit, ad Caesarem. Cum autem hos ab se dimitteret illo omine, *domum cum laude redeunto*, nihil se praeter Christianae Reipublicae salutem incolumitatemque, & bonorum atque innocentium securitatem velle declaravit. Omitto quemadmodum isti se gesserint. Fuit illis quidem egregium, & ad immortalitatem memoriae gloriosum, quod famam, quam secum attulerunt, doctrinae, ingenii, humanitatis atque probitatis, praesentia auxerunt. Pontifex, ut Deo immortali gratias ageret ob pactas quinquennales inducias inter Christianos Principes, utque ejus auxilium imploraret adversus Catholicae religionis hostes, trium dierum supplicationes, jejunia, aliasque publicas preces decrevit, & haec omnia occasionem illi suppeditarunt edendi singularia exempla pietatis, sive pedibus apertoque capite templa adiret, sive rem divinam faceret, sive pecuniam ad miseros sublevandos spargeret. Jacobus Sadoletus in Aede S. Mariae, ut ajunt, ad Minervam XIX. Kal. Apriles an. MDXVIII. luculentissimam orationem habuit, quae quidem extat, ut omnes adhortaretur ad Dei implorandum praesidium pro Reipublicae Christianae salute atque felicitate, laudans Pontificem, quod dies ac noctes nil aliud cogitaret, nihil laboraret, nisi de pace & concordia, Maximilianum Augustum, quod & sua

sponte, & cohortationibus Pontificis ipsius totis suis viribus in expeditionem, cum omnis belli gerendi rationem ipse proposuisset, se iturum pollicitus fuerat, Franciscum Gallorum Regem, qui declaraverat, se nihil unquam ardentius concupivisse & cupere, quam ut in saevissimos hostes exercitum ducendi, & cum iis decertandi sibi occasio daretur, Carolum Hispaniarum Regem, qui se ipsum omnesque opes suas in sanctam expeditionem pollicitus fuerat, classem jam jam paraverat, & consilia de bello, de militum genere, deque itineribus dederat, ac demum Henricum Britanniae, Ludovicum Pannoniae, Sigismundum Poloniae, & Christiernum Daciae Reges, qui se tanto negotio minime defuturos ipsi Pontifici significaverant. Fuit sane magnum & difficillimum tot Principum ita conciliare voluntates, ut unum idemque spectare viderentur, sed tot promissa, tantique apparatus nullos exitus habuerunt, quod metu, qui oblatus fuerat, Respublica Christiana magna ex parte liberata fuit. Adde, quod nullus eorum erat, qui non mallet suae potentiae, suisque cupiditatibus servire, quam Turcarum inflatos spiritus cohibere; praeter quam quod nunquam sancta & religiosa fuerunt potentiorum foedera. Viderunt tamen omnes quo fluerent Pontificis consilia, qui cum tutelam gereret Christiani orbis, consilio, auctoritate, diligentia, monitis ejus incolumitati consulere satagebat. Praeter illas solemnes supplicationes morem induxit, vel potius revocavit salutandi B. V. M. in ipso meridie, aliasque preces ad Deum placandum, & pietatem in eum & caelestes alendam praescripsit (64). Ne hoc quidem praetermittendum esse duxit, sacrorum antistites ut hortaretur, ut circumspicerent omnia, sicque fungerentur munere suo, ut non solum ramos amputarent vitiorum, malarumque consuetudinum, sed etiam radices evellerent. Antequam haec acciderent, fuerunt multi, qui portendi Urbi magnas calamitates affirmarent ob ostenta quaedam, assiduos imbres, fluminum inundationes, fulmina, quae minime sacris imaginibus pepercerant, & alia hujusmodi, de quibus cum dissereret Pontifex

cum iis, qui ad omnia trepidabant, haec nihil praedicere, & mirabile nihil habere, ut pote quae naturaliter fiebant, affirmavit (65). Saeculo, quo credulitas dominabatur, dicta haec accepta fuere, perinde ac si minus religiosum animum proderent, & obtrectatorum sermonibus locum dederunt.

Prospiciebat is quidem quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella Reipublicae ab impiis Lutheri conatibus, nihilque illi fuit potius, quam ut magis magisque inflammaret Carolum V. ad illos retundendos. Vel antequam is Caesar crearetur, omni officiorum genere illum sibi conciliaverat, obstrinxerat autem, cum belli Turcici caussa ipsi concessisset decumam sacerdotiorum Castiliae, ac severissimas poenas expetivisset ab iis, qui solvere recusabant, quae res civilium discordiarum semen fuit. Cum narraret illi, quae sapientiorum & totius Senatus consilio & suffragiis gesserat, ne malum longius manaret, quantum, contemptis suis decretis, corroboraretur quotidie, in quantas perturbationes Germaniam universam conjecisset unius hominis audacia, & quam immoderate & ingrate sua facilitate abusus fuisset, satis aperte declaravit in ipso spem omnem sitam esse (66) & debere eum ad exemplum illustriorum Caesarum non solum Catholicae Ecclesiae, sed & suas & ceterorum Principum ulcisci injurias, quod qui religionem violat, oppugnat commune omnium praesidium, debitamque imperantibus fidem, quae stare non potest, ubi dominatur opinionum licentia, & immoderata vivendi libertas. *O rem miram!* exclamabat ipse. *Qui magistrum publicae religionis, & caerimoniarum & sacrorum antistites ferre non possunt, conservo impurissimo serviunt.* Patuere Caesaris aures querelis Pontificis, edictoque jussit, ineunte anno MDXXI. adesse Vormatiae Germaniae Principes consulendi caussa quid facto opus esset ad comprimendam incensam cupiditatem res novandi, & traditam a majoribus sacrorum disciplinam deserendi. Cum convenissent, & intelligerent Caesarem in Lutherum fore duriorem, quia ea, quae meditabatur adversus

Gallorum Regem, nullum patiebantur se officii erga Pontificem studiique munus, aut tempus praetermittere, in hanc opinionem discesserunt, ut Luthero ipsi potestas fieret tuto ad concilium accedendi, suorumque factorum ac dictorum rationem reddendi. Legatus Pontificis se contra eum totum parabat; quid assequi posset nesciebat, quod in eo coetu plures erant, sine quorum studio nunquam in illo delendae omnis Pontificiae potestatis tam sceleratus impetus extitisset. Fidentissime Lutherus ad concilium venit; & quamvis fateri minime dubitaverit se multa & dixisse & scripsisse vehementi iracundia, & repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitatum, nihil tamen se tam vereri ostendit, quam ne de dogmatibus suis ambigere videretur. Haec pervicacia magnam spem fecit illius adversariis fore, ut in eo renovaretur Joannis Hus exemplum, qui morte temeritatis suae poenas Reipublicae pependit. Sed hoc alienum a dignitate sua esse putavit Caesar, una hac concilii, vel sua potius sententia contentus, quae lata fuit, postquam Lutherus ab eo discesserat, eratque in tuto Wartburgi, quod oppidum est in Saxoniae Ducis ditione. Cautum ea fuit, ne palam concionaretur, neve populo prava sua dogmata instillare pergeret, statutumque agendum cum ipso, *tanquam cum notorio haeretico*, & scelus fore impias ejus sententias probare atque sectari. Exorsus est autem Carolus illis magnificis verbis: *Quoniam inter omnes constabat se genus ducere a Christianissimis Imperatoribus, a nobili natione Germanica, a Catholicis Hispaniae Regibus, ab Archiducibus Austriae, a Burgundiae Ducibus, qui omnes Ecclesiae Romanae filii ad mortem usque fideles perstitere*, constare quoque debere dixit, se a majorum gloria minime degeneraturum. Haec tanto gaudio complevere Pontificem, ut cum ei per litteras gratias quam maximas ageret, ejusque virtutem in caelum extolleret, se nil tam optare affirmaverit, quam ut aliqua sibi offerretur occasio declarandi illi *memorabili aliquo facto quid de ejus singulari natura sentiret, quantumque ejus caussa cuperet, quod, Deo auspice,*

futurum confidebat. Dedit etiam litteras ad Trevirensem, Saxonicum, aliosque Electores, ut in proposito confirmaret retinendi *Sanctae Fidei candorem contra impium furorem debacchantis haereseos, quod dignum eo, quem gerebant, honore, dignum genere & majoribus illorum. & dignissimum religiosissimo Caesare* esse dixit. Quanqam Saxoniae Dux aliud obscure moliretur, aliud specie simulationis ostentaret, nemini tamen dubium esse poterat, quin salvum vellet Lutherum, quod sane studium turpasse videtur ornamenta, quibus abundabat, nec ad illud deserendum valuere, quae doctorum hominum collegia, & ipsa Parisiensis Academia, cujus judicio stare se velle principio Lutherus ipse declaraverat, de illius erroribus pronunciarunt, nec nova errorum monstra ab eodem in medium prolata, cum tam praepostere nihil, tam inconditе, tam stulte cogitari possit, quod ipse deliranti similis non effutiverit. Eodem tempore exorta est in Helvetia pestifera Zuinglii in Romanam Ecclesiam conspiratio, cui caussam quoque dedisse videtur infelix illa sacrarum Indulgentiarum promulgatio, quam & ipse appetiverat, ut viam sibi ad explendam avaritiam aperiret. Is ex lutulento Lutheri fonte sua dogmata hausit, totisque viribus defendit. Obviam illius audaciae ire studuit Leo, vehementer dolens perditos homines, quos non ad judicium, sed ad supplicium reservari oportebat, fautores potentes invenire. Dum vero maxime exquirebat ea consilia, quae ad tanta mala sananda atque avertenda pertinebant, & rerum divinarum magistros excitabat ad turbulentos errores coarguendos, Britanniae Rex per Legatum suum obtulit illi librum a se exaratum, ipsique nuncupatum, quo omnem de Sacramentis doctrinam, S. Thomam Aquinatem maxime sequens, & Lutherum confutans, complexus est. Gratissimum Pontifici munus fuit, nulla non laude pium illius animum celebravit, cumque rem ad Senatum detulisset, secundis admurmurationibus, non illum solum, sed & omnes ejusdem successores glorioso *Fidei Defensoris* titulo honorandos censuit (67). Porro

Rex hic vigebat ingenio, optimis erat artibus praeditus, & iis praesertim, quae nobiles viros decent; dederat operam vel ab adolescentia philosophiae & divinis litteris, quod ejus pater Henricus VIJ. ipsum sacrae militiae destinaverat; mirum in modum famam & gloriam appetebat, & obtinuisset quidem, si semper factorum suorum moderatricem prudentiam, constantiam publicamque utilitatem habuisset, non vehementes animi cupiditates, non consilia hominis superbi & ambitiosissimi, cui se totum dederat, quemque, ut alibi demonstravimus, Leo Cardinalem creaverat; si demum tempora novisset, & suis divitiis, suis victoriis, suaque potentia uti scivisset. Quas ad eum dare solebat Pontifex litterae, erant incitamenta recte factorum, & stimulavit eum maxime ad Christianae Reipublicae salutem defendendam, & bonorum caussam tuendam, quae si in privatis gloriosa sunt, quanto magis commemorabuntur in regibus? Fortasse quia noverat non tantum roboris illum habere, ut quae gloriose cogitabat, semper ad exitum perduceret, his verbis aliquando clausit epistolam suam: *Non tam pulchrum est profiteri atque recipere te facturum recte aliquid, quam perficere, quod pollicitus es, etiam necessarium, ut boni Regis nomen adipiscare. In altero nutus animi, voluntasque tantum ostenditur, quae flecti & commutari facile potest; in altero inest constantia, perpetuitasque voluntatis, quae quidem multum roboris, multumque virtutis requirit.* Atque utinam non fuissent apud illum illecebrae libidinum multae, ut erant etiam industriae quidam stimuli & gloriae; nam florentissimum regnum in turbulentissimas tempestates minime conjecisset.

Cum eo de gloriae possessione certare videbatur Gallorum Rex, quem omnibus officiis devincire sibi Leo vehementer studuit. Natura magnum virum inchoaverat, sapientia perfecerat. Cum primum ad illum venit Dovitius Cardinalis, narravit Pontifici se admiratione affectum fuisse, quod tot sibi suisque Gallis, qui tum e barbarie emergere videbantur, comparasset graviorum artium in-

instrumenta, quod recte judicaret de litteris, cum scriberet ipse patria lingua carmina elegantissima (68) quod ejus aula omni elegantia, omnique festivitate ac venustate afflueret, quodque in augenda re non avaritiae praedam, sed bonitati, liberalitatique materiem quaereret. Profuerunt litterae, suavissimique mores Dovitii, & studia Pontificis, ut ab eo Constantiensem Episcopatum obtineret, neque putabis illum suppuduisse, idcirco quia multis antea, iisque ditissimis auctus fuerat sacerdotiis. Nam tam alti profusique animi erat, teste ipso Pontifice, ut in maxima aera aliena inciderit, sic ut illi quodammodo ignoscendum videatur, quod morti proximus magnis precibus postulaverit, ut Episcopatum hunc tradere sororis suae filio magnae spei adolescenti sibi licuisset. Leo, cui virtus aliena spem augebat suam & suorum amplificandi potentiam, domesticum foedus, quod habebat cum Francisco, arctioribus vinculis confirmare magnopere concupivit. Egit itaque cum eo de nuptui tradenda Laurentio, in quo praecipue sita videbatur spes fortunae Mediceorum familiae, Magdalena Turria primaria femina, Regi ipsi cognatione juncta. Erat enim e familia Bolonia in Ambianorum finibus ad Oceanum valde illustri. Cum totam hanc rem ejusdem Regis fidei ac liberalitati permisisset, se non dubitare dixit, quin decreturus ille esset, quod ex utriusque dignitate videretur, illud & addens, *novam hanc animorum conglutinationem ita esse suscipiendam, ut quo conjunctiores essent inter se, eo plus opis atque praesidii in communem Christianae Reipublicae utilitatem utrique essent allaturi*. Harum nuptiarum, & suscipiendi caussa lustralibus aquis Pontificis nomine filium, qui a Francisco & Claudia Ludovici XII. filia natus erat, Laurentius una cum Philippo Stroctio, aliisque primariae nobilitatis viris in Galliam concessit (69). Habiti huic singulares honores fuerunt, nec ad promerendam Regis gratiam mediocriter valuit, quod secum attulisset diploma, quo Pontifex ipsi Regi permittebat pecuniam sacri belli caussa ex Ecclesiae bonis corrogatam arbitratu

suo impendere. Neque liberalitate se vinci passus est Franciscus. Sponsae enim dotem assignavit, ex qua redibant quotannis quinque millia aureorum numum, quaeque non modo liberalis, sed plane regia judicata est. Nihil enim hujusmodi antea viderant Florentini, qui parsimonia & moderatione in primis delectabantur (70). Nova nupta splendidissimo apparatu Florentiae excepta est, ut non civem, sed dominam ad urbem accessisse judicasses. Quod bonis adeo initiis junctum est conjugium, tristes habuit exitus. Nam decimum fere post mensem illa mortem obivit, in supremo morbi impetu puellam enixa, cui favit adeo fortuna, ut in matrimonium collocata fuerit Henrico II. Gallorum Regi. Stravisse illam marito viam letho dixisses, quod hic septimo post die, qui fuit III. ante non. Maii an. MDXIX. diuturno conflictatus morbo ex incontinentia contracto vitam amiserit. Funus fuit regium fere, obsequio magis in Pontificem, quam civium amore celebrandum, laudationemque habuit Franciscus Diaccetus, vir litterarum scientia, & eloquendi elegantia clarus. Qui de gloria Pontificis laborabant, in spe erant, fore ut ex illius obitu occasionem sumeret ea curandi unice, quae e sua dignitate esse viderentur, adeo omnibus fuerant odiosa, quae pro ejusdem amplificanda fortuna gesserat (71). Ubi hic audivit de ipsius salute desperari, misit Florentiam Julium Cardinalem cum mandatis prospiciendi rebus publicis. Hic quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, omni arte, omnique humanitatis genere, addam etiam patientia singulari in audiendis hominum precibus & querelis, & componendis controversiis, vel eorum, qui jactati fluctibus Reipublicae aut in coeno, aut in alienis terris jacebant, curavit conciliare sibi civium animos, quos superbi, ambitiosi & feri mores Laurentii alienaverant. Nihil enim in hoc unquam moderatum apparuit, fuitque fama ipsum aspirasse ad subigendos Senenses (72) & Lucenses, & servile jugum patriae imponendum, quanquam in Republica cum potestate & imperio versaretur. Qui ex Iulii sermonibus, qui sane erat ad omne simu-

lationis artificium eruditus, aliquid speculae degustarunt, observabant diligentissime quemadmodum ille se se gereret in omni actione atque administratione Reipublicae, dabantque operam, ut ipse & Leo ea exquirerent consilia, quae ad concordiam civium, & patriae libertatem pertinebant, utque multis injuriis jactata atque agitata aequitas suo tandem in loco consistere & confirmari paterentur. Neque aliam ob caussam palam ajebant provisum a Deo fuisse, ut nullus justo matrimonio natus superesset, qui stirpem propagaret Cosmi Patris Patriae, & ejus nepotis Laurentii, qui ad ornamentum non solum Etruriae, sed & universae Italiae nati videbantur, nisi ut Respublica eum dignitatis & splendoris gradum recuperaret, in quo per illos praesertim summos viros collocata fuerat. Consuluit hac de re Pontifex Nicolaum Machiavellium, quo sane nullus magis idoneus erat ad declarandum, qui esset optimus Reipublicae status, & quae essent in Republica inclinationes rerum & momenta temporum. Scripsit hic sane longam ad Pontificem ipsum epistolam, quae est in manibus, quaque illi probavit & rationibus & exemplis necesse esse maximas existere in Republica varietates, ubi consensus hominum est divulsus. Quo modo conglutinari is posset, quid congrueret naturae civium, quid emendandum, quid retinendum ex veteribus institutis, quid novandum, qui creandi magistratus, quae gerenda ab iis potestas, quae habenda ratio tum populi, tum eorum, qui aetate, divitiis, honoribus, optimis in Rempublicam sensibus rebusque gestis eminebant, sapienter sane pro temporum conditione praescripsit. Cum intelligeret vero rem in eum adductam esse locum, ut consulendum quoque esset auctoritati & potentiae tum ipsius Pontificis, tum Julii Cardinalis, proposuit, ut eligerent sexaginta quinque usque viros, quorum virtuti & amicitiae confidebant, quique quadragesimum quintum aetatis annum complessent, statuerentque, ut hi binas in partes dividerentur, quarum quaelibet per vices & ad annum summam rerum una cum Vexillifero Justitiae administraret; ut esset quoque ducento-

rum virorum ab iis eligendorum, qui quadragesimum annum explevissent, consilium, & penes hos, & sexaginta quinque, quos nominavimus, ea potestas esset, quam antea cetera consilia, quae LXX. & C. & Populi & Communis dicebantur, habuerant; utque prospiceretur quoque populo, restituto consilio M. vel DC. virorum, qui minores magistratus & munera mandarent. Providit etiam, ne hi majorem libertatem & licentiam, quam aequitas & publicum bonum paterentur, haberent, dumque inculcabat Pontifici, ut non modo in praesens tempus, sed etiam in futurum prospiceret patriae, ejusque decus & dignitatem sustineret, fortasse praevidebat fore, ut ejus suorumque constantia ac fidelitas desideraretur. Ubi enim imperandi libido dominatur, libertati leve praesidium est. Nec minus homo prudentissimus intelligebat degenerasse adeo a pristina virtute Florentinos suos, ut Respublica tum stare eo, quo coeperat, statu minime potuisset. Speciem tamen aliquam quasi reviviscentis Reipublicae se adumbrasse gloriatus est, minime fortasse desperans fore tempora propitia, cum alii interiissent, alii abessent, alii mutati voluntate essent, ut civitas veterem gloriam libertatemque recuperaret. Sane quid optabilius ad immortalitatem nominis potuisset Leoni accidere, quam si Patris secutus exemplum de patria ita laborasset, ut, nulla sui suorumque habita ratione, aequis illa floreret legibus, & immemor praeteritarum injuriarum non ab amplitudine potestatis, sed a moderatione animi gloriam quaesiisset?

Ob mortem fratris filii consulere quoque debuit Leo rebus Urbinatium, & quia timor erat, ne hi studio in Franciscum Mariam Feltrium, quod nunquam deposuere, detrectarent servire filiolae, quam Laurentius reliquerat, quanquam jus succedendi feminis quoque reservatum fuisset, restituit Apostolicae Sedi possessionem tum illius ditionis, tum urbium Pisauri & Senogalliae, & quo facilius populi in officio continerentur, moenia tum Urbini, tum aliorum locorum munitorum solo aequari jussit. Pepercit ta-

men Eugubio, quod haec civitas nunquam propensi animi in veterem dominum signa dederat, eamque universae ditionis caput declaravit. Ad hujus vires magis magisque infirmandas concessit Florentinis arcem S. Lei, & Montem Feltrium cum omni ejus agro, & Sextinum oppidum, quo beneficio se sarcire dixit sumptus ab iis in bellum factos, quos Pontificio aerario expensos tulerat. Acceperunt ii conditionem non voluntate, sed parendi necessitate. Neque multo post animum adjecit ad occupandam Ferrariam pro odio, quod semper habuit in Alphonsum Ducem, quod cum aperte & palam fieri non posse intelligeret, ex insidiis tentare deliberavit. Usus praesertim est opera Alexandri Fregosii Ventimiliensis Episcopi, qui Bononiae tum commorabatur. Hic, accepta a Pontifice pecunia, milites conscripsit specie vim afferendi Genuensibus suis, a quibus exilio mulctatus fuerat, re vera ut ad Padum accederet. Cum quo spectaret cognovisset Mantuae Marchio, Alphonsum admonuit, ut sibi rebusque suis prospiceret. Re patefacta, Fregosius, qui Concordiam jam venerat, eamque se velle occupare simulaverat, dimissis militibus, ab incepto se removit, fictisque officiis Pontifex ab se se omnem suspicionem malevolentiae in Alphonsum propulsare studuit.

Inter haec nunquam ejus studium consedit de parando bello adversus Turcarum Regem. Ratio autem illius administrandi ita ab ipso proposita fuit, ut Caesar in Mysiam, atque inde in Thraciam cum delecta peditum & equitum manu per Danubium contenderet, Franciscus Gallorum Rex cum florentissimis Galliae & Italiae copiis a Brundusio in Epirum trajceret, Hispani, Lusitani ac Britanni, magna comparata classe, Byzantio ipsi terrorem & periculum afferrent, & centum usque rostratae naves sua & Venetorum pecunia instructae solverent Ancona, ac cursum eo dirigerent, quo res postulare videretur. *Mihi si contingat*, ajebat, *ut multis tempestatibus jactatam atque agitatam Christianae Reipublicae navim in portu collocem, satis diu & beate me vixisse arbitrabor*. Sed varii

casus, ipsa fortasse rei magnitudo, & discordes vel invidia, vel ambitione Regum voluntates ejus studia atque spes fefellerunt. Quapropter cum nuntium accepit Selimum ex hac vita migrasse, se Deo optimo maximo gratias agere professus est, quod se, populumque Christianum, & Italiam ipsam maximo periculo, maximoque timore liberasset opportunissimo sane tempore, *cum nihil adhuc sui Reges in communem utilitatem praeter spem pollicitationesque contulissent*. Horum aemulationes, cupiditates, &, quae postea consecuta sunt, bella impedivere etiam, ne decretum illud, quod in concilio Vormatiensi interpositum de Luthero fuerat, servaretur, ex quo magna rerum perturbatio facta est, cum illi licuisset suo more in lustris & in vino errorum monstra vomere, & plures circum se habere suae haereseos propagatores ardentissimos. Quae quantum moerorem attulerint Pontifici, ex ejus ad Legatos suos litteris intelligi potest. Porro conflagrare terras necesse erat, maxima imperia gerentibus Francisco & Carolo, quorum mores ad ambitionem adeo incumbebant, ut nulla re satiari posse viderentur. Haec videbat Leo, & hoc Pontificis, communisque patris, & Italici Principis proprium officium ac munus esse existimabat, ardentes spiritus compescere, prospicere publicae tranquillitati, & illud aequilibrium (si hoc verbo uti licet) servare, quod tot consilia, tot foedera, tot bella, tot paces Italiae pepererant. Vel ex eo tempore, quo Carolus ad Romani Imperii clavum sedere coepit, praevidens Leo Franciscum non praetermissurum occasionem ulciscendae repulsae, in eam mentem venerat, quibus poterat modis, deliniendi aemulorum animos, nullamque inclinationis voluntatis suspicionem iis praebendi, quo facilius eorum querelis pacificator & arbiter interveniret. Erat id ingenii sui, cum semper animo sic excubaret, ut neutram in partem incumbere videretur, quo vel praesidium labenti ferret, vel utilitatem ex victrice reportaret; erat dignitatis, ne tanti possessio imperii ad Reipublicae detrimentum a Deo sibi data videretur. Quantam habent declaratio-

nem amoris & studii Francisci Regis in Pontificem litterae, tum Dovitii Cardinalis, tum Ludovici Canossae, quos ad eum Legatos miserat! (73). Rex ipse & Regina Romam cogitabant, quod ne facerent magnopere Pontificis intererat. Utilius postea sibi putavit Franciscus congredi cum Britanniae Rege, quae congressio magnam Caesari suspicionem commovit. Nil enim tam verebatur, quam ne quis cum eo ad sua pericula pactiones societatesque conflaret. Pontifex interea Legatis suis negotium dedit, ut explorarent quid sentiret Rex de quaesita sibi Mutinensis Ducatus possessione, & num spes ulla esset recuperandi Parmam & Placentiam. Haec res dies noctesque illum sollicitabat, nihilque tam cupiebat, quam ut aliquando Italia externis dominis liberaretur. Is ubi primum fama accepit odia, quae erant inter Franciscum & Carolum, in apertum bellum & in perniciem Italiae eruptura, diu anceps fuit quid consilii caperet. Non minus enim periculosum esse arbitrabatur neutram in partem inclinare, suaque pro viribus defendere, quam uni se adjungere. Quod ii sua magni interesse putabant subsidia sibi comparare Italicorum Principum, hos litteris & nunciis, praemiorumque promissis pro se quisque sollicitabant. Veneti foedus jam antea percusserant cum Galliae Rege, ceteri promptiores videbantur ad propria pericula, quam ad communia. Unus enim haud poterat esse consensus omnium, nec pares esse potuissent Italicae vires duobus potentissimis Regibus. Tandem Pontifex, cujus semper desiderium fuerat & sua recuperandi, & imperii fines dilatandi, consilium cepit se bello immiscendi, id se obtenturum sperans, si Caesarianis faveret, ut Parmam & Placentiam reciperet, si vero Gallis, ut parte Neapolitani regni, quod tenebat Caesar, potiretur. Quo paratior esset, misit ad Helvetios Antonium Puccium conscribendi caussa milites, quorum sex usque millia in Aemilia disposuit specie continendi in officio illius provinciae populos. Obversabatur illi etiam Julii II. exemplum, qui magna cum nominis sui fama Italiae reddidit dignitatem & tranquillitatem illam, qua ante Caroli VIII. in

ipsam adventum fruebatur, cujus gloriae se quoque participem fore minime diffidebat, si is, qui vicisset, vinceretur. Consilium autem eorum, quos audire solebat, fuit, ut se applicaret ad Gallorum Regem, a quo non modo precibus, verum etiam liberalissimis tentabatur promissis. In his erat, si communibus optatis fortuna respondisset, propagatio Romani imperii ad Lirim usque amnem cum dominatione Cajetae, & praesto fore Regem ad subigendum Ferrariae Ducem, ceterosque, qui bona Sedis Apostolicae possidebant. Quanquam intelligeret Leo e re sua fore tot tantaque obtinere, quorum caussa multa & dixit, & fecit, quae declarabant suam in Gallorum Regem voluntatem, nihilo tamen minus ejus quoque aures patuere querelis & postulationibus Caesaris. Erat tum Romae Legatus illius Joannes Manuel magni consilii, magnaeque dexteritatis vir, cujus summa fuerat auctoritas apud Philippum ejusdem Caesaris patrem. Nemo profecto magis idoneus erat ad allectandum Pontificem, ut se foedere jungeret cum Carolo. Proponit ei levitatem mobilitatemque Gallorum, infidelitatem etiam, reminiscens Franciscum sua simulatione aluisse Feltrianum bellum, spoliasse Apostolicam Sedem Parmae & Placentiae dominatu, pro quo adeo Julius II. laboraverat, commemorat exilium & captivitatem, quam olim Gallorum opera perpessus fuerat, superbiam & impietatem eorum, qui Cisalpinae Galliae, cui praeerant, sacerdotia, despecta plane Pontificia auctoritate, contra jus fasque, uti libido ferret, indignissimis hominibus adjudicabant, bonorum direptiones, iniqua judicia, vim & contumelias, quibus oppressi erant Mediolanenses & Genuenses, addiditque pro nihilo habenda affinitatis vincula, quoniam e vivis jam excesserat Laurentii uxor, & Juliani suos ad Gallos redierat. Contra haec extulit Domini sui potentiam, excelsum & liberalem animum, in rem catholicam ejusque summum Rectorem studium, quod satis jam declaraverat in Vormatiensi concilio. Haec agitabantur sine ullo teste, sine ullo conscio, & cum conquireret undique Manuel rationes, quibus expugnari posse existimabat Pontificis animum, foedus inter hunc &

Cae-

Caesarem sancitum tandem fuit, interposita fide, ne quis enunciaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset. Foederis autem conditiones fuerunt, ut Galli Italia, quam diu nimis vexaverant, pellerentur; Franciscus Sfortia vi ereptum Maximiliano fratri, qui in Gallia summis & fortunae & vitae sordibus foedatus commorabatur, Mediolanensium imperium obtineret; Placentia & Parma Pontifici redderentur, eique subsidia, si res posceret, suppeditarentur ad occupandam Ferrariam; quod pro tributo a Neapolitanis Regibus pendebatur, augeretur; Caesar patrocinium susciperet Mediceorum familiae, & decem millia aureorum numorum ex reditibus Archiepiscopatus Toletani Julius Cardinalis, totidemque ex ditione aliqua Neapolitani regni exigeret Alexander, quem Laurentius, vel potius ipse Julius, quando militiae Rhodiensi erat adscriptus, ex concubina genuerat. Dolore adeo cruciatus dicitur Cevrius, qui non modo auctoritatem, sed etiam imperium tenere videbatur in Carolum, quod, se prorsus insciente, foedus hoc percusserit, ut ex eo vitam amiserit. Nemini enim dubium esse poterat alumnum illius se quodammodo in libertatem vindicasse, minimeque amplius laturum suorum consiliorum factorumque imperiosos moderatores, quibus liberatus tantas in oculis conspectuque omnium exposuit virtutes, ut omnes gentes, & posteritas omnis intellexerit longe multumque ceteros Caesares ipsum superasse.

Bellum, quod impendebat Italiae, retardarunt Francisci Regis conatus, ut Navarrae regnum, quod tum tenebatur ab Hispanis, legitimo domino Henrico Albreto redderetur. Memorabile id bellum fuit non solum celeritate, qua confectum est, sed etiam casu, quo afflictus jacuit Ignatius Loyola, quique initium attulit rerum omnium ab eo mirabiliter gestarum, ut ipse tanquam lumen aliquod sanctitatis eluceret, nomenque suum ad omnes gentes propagaret, instituta hominum, ut vocant, Societatis Jesu familia. Eodem tempore Franciscus Rex minus fidele consilium dedit Roberto Markio Bullionis Duci, ut in Belgio ad arma vocaret Caesa-

rem, eamque auxilio laboris, commeatus, militum, & periculo suo juvit. Frustra se se interposuit in eorum querelis Britanniae Rex, & ipse quoque coactus arma sumere, foedus cum Caesare junxit. Antequam vero palam fierent, quae convenerant inter se Caesar & Pontifex, communi consilio deliberatum fuit de adoriendis uno eodemque tempore Mediolano & Genua, quae urbes ex insidiis tentari quoque posse videbantur. Egerat enim Hieronymus Adurnus cum Leone & Manuele de occupando per factiosos homines, quos sibi obstrinxerat, Genuensi Principatu, nec minores spes alebat Hieronymus Moronius. qui Tridenti erat apud Franciscum Sfortiam cum primoribus exulum Mediolanensium, magni sane animi hominibus, & ad quidlibet audendum paratissimis. Ea propter Leo mandavit Francisco Guicciardinio, cujus pervulgatum est nomen, quique pro se Mutinae & Regio Lepidi praeerat, ut quibus posset rebus, sed secreto, ne ullam apertam Gallis querimoniae caussam daret, juvaret Moronium, cui jam dederat pecuniam ad conscribendos milites. Nequicquam Adurnus cum septem triremibus, & aliis minoribus navibus, quas ab Hispanis acceperat, Genuam accessit, quod Fregosius Dux, re comperta, paraverat ea, quae ad defensionem sunt necessaria. Nec feliciori exitu mandatum suum egit Moronius, quod priusquam Regio Lepidi, in quam urbem cum suis venerat, egrederetur, omnia illius consilia noverat Mediolani Praefectus, & ad ea impedienda suas copias suaque praesidia instruxerat. Neque hoc contentus cum magna militum manu Regium Lepidi venit, sperans, qui intus erant, aut vires, aut animum minime habituros ad sustinendum improvisum impetum. Sed tantum fuit Guicciardinii studium, tanta prudentia in comparandis rebus, quae ad prohibendos Gallos conducere posse videbantur, ut sine pugna, & sine vulnere suorum coegerit eos Parmam se se referre. Quia bellum tum minime indictum erat, Galli questi sunt, quod contra fidem datam Pontifex suis urbibus reciperet exules Mediolanenses atque tueretur, hic autem, quod ii

belli initium fecissent, inlatis armis in loca Pontificiae ditionis. Tum convocato Cardinalium collegio, acceptas injurias verbis exaggeravit, & perinde ac si integerrima essent omnia vel ad pacem, vel ad bellum, nulla pacti antea foederis facta mentione, sententiam proposuit de jungenda cum Caesare amicitia, qui jam tot signis suam in Romanam Ecclesiam declaraverat voluntatem. Paucis cum esset in utramque partem verbis disputatum (non enim deerant e Patribus, qui vel Gallis, vel paci studebant) res eo deducta est, ut rei militaris periti duces evocarentur, milites conscriberentur, & pecunia belli nervus corrogaretur. Magnam hujus vim collegerat Leo, non provincialibus onerosis tributis vexatis, sed instituto novo equestri ordine ad numerum quadrigentorum (74). Equites, coemptis privato sumptu ejus dignitatis officiis, ex vectigalibus quotannis centenos aureos accipiebant, & immunitatis praerogativa juvabantur. Addidit etiam cubiculariorum, scutiferorumque collegia, officiis eorum venalibus, ad eam spem uberrimi census, sicuti antea Julius II. officia annonae praesidentium instituerat. Confidebat maxime Pontifex virtuti, prudentiae ac fidei Prosperi Columnae, isque deligitur ad summam belli administrandam, postquam jam callida & fraudulenta consilia in irritum ceciderant. Imperium etiam dedit copiarum Pontificiarum Friderico Gonzagae Mantuae Marchioni, qui venit cum ducentis peditibus, totidemque levioris armaturae equitibus. Magni enim interesse putabat Leo, cum bellum gerendum esset in Cisalpina Gallia, flectere ad suam voluntatem Mantuae dominum, quem moverunt ampla praemia & promissa, ut totum se averteret ab Gallorum amicitia. Delectus habetur, arma imperantur, pecuniae & milites a Florentinis exiguntur, copiae, quae erant in Neapolitano regno, evocantur. Neque defuit externa militia. Nam praesto fuere bis millia Hispanorum, qui Adurnum in infelicem expeditionem Genuensem comitati fuerant, quatuor millia Germanorum, bis millia Raethorum peditum, quibus accedebant totidem millia Helvetiorum ex iis, quos

antea Puccius in Italiam duxaverat, cum reliqui morae & otii impatientes domum reversi fuissent. Ad id missus ad Helvetios ipsos fuit Sedunensis Cardinalis, ut ab iis pro conditionibus foederis, quod inierant cum Pontifice, sex millia militum obtineret, neve gens illa Gallis auxilio veniret, quod foedera Pontificia longe Gallicis priora esse Leo affirmabat. Magna spes huic erat proposita tum ob tantas copias, quibus stipendia aequis partibus a Caesare & Pontifice ipso solvebantur, tum ob nobiles exulum familias, quae potentia, auctoritate & clientelis plurimum iis in regionibus pollebant, tum ob populorum ingens erga Gallorum nomen odium, qui a militibus gravia & intoleranda perpessi, cum neque Rex ob pecuniae inopiam satis provideret, neque Praefecti ob negligentiam obsisterent, incredibilis, quo Regem prosequebantur, studii & benevolentiae obliti, ut est plebis natura novarum rerum appetens, omnia sursum deorsumque misceri cupiebant. His rebus a Francisco Rege cognitis, Lotrechium, qui in Galliam venerat, Mediolanum, cui praeerat, sine ulla mora reverti jubet, a Venetorum Republica sex peditum millia, & sexcentos cataphractos equites pro jure foederis requirit, imperat sex millia Gallorum in Italiam proficisci, decem usque millia Helvetiorum praeter magnam Italorum peditum manum conscribi, eodemque tempore amice commonefacit Pontificem, ne sineret a molesto & periculoso bello distrahi eam necessitudinem & benevolentiam, quam natura & utriusque voluntas conjunxerant, totque mutua officia confirmaverant (75). Sed haec nihil valuere in homine, qui omnia posthabebat gloriae, quam sibi ex hac expeditione pollicebatur, quam quidem ad rem magno adjumento fore sperabat odium, quod Aloysia Sabauda Regis mater habebat in Lotrechium, a quo se contemni indignabatur. Omnes enim nervos suos in eo contenderat, ut est genus mulierum ad vindictam proclive, ne quid ei temporis ad Praefecturam prorogaretur, quod cum obtinere minime potuisset, multis artibus effecerat, ne ei curaretur pecunia ad stipendia militibus solvenda.

Interim Columna, postquam praesidia multis in urbibus metu Ferrariae Ducis collocasset, & ad multos dies expectasset Germanos & Neapolitanos, quos ductabat Pescarae Marchio, exercitum Parmam versus collegit. Magnae inter hos duces controversiae fuerunt, unde belli initium ducendum esset. Recta Mediolanum contendendum esse suadebat Columna, contra Pescarius tentandas prius Parmam & Placentiam putabat, ne commeatus interciperetur, utque a tergo periculum omne removeretur. Frustra diebus aliquot consumptis, tandem oppugnari coepit Parma, quam in urbem jam Mediolano venerat Lescutus Lotrechii Proregis frater, & Fridericus Bozzolus cum satis valido militum praesidio. Deerant multa ad oppugnationem necessaria, quae dum Bononia lente transvehebantur, abiit tempus illud, quod rei gerendae opportunissimum fuisset. Nam Lescutus nova armatorum praesidia in urbe collocavit, quae ab Helvetiis, a Venetis & a Gallia acceperat. Eo etiam accessit Prorex ipse, vel ut praelio lacesseret hostes, vel ut, quicunque casus accidisset, fratri succurrere posset. Primus in urbem impetus fuit ab ea parte, quam Parma flumine sejunctam, & ad occasum vergentem incolae *caput pontis* vocant. Illum minime sustinuerunt Galli, dejectisque pontibus, ultra amnem cum majoribus tormentis se se receperunt. Quare Pontificii & Caesariani per murorum ruinas ingressi, ea civitatis parte facile potiti sunt. Tantis laetitiae signis ii ab incolis excepti fuerunt, ut nec inimiciores Gallis, nec amiciores Pontifici ullos unquam populos fuisse dixisses. Ea, quae consecuta est, nocte nuncius allatus est cum magna peditum & equitum manu Ferrariae Ducem iter Parmam versus suscepisse, & ex improviso Finalis, Sanctique Felicis oppida adortum suam jam in potestatem redegisse, quae res magnum timorem attulit Pontificii exercitus ducibus. Augebat hunc Lotrechii vicinitas (castra enim ad Tarum flumen, quod septem millia passuum ab urbe distat, posuerat) & quia communi fit vitio naturae, ut invisis, latitantibus atque incognitis rebus vehementius

exterreamur, penes utrumque plus virium esse putabatur, quam erat. Totum diem itaque Duces consumpserunt in consulendo quid facto opus esset, ac demum Piscarius & Columna in eam convenere sententiam, repugnante licet Francisco Guicciardinio, cui commiserat Pontifex suo nomine adesse exercitui (Commissarium vocabant) deserendam Parmam, quasi in summam desperationem summumque periculum res adducta fuisset. Castra igitur ex eo loco moverunt, neque dubium fuit, quin si Lotrechius obviam ivisset exercitui, qui ob subitum discessum, & ob timorem, quem non modo hostes, sed & sui faciebant (coeperant enim tumultuari Germani stipendiorum caussa) ordines minime servabat, magnum illi detrimentum fuisset allaturus.

Molestissime quidem tulit Pontifex digressum a Parma sui exercitus cum ignominia & dedecore, quod non virtute hostium, sed timiditate & ignavia victus fuisset. Itaque Columnam & Piscarium, inter quos apertae erant simultates, carpere, desperare de Germanorum Ducum fide, & ipsi Caesari diffidere. Hic quoque inconstantiam, & ambigua consilia Pontificis suspecta habere, ac vereri, ne iis, quae ex foedere illi debebantur, potiundi spe dejectus, eodem animi aestu, quo a Gallis se sejunxerat, ad eosdem rediret. Sed tum alia mens erat Pontifici, qui in unam abolendae ignominiae, parandaeque victoriae curam intentus, minime diffidebat posse mutari omnia, mutato imperatore. Litteras itaque ad Julium Cardinalem, qui tum Florentiae erat Reipublicae gubernandae caussa, dedit, quas in haec verba scriptas fuisse testatur Jovius. *Vides, mi Juli, quo loco res nostrae sitae sint? quum eas Duces ipsi turpissima dissensione pene praecipites dederint. In hac enim rerum deformitate, dignitatis nostrae, quae vitis vita potior esse debet, iniquam aleam subimus, tu vero unus omnino es, qui spectata virtute tua, atque auctoritate dissidentes conciliare potes, &, quod in summo voto est, victoriam e manibus prope ereptam recuperare, si mature in castra contendis. Obsecro igitur te per*

decora majorum nostrorum, & per publicam salutem, ut Legati nomine militaris imperii munus suscipias, & confestim ad Niceam pervoles. Te enim auspice, praeclarum laetumque huic bello exitum Dii superi dabunt, & votis nostris. ut in optima caussa, recte pieque susceptis secundissime subscribent. Vale. Sine mora is paruit Pontificis jussis, ejusque adventu in castra, quae ad Niceam amnem posita erant, spes, animus, alacritas redditae exercitui videbantur. Nam praeter opinionem summam prudentiae in consiliis capiendis, animique vere virilis in iis exequendis, magnam secum afferebat argenti vim. Praeter id auctoritate opus erat ad componendos Piscarii & Columnae animos, quorum alter frenis, alter calcaribus egere videbatur. Valuere etiam ad exacuendum odium Columnae in Piscarium hujus litterae ad Pontificem, quibus omnem culpam desertae Parmensis oppugnationis in illo residere nunciabat. Qui autem fuerit hujus belli exitus, quod Julii studium ad illud conficiendum, alius erit narrandi locus.

Satis mirari nequeo Leonem, cui litterae ceteraeque artes pacis comites, quae inter armorum strepitus silere solent, magnopere curae erant, molesto adeo & sumptuoso se implicuisse bello, neque sivisse, quoniam in Carolo & Francisco vel odii, vel aemulationis semina videbat, ut se se mutuo illiderent. Gloriosum illi quidem fuisset liberare Italiam externis dominis, ad quod avertendum periculum omnes cogitationes, omnes curae, & omnia studia Laurentii patris tanta cum nominis sui fama spectarunt; sed e duobus potentissimis regibus, qui vicisset, durioribus laqueis irretitam illam tenuisset, cum id animis eorum insitum atque innatum videretur, ut adversarii spoliis suas opes, suamque potentiam augerent. Quia vero, ubi regnandi libido dominatur, aequitas vix stare posse videtur, non facile ii passi fuissent, ut redderentur Apostolicae Sedi Parmae & Placentiae urbes, quamvis per summam injuriam ignominiamque illas sibi ereptas fuisse conquereretur Pontifex. Sed fortasse qui publicas injurias tulisset, suam non tulit,

reminiscens quot a Gallis acceperat calamitates. Sunt qui tradunt, postquam apud Parmam res male gesta fuit, iterum tentasse Franciscum Regem, num a Caesaris amicitia avocari Pontifex potuisset, hunc minime aversis auribus ejus dicta accepisse, & adfuisse Manuelem, hominem sane ad omnia vigilem, qui datam fidem proposuit, commemoravitque nobiliorem Cisalpinae Galliae regionem ab audacibus sceleratisque Praefectis oppressam teneri, bonosque aut interfectos, aut exilio mulctatos patria civitateque carere, urbemque ipsam Romam in periculum & discrimen vocari, nisi exultantis Regis audacia contunderetur.

Quanquam Leo gloria & magnitudine animi elatus multa Principe digna & susciperet & gereret, & longe prospiceret ea, quae cum virtute & officio fiunt, minime tamen sibi temperabat a factis, quae facile trahere in invidiam illum potuissent, quaeque in privato homine vix tolerasses. Ille idem sensus, qui commovetur ex publicis domesticisque malis, ad exiguum tempus durare in illo videbatur, cum brevi rediret ad ingenium suum quaerendi oblectamenta & solatia curarum atque doloris. Paucis mensibus amisit Franciscum Cibum, & Magdalenam sororem, quae ei nupta erat, Aloysium Rossium Cardinalem, & Bernardum Dovitium, in quorum omnium amore & quotidiana consuetudine quamvis conquiescere videretur, non satis tamen scio, num illorum funera lacrimis decoraverit. Illi priori, ut & uxori locum sepulturae in Aedibus Vaticanis dari jussit, Dovitio autem in Aede Lauretana, quam multis decoraverat ornamentis. Fuit suspicio hunc ex veneno mortem obiisse, & miror equidem nonnullorum fuisse adeo impudicam impudentiam, ut tanti criminis culpam vel in Pontificem ipsum, vel in Mediceum Cardinalem transtulerint (76). Eo, quo haec acciderunt, anno (fuit hic MDXX.) quanquam Leo fere nunquam intermiserat consuetudinem per totos binos menses usque ad omnium Sanctorum diem festum rusticandi, & agros & nemora peragrandi venationum caussa, Urbe tamen minime excessit.

So-

Solemne illi erat celebrare diem festum SS. Martyrum Cosmae & Damiani, quos patronos Mediceorum familiae adsciverat magnus ille Cosmus Pater Patriae appellatus, idque peragebat iis in locis, in quibus erat illo ipso die Septembris mensis iisdem Martyribus sacro, solitus invitare tum oratores, tum poetas ad illorum majorumque suorum laudes celebrandas (77). Quod hoc anno festum hunc egerit Romae, convivio excepit omnes illos Cardinales, qui rei divinae adfuerunt, sublataque mensa, fabulam recitari jussit, quae, ut ait Grassius, ad risum movendum, minime autem ad mores formandos, mentesque bonarum cogitationum pastu exsaturandas facta esse videbatur. Quae fuerit ignoro, nec sane adduci possum, ut iis assentiar, qui Mandragolam Machiavellii, quae licet minime abhorrebat moribus illius aetatis, omni turpitudine foedata est, in ipsis Vaticanis aedibus actam fuisse ajunt (78). Eodem die spectaculum aliud sane ridendum dedit Leo. Erat Barballus quidam Cajetanus, senex, stultus, credulus, qui se alterum Petrarcham esse in pangendis carminibus Etruscis gloriabatur, cujus levitati materiem ridendi suo more quaerens indulsit adeo Pontifex, ut is eam sibi dari coronam postulaverit, qua olim Petrarcha in Capitolio decoratus fuerat. Eo insaniae devenit, ut ab se se iracunde removerit cognatos & amicos, qui Romam venerant, ut illum a proposito deterrerent. Prodiit ipse optime vestitus, palla auro & purpura contexta indutus, ac praeeuntibus tibiis, aliisque musicis instrumentis, ductus est ad aulam, in qua convivabatur Pontifex. Canere jussus, multa ineptissima carmina fudit, quae non modo risus, sed etiam cachinnos excitarunt. Dimissus, in area Vaticana elephantem conscendit cum tota illa pompa, ut ad triumphum duci videretur. Inter tympana, & tubas, & voces acclamantis populi cum pervenisset ad Hadriani pontem, ex belva, quae consternata est, desilire coactus fuit, atque hic constitit omne illud joculare apparatissimum spectaculum, quod si indignum gravitate Pontificis judicaveris, non equidem repugnabo. Haec res,

quod sane miraberis, non solum litterarum monumentis consignata, sed etiam a peritissimis lignariis caelatoribus in interioris Pontificii cubiculi foribus affabre expressa fuit (79). Id narrandum putavi, quanquam nonnullis leve fortasse videbitur, ut ex eo, quod ingenium esset Pontificis, cognosci possit.

Porro nil tam cognatum erat hujus menti, quam habere & quaerere ridendi materiem. Sumebat hanc interdum ex deformitate & corporis vitiis, interdum ex stultitiis (80) & ex negligentia & erroribus hominum, & testis est Grassius, cum cito nimis aliquando venisset ad statuta sacrificia, deridere solitum fuisse cunctantes Patres. Sciscitanti Francisco Remolino Cardinali, num ei molestus futurus esset, si ad illum bene ante lucem venisset: tu vero, respondit, molestus non eris: jubebis igitur te suscitari? Turpiter enim saepe decumbebat (81). Quia eorum, ut quisque erat genere, muneribus copiisque amplissimus, ita plurimos circum se servos, clientesque habebat, hanc unam gratiam potentiamque noscentes, ad eos carpendos multa lepide dixisse fertur. Salse quidem irrisit luxuriem Friderici Sanseverini Cardinalis, qui cum undique aes alienum contraxisset, nihil illo fieri posse humanius dicebat, quod omnibus fidem suam obbligaverat. Odiosas saepe res, quas argumentis dilui non facile fuisset, joco risuque dissolvebat; & sive haberet, quod narrare potuisset, sive fingeret ad describendos & effingendos hominum mores, nunquam non re lepide & erudite narrata, quales essent intelligebatur. Maxime autem delectabatur facetis hominibus, non iis modo, qui genere utebantur jocandi acuto, eleganti, & ingenioso, sed & iis, qui, exhausto pudore, se fere nihil habere putabant, quod de existimatione perderent. Mentionem fecit Grassius cujusdam *Fratris Bernardi Plumbatoris*, & Joannis Francisci Poggii, Historici filii, quorum alterum *semi-scurram*, alterum *joculatorem* nominat. Erant & alii, quos mimos & ethologos appellasses, nec deerant parasiti, celebrabanturque maxime a gulae intemperantia Morus quidam, &

Brandinus eques (82). His exquisitissimae epulae parabantur, & ut ait Jovius, *coqui inter alia portenta insanientis eorum gulae lucanicas concisis pavonum pulpis farctas commenti fuerant, quod obsonii genus mox successor Hadrianus, vir Batavae frugalitatis mirabundus expavit, cum sumptuarias rationes Leonis inspiceret.* Ad hos eludendos interdum etiam concinnabant dapes, quae delicatum cibum simulabant, edoctique ad omnem contumeliam perferendam, & ad jacienda mittendaque ridicula, cachinnos irridentium commovebant. Poetae etiam exhilarabant convivia Pontificis, qui si ex eorum numero fuissent, qui quondam in epulis ad tibicinem canere solebant clarorum virorum virtutes, justa is reprehensione caruisset (83). Ex his commemoratur maxime Camillus Quernus Archipoeta cognominatus, qui cum poetas Leoni in honore esse didicisset, Monopoli urbe Apuliae patria Romam contendit, secum adferens lyram, ad quam Alexiados suae supra viginti versuum millia decantaret. Neque eum frustrata est spes. Ductus enim ad Pontificem, valde liberaliter invitatus est ad illum frequenter salutandum. Cum, coenante ipso, adstaret ad fenestram, & porrectis ejusdem de manu delicatissimis cibis vesceretur, potaretque de lagena Principis ea lege, ut versus funderet, deque se ipso caneret aliquid, hunc hexametrum protulit:

Archipoeta facit versus pro mille poetis;

quo dicto, paullulum haesit. Tum Leo addidit:

Et pro mille aliis Archipoeta bibit.

Subjunxit ille:

Porrige, quod faciat mihi carmina docta Falernum,

& sine mora respondit Leo:

Hoc enim enervat, debilitatque pedes:

podagra enim ob gulae intemperantiam laborabat. Quandoque conquerentem de inopia Archipoetam Leo hoc carmine interrogavit:

Dic mihi cur dites non cernimus esse Poetas?

statimque respondit ille:

Dis fierem, fieret si mihi mater Opis.

Vix dixerat, cum subjunxit Leo:

Culpa tua est: vitio ignavi cum carminis Opem,
Quam reliqui longam, tu facis esse brevem.

Testis est Gyraldius Joannem quoque Gazoldum saepius ob ineptos versus & claudicantes male mulctatum a Leone flagris, & fabulam omnibus factum, & ipsum Archipoetam a ganeone quodam auribus, & pene naribus deformatum fuisse. Suos quaeque aetas habuit inconditos & malos poetas, alia Suffenos, Aquinos, Caesios, alia Maevios, Bavios, alia Archithrenios, Alanos, Anticlaudianos, aurea Leonis Quernos, Gazoldos & Britonios, quorum ineptias & stultitias ridebat Pontifex, devorabant vero ii, quorum in mente excellentis poesis species insidebat. Ex his unus Mutius Aurelius patria Mantuanus, ac miro prorsus juvenis, ut eum appellat Bembus, ingenio, queri visus est, quod siquid posceret, priusquam quidquam daretur, ad ravim posceret, dum non pauca mediocribus poetis large effuseque Léo donabat. Pulchre hunc admonuit, ne diffideret

bonitati suae, & Mandulphianae arcis praefectura honestavit. Quo decoratus munere, puduit illum fortasse risus & jocos antea adamasse, poeticumque ingenium suum ad Porsennam heroico carmine celebrandum transtulit. Quo in opere dum totus erat, cum flumen mula vectus transiret, aquis submersus misere interiit. Tradunt alii invidiam, vel potius odium populi, cui praeerat, calamitati illi fuisse. Possem & alios commemorare poetas, quorum lusibus Leo oblectabatur, sed modus adhibendus est, ne levitatibus nimium tribuere videamur. Ludo & joco uti quidem licet, sed sicut somno & quietibus ceteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Porro qui rationem vitae reposcebant a Pontifice, vitio illi dabant, quod in his oblectamentis nimium consumeret temporis, contra alii hoc in ejus laude ponebant, quod, amoto ludo, gravissimam Principis personam sustineret, ac tueretur adeo, ut nulla esset Christiani orbis regio, quo ejus paterna studia minime pervenerint (84). Sunt illa quidem gloriosa, quae de illo cecinit Hieronymus Fracastorius secundo in Syphilidis libro, his versibus Bembum alloquens:

. . . . At, Bembe, tacendus
Inter dona Deum nobis data non erit unquam
Magnanimus Leo, quo Latium, quo maxima Roma
Attollit caput alta, paterque ex aggere Tybris
Assurgit, Romaeque fremens gratatur ovanti.
Cujus ab auspiciis jam nunc mala sidera mundo
Cessere, & laeto regnat jam Jupiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina coelum.
Unus, qui aerumnas post tot longosque labores
Dulcia jam profugas revocavit ad otia Musas,
Et leges Latio antiquas, rectumque piumque
Restituit, qui justa animo jam concipit arma
Pro re Romana, pro religione Deorum.

Unde etiam Euphrates, etiam late ostia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit unda refusi,
Atque Aegaea suos confugit Doris ad Isthmos.

Non unus modo Fracastorius, sed quotquot extitere poetae, oratores, historici hanc laudem tribuerunt Leoni, quod per eum Musae omnes postliminio in Latium redierint. Nam qui illius aetate Pontificatum Maximum gessere Innocentius VIII. Alexander VI. & Julius II. hoc maxime moliri videbantur, ut illae minime antiquae servitutis maculas abstergerent, inhonorataeque, quasi contrariae imperio dignitatique, jacerent. Contra ea Leo pro expectatione populi Romani, pro sapientia, quam hauserat in domo paterna, & pro gloriae immortalitatisque cupiditate in eo sibi maxime elaborandum putavit, ut litterae & disciplinae omnes non modo prope se, sed plane secum habitarent, sperans Caelestes, qui Urbi praesidebant, pro eo sibi, ac merebatur, relaturos esse gratiam. Tantum profecto unius hominis incredibilis ac divina virtus lucis afferre Reipublicae potuit, ut Leonis saeculum cum iis gloriosissimis comparetur, quibus Pericles, Alexander & Augustus tot modis litteras, ingenuasque artes, earumque cultores foverunt atque honorarunt. Neque is studia sua intra unius Urbis fines continuit: omnes enim, qui ejus implorabant patrocinium, pro sua parte & auctoritate mirum in modum juvit (85). Quem e suis civibus non ornavit, in quo praestans esset ingenium? Audierat saepe Florentiae prope perfectum oratorem Marcellum. Virgilium Hadrianium de humanioribus litteris, quas publice docebat, disserentem, noverat & prudentiam, cumque ab eo munus accepisset interpretationis V. librorum de arte Medica Dioscoridis, non solum praemio, quod dari par erat, ipsum donavit, sed etiam Romam invitavit ea mente, ut ejusdem opera & consilio in administrandis rebus Reipublicae Florentinae uteretur. At ne patriam desereret

impedivit singularis quaedam ab eo accepta calamitas. (86); nec dubium, quin illa suasisset Pontifici, quibus si paruisset, impendentem perniciem fortasse a Rep. repellere potuisset. Sane minime permisisset, ut faceret, quae vellet Laurentius, nec, illo mortuo, rem totam tradidisset & concessisset voluntati Julii Cardinalis, qui semper eo tracti fuerunt, quo libido dominandi rapuit. Exhibuerunt Pontifici exemplum, quod imitaretur, Nicolaus Valorius, & Stephanus Sterponus Pisciensis, qui *Philoponus* appellabatur, cum Laurentii patris vitam quilibet eorum ipsi nuncupasset (87). Nemo enim non novit moderationem, prudentiam & constantiam tanti viri in gubernaculis Reipublicae tractandis. Praeclare quidem faciebat Leo, cum Florentinos suos praemiis & promissis stimulabat, ut laudem & gloriam, quam sibi prae omnibus gentibus comparaverant in excolendis litteris, retinerent. Ex iis Donatum Polium, in quo multa erat & recondita doctrina, in familiaritatem suam recepit, & Romano Archigymnasio addixit. Jucundissimus illi fuit Joannes Oricellarius Bernardi F. non tam propter propinquitatem, quam propter miram in pangendis Italicis carminibus elegantiam atque dulcedinem, quem cum Legatum in Galliam misisset, satis aperte declaravit hujus muneris perfunctionem aditum illi fore ad amplissimos honores. Sed mors Pontificis omnem ejus spem, & omnia vitae consilia pervertit. Porro is fuit ingenio tanto, quantum id convenit existimari ex ejus de apibus poemate, & ex una atque altera tragoedia Italico hendecasyllabo carmine exaratis, prudentia autem tanta, ut plane satisfecerit in illa obeunda legatione Leoni, quanquam in odium Gallorum hac ipsa de caussa incurrerit. Divinavit qui quantusque vir futurus esset Aloysius Alamannius vel ex eo tempore, quo illum juvenem admodum ad Odonem Lotrechium Mediolanum legavit, ut sua & Reipublicae negotia procuraret. Quot gravissimisque in rebus, ut supra innuimus, adhibuit Franciscum Guicciardinium historicorum suae aetatis facile principem! Quid non tribuit Nicolai Machiavellii

prudentiae in consiliis de rebus civilibus dandis, quanquam ejus constantiae, vel potius fidei diffidere potuisset? Homo enim, qui non erat fortunae bonis abundans, visus est interdum adeo servire temporibus, ut qui pro defensione libertatis in ea conjuratione, quam factam diximus in Mediceos post eorum in patriam reditum, civitatem amiserat, tyrannica praecepta Laurentio dederit, qui ad omnium rerum dominatum aspirabat (88). Anne putas tam largum, tam beneficum illum futurum fuisse in Dovitium, aliosque, quos circum se habebat, nisi ab ingenio & litteris sibi commendati fuissent? Nihil non egit, ut laudes honestarentur, & fortuna sublevaretur Andreae Dactii poetae minime improbandi, multisque litteris Graecis & Latinis exculti, qui se illius commendationi debere professus est, quod quamvis caecus esset, in Academia Pisana munus illarum litterarum docendarum obtinuisset. Commoverunt eum adeo beneficia & virtutes Leonis, ut multis centenis versuum Latinorum ejusdem laudes celebraverit, ea omnia commemorans prospera & adversa, quae illi tota in vita acciderunt (89). Cum datus hic fuisset praeceptor Alexandro Pactio, qui ex Leonis ipsius amita natus erat, adeo hunc inflammavit Graecarum litterarum amore, ut poeticam Aristotelis, & nonnullas Graecas tragoedias Italicam in linguam converterit. Facile autem est conjicere quam amanter Pontifex animo illius inculcaverit, ut studia haec coleret, & aequalibus suis colenda proponeret. Nam, ut diximus, maxime laborabat, ut semina illa doctrinae, quae sparserat in patrio solo Laurentius illius pater, quaeque civilibus discordiis aliquandiu latuisse videbantur, fructus ederent amplissimos. Ut saepe, jucunde & suaviter meminerat, quae pene puer viderat & audierat in sanctissima domo, quam Musarum templum, & omnis virtutis atque praeclarae artis domicilium dixisses! Dum mentionem vero de Politiano praeceptore suo faciebat, tantum illi tribuebat, ut e caelo divinum hominem in terras prolapsum diceret, cumque aliquando a Florentinis suis sibi commodari petiisset Justinianarum legum & Di-

Digestorum libros, quos sua manu ipse descripserat, & commentariis illustraverat, hoc beneficio nihil sibi gratius, nihil optabilius fieri posse declaravit. Erat illi fortasse in animo cultioris juris prudentiae studia in Archigymnasium suum invehere, vel potius de opere tam utili, tamque elaborato in lucem edendo cogitabat. Consilium hoc erat Aemilii Ferretti, qui quae jurisconsultorum ingenio corrupta erant, vehementer adlaborabat, ut suam integritatem recuperarent, cuique tantum concedebat Leo non modo in doctrina juris civilis, in qua perpaucos pares habuit, sed etiam in scribendi elegantia, quanquam in hoc politiorum existimationi plane non satis fecerit, ut inter Apostolicos Secretarios, quemadmodum vocabantur, eidem locum dederit. Hoc ipso munere honestavit Franciscum Castilionensem Dantis Florentini filium, qui amoris in Graecas Latinasque litteras, & studii singularis in Mediceos hereditatem se a majoribus accepisse gloriabatur. Si qui alii superfuerunt ex illo calamitosissimo naufragio, quo non modo afflictae, sed etiam submersae fortunae Mediceorum fuisse videbantur, hos neque inopes, neque inornatos esse patiebatur, quare cum commendaret aliquando Francisco Gallorum Regi Joannem Lascarem Constantinopolitanum in Galliam proficiscentem, virum sane non tam genere, quam usu rerum, & multis iisque interioribus litteris praestantem, quem Laurentius pater quotidiano prope in convictu habuerat, ait se mirifice, omnique tempore illum amasse, & in Pontificatu prope quotidie ita ejus virtute usum, ut nemo sibi charior, nemo jucundior fuerit unquam. Magnum quoque in eo se patriae suae beneficium tribuisse jure meritoque judicabat, quod effecerat, ut per Julianum & Laurentium Mediceos Academia Pisana, quae ob bella aliasque publicas calamitates esse desierat, suae pristinae sedi restitueretur, atque haberet, unde stipendia magistris solverentur. Semel enim iterumque litteras dedit, quibus jubebat ex fructibus sacerdotiorum & monasteriorum, quae

erant in Etruria, tria aureorum numum millia (auxit hanc postea liberalitatem ad quinque usque millia) exigi, ut hoc annuo sumptu non modo Pisanum, sed & Florentinum Lyceum suum pristinum decus recuperarent. Ea propter accersiti a cuncta Italia optimi praeceptores fuerunt, & v. Viri litterarii summe contenderunt a Pontifice, ut, interposita auctoritate sua, a Bononiensibus veniam commigrandi Pisas Petro Pomponatio obtineret (90). Sunt alia plura monumenta, ex quibus cognosci potest, factum studiis Pontificis, ut multi summi viri Pisanum Lyceum ceteris Italicis anteposuerint. Is quoque addicere Florentino optasset Christophorum Longolium, curaveratque, ut is non solum in civitatem reciperetur, si ad instituendam bonis artibus juventutem illuc se conferret, sed etiam mercedem trecentorum aureorum numorum in annos singulos acciperet. Amabat in primis hominem Macliniae in Gallia natum, multis litteris, ac praesertim mitioribus ornatum, qui aliquot annos ante in Italiam, merens stipendia Regis sui, venerat. At, ut solutior liberiorque esset, illo beneficio uti noluit, unum hoc grato animo extollens, quod liberalitas Pontificis nulla se indigere re sinebat. Verum dum a multis, & a Bembo praesertim ac Sadoleto Romae honorabatur, minime effugit invidorum calumnias. Nam extitit Celsus Melinius, qui, publice habita oratione, cui Pontifex ipse aures praebuit (carissimum enim habebat summi ingenii summaeque expectationis adolescentem, cujus immaturo interitu res Romanas, Latinasque litteras damnum fecisse putavit) eum tum absentem perduellionis reum faceret. Cognita autem accusatorum iniquitate, cum multa Longolius pro sui defensione scripsisset, Leo illatam injuriam diplomate sarcivit, quo jubebat ratum esse, quod S. P. Q. R. de adsciscendo eo in civitatem antea decreverat, eique, ubicunque terrarum esset, solvi, quod de privato aerario ad tuenda studia ipsius assignaverat, ea tamen conditione, ne sedem studiorum alibi, quam in Italia, poneret. Ad id in Palatinum, &

sacrosanctae Lateranensis Aulae comitatum sua sponte ipsum cooptavit, & in Romani Pontificatus Scribarum numero esse voluit. Tantae liberalitati ut responderet Longolius, cum sciret nil tam curae esse Pontifici, quam ut Lutheranorum audacia & miserabilis inscitia coargueretur, acceptis ab eo totius caussae commentariis, orationibus eam complecti statuerat. Harum unica tantummodo extat, illa quidem elegans & satis vehemens; reliquas ne absolveret, fecit Pontificis mors, suique dolor, cum in ipsius vita omnem spem fortunarum studiorumque suorum collocasset.

Sed eo redeat, unde Longolii caussa discessit oratio. Nihil porro fuit, quod ad decus & splendorem pertineret Lycei tum Florentini, tum Pisani, quorum gloria & administratio ad nostra usque tempora conjuncta fuit, quod Leo aut per se, aut per eos, qui gubernacula Reipublicae ejus nomine tractabant, omni studio non curaverit. Satis erit dixisse quae temporum iniquitate, & pecuniae difficultate, addam etiam nocentum malitia exaruerant, liberalitate Pontificis reviruisse. Extat Benigni Salviati ad ipsum epistola, ex qua conjici potest quantum illi curae fuerit, ut cum ceteris studia quoque rerum divinarum in iis Lyceis florerent, & in his quidem adeo excellere putabatur homo ille, ut Leo, qui illum institutorem in adolescentia habuerat, adesse quoque voluerit Lateranensi Concilio, in quo primas, cum aliquid in controversiam vocabatur (erat enim subtilissimus disputator) egisse videtur. Pisanos quoque Doctores alios singularibus honoribus affecit. Creavit enim Fani Fortunae Episcopum Gregorium Gherium Pistoriensem, hominem Pontificii juris scientia, & studio in Mediceos omnes clarissimum, ac postea praefecit Parmae et Placentiae urbibus; praeposuit Ariminensibus Jo. Albitium Florentinum, & aliis decoravit muneribus, & ditibus auxit sacerdotiis; tribuit honores amplissimos Laurentio Puccio; suscepit patrocinium Jo. Victorii Pratensis Minoritae multis vexati contumeliis, multis jactati injuriis, eumque Thebanum Archiepiscopum creavit; Hormanno-

ctium Detum, quem Romanas leges explicantem audierat, in collegium Advocatorum sacri, ut vocant, Concistorii una cum Francisco Guicciardinio adscivit; vel propriae familiae cognomine atque stemmate honestavit Augustinum Niphum Suessanum, & Archigymnasio suo Romano, uti narravimus, ampla mercede addixit: in principibus enim philosophorum Peripateticorum numerabatur. Non libet ceteros Pisanos magistros commemorare, qui beneficia a Leone acceperunt. Silentio tamen minime praetereundum putamus, ipsum reconciliasse Romanae Ecclesiae Philippum Decium, qui ab ea alienatus fuerat Julii II. sententia, idcirco quia, edito scripto quodam, probare contenderat, jure coactum fuisse Pisis adversus ipsum Gallorum opera Concilium. Movit hoc adeo iracundi Pontificis animum, ut hominem corripi, & poenas sceleris pendere jusserit, quarum declinandarum caussa ipse in Galliam confugit. Quanquam abundaret audacia, vinci tamen se est passus a benignitate Leonis, cui unice se debere dixit, quod ad Italos suos, & ad Academiam Pisanam cum liberalissimo stipendio numum aureorum DCCC. redierit. Multa de his rebus omnibus in I. Historiae Academiae Pisanae volumine narravimus, & plures extant in Laurentiana bibliotheca manu scripti codices, in quibus inscriptum est Leonis nomen ab iis doctrinarum magistris, qui dum aliquid mandabant litteris, ponebant in maxima laude, si id tanto patrono dignum putaretur.

Sed ne domestica tantummodo persequamur, quis negabit tam liberali, tam benigno fuisse animo Leonem in omnes eos, qui litteris se se dederant, ut ubicumque terrarum essent, singularibus honoribus afficeret? Non solum fortunae, sed etiam dignitati consuluit Andreae Alciati Avenione jus civile docentis, cum ei largum stipendium dari jussisset, & comitem Palatinum creasset. Non ignorabat enim talem esse virum, qui juris prudentiam nova luce, quod & fecit, illustrare potuisset. Vel ex Lusitania per Aegidium Cardinalem Romam accersivit Rodericum summae juvenem

eruditionis, & mirae prorsus in docendo dexteritatis & diligentiae, qui cum se praesertim mathematicis disciplinis tradidisset, has non, ut tum permulti, barbare, sed vel Graece, vel Latine satis polite discipulis exponebat. Leonis quoque benignitas proverxit studia Jo. Genesii Sepulvedae, hominis Hispani, qui Graecis, Latinisque litteris, in primisque philosophia & theologia erat eruditus, eique auctor fuit, ut cum aliis cordatis viris adlaboraret in depellenda a florentissimo regno barbarie, quam per octo ferme saecula aluerant Mauri, Saraceni, & reliqui Arabes, qui in illo imperitarunt. Memoriae prodidit Gyraldius non hunc modo, sed & alios multos ex eadem natione, Britannos, & Germanos, ex omni denique regione praestantes ingenio homines Romam, Leone Pontifice, confluxisse, quod fecisse arbitror, non solum ut graviora studia, quae jam excoluerant, amplissimo theatro spectanda proponerent, sed etiam ut oratione ornata, & artificio quodam et expolitione distincta sensa exprimere discerent. Omnino voluisset Leo vel reconditiores disciplinas minime expertes esse humaniorum litterarum praesidio atque ornamento, & hac quoque de caussa multum tribuit Nicolao Leoniceno, de quo Joseph Scaliger merito praedicavit (91), primum omnium philosophiam & medicinam cum humanioribus litteris conjunxisse, & primum docuisse homines, qui sine bonis litteris medicinam tractant, esse similes iis, qui in alieno foro litigant. Quam multos commovit, ut obviam irent impiis nefariisque Lutheranorum conatibus, qui cum numero tum essent pauci, nec ita multum in liberali ingenuarum artium studio versati, neque ulla divini juris cognitione satis instructi, neque ullo tractandarum litterarum sacrarum usu exercitati, audebant tamen notum, testatum, perpetuum populi Christiani consensum, & Christi ipsius vocem & legem prae opinionum suarum errore arroganter contemnere, quae tot saeculorum praejudiciis, omnium gentium testimoniis, omniumque eorum, qui vel sanctissimi, vel sapientissimi, vel eruditissimi sunt habiti, an-

ctoritate damnatae jam fuerant. Haec Leo efferens, narransque omne institutum voluntatemque Novatorum, nihil majus, nihil sibi gratius fore praedicabat, quam si potentes & docti homines nervos industriae intenderent ad tantam pestem ab Republica avertendam. Extant harum rerum monumenta in iis litteris, quas Sadoletus Pontificis nomine scripsit, quaeque Romae a Paleariniis Fratribus an. MDCCLIV. primum vulgatae fuerunt. Non oratores modo, sed & vel ipsos poetas ad caussam religionis suscipiendam inflammabat. Itaque cum audiisset Jacobum Sannazarium totum esse in perpoliendo poemate de Partu Virginis, litteras ad eum dedit sane honorificentissimas, quibus ipsi eximiam in Deum pietatem, vimque ingenii singularem gratulabatur, eumdemque ad opus vulgandum exhortabatur, illud addens, plurimum interesse Christianae Reipublicae, ut pia hujusmodi atque elegantia scripta impiorum quorumdam scriptis opponerentur, qui religionem a majoribus traditam infelicissimis illis temporibus labefactare, ac funditus delere adlaborabant. Nihilo tamen minus Sannazarius poema apud se continuit, dum Leo e vita migraret, quod minus amico in illum erat animo caussa Cassandrae Marchesiae, ingenio ac forma praecellentis puellae e comitatu nobilium mulierum, quae circum Neapolitanorum Reginam erant, quam deperibat. Nam cum Alphonsus Castriota illam se in matrimonium ducturam promisisset, ipsumque postea datae fidei poenituisset, nihil non egit Sannazarius, Petri Bembi opera praesertim usus, ut Pontifex matrimonium ratum haberet, neque Alphonsum juramento solveret, quod cum minime impetrasset, haud dissimulare potuit iracundiam suam. Fuit sane officiosior in Leonem Hieronymus Vida Veronensis. Hujus poema, quod *Scacchia* inscribitur, cum ad illius, qui hoc ludi genere plurimum oblectabatur, & in quo excellebat, manus pervenisset, & omni ex parte contemplatus esset, hanc vocem cum admiratione edidit: *porro res adeo nova, & explicatu difficillima tanta carminum majestate atque elegantia exponi haud*

potuit , nisi ab eo , qui divino ingenio praeditus sit. Cum audiisset vero tanti carminis auctorem Romae esse (ibi enim , relictis ceteris studiis, se totum philosophis ac theologis erudiendum tradiderat) ad se statim adduci jussit, arbitratus divinitus sibi oblatum virum omnibus numeris absolutum , omnique litterarum praestantia excellentem , qui de omni re egregie posset dicere tum numeris ligata , tum soluta oratione, eumque interpellavit, ut , rejecta omni alia cura , periclitaretur quid efficere , quantumque progredi valeret in explicandis Latino poemate rebus divinis, quae pertinent ad Christi instituta , totamque Christianae religionis sanctitatem . Tum Vida , etiamsi non ignoraret quanta esset rei difficultas , tamen ne tanti Pontificis, tamque de communi hominum societate bene meriti piae voluntati repugnaret , provinciam prius ingenii viribus metitus libenter suscepit, quam quanta cum dignitate expleverit , nemo est adeo aversus a Musis, omnisque elegantiae expers, qui non intelligat . Formam poematis Leo ipse adumbrasse videtur , maximeque expetivisse , ut locus in illo daretur quibusdam sensibus Hebraeorum linguae propriis , qui nulla unquam sermonis Latini luce satis splendescere posse judicabantur. Atque id ipsum felicissime praestitit Vida, hoc unum suae felicitati defuisse putans , quod extremam poemati manum ponere minime potuerit, dum Leo in vita fuit. De hoc autem in libro *de Republica* primo , quo in loco commemorat cetera, quae scripsit, sacra poemata , id affirmare minime dubitavit: *ego vero ista qualiacunque jussus, ne dicam coactus, scripsi, rectiusque fere Leonis X. poemata , quam mea dici possunt*. Atque hi labores non sine praemio fuerunt: nam eum saepe large donavit Pontifex, muneribus, honoribus & opibus auxit, quod his versibus Poeta ipse testatus est:

. . . . Leo jam carmina nostra
Ipse libens relegebat ; ego illi carus & auctus
Muneribusque , opibusque & honoribus insignitus
Omnia mihi erant laeta.

Neque minus liberaliter fovit in Jacobo Sadoleto divinarum litterarum studia, quorum fructus is postea edidit uberrimos; & quod talibus hominibus, in quibus mirus erat doctrinae atque morum innocentiae sanctitatisque quasi concentus consensusque, maxime egere Catholicam Ecclesiam, dum haereticorum tempestate jactabatur & fluctibus, intelligebat, ipsum Carpentoractensem Episcopum creavit eo tempore, quo Roma aberat, voti & religionis caussa ad Lauretanae Virginis templum profectus. Non sivit tamen tantum virum a se discedere, cujus opera sibi semper fuerat fructuosissima, necessaria etiam, postquam Bembo valetudinis curandae gratia veniam dederat Patavium concedendi (92). Dum vero Jacobus optimum & justissimum Principem, ejusque in se liberalissimum animum in caelum efferebat, minime se continere poterat, quin interdum exclamaret: *cujusmodi ceteri ordines? cujusmodi tempora? qui hominum mores? quanta bonorum paucitas?* Quibus dictis volebat homo sanctissimus hoc intelligi, non omnes, qui & honores, & pecuniam & gratiam consecuti fuerant a Pontifice, se his beneficiis dignos praestitisse, quippe qui fere quibus fructibus aucti essent unum cogitabant, cetera magnopere non spectabant. Dum autem incurrebat in memoriam eorum, quorum unumquemque & propria ipsius virtus, & communis cunctorum praedicatio commendabat, quique Romam moti praeclara fama Leonis tota Italia convenerant, dumque repetebat animo delectationes conviviorum, quas non corporis voluptatibus, sed coetu amicorum, sermonibusque metiebatur, dulciter & jucunde se commoveri affirmabat. Loca, in quibus ii summi viri agere conventus solebant, erant vel in Angeli Colotii suburbanis hortis, vel in Tyberis ripa ad Herculis, vel in Circo Maximo, quibus in locis post familiares epulas non tam cupedia multa conditas, quam multis salibus, aut poemata recitabantur, aut orationes pronunciabantur, aut propositae quaestiones dissolvebantur. *Recordor*, inquit ille ad Colotium ipsum Carpentoracte an. MDXXIX. scribens, *pres-*

pressum & acutum Casanovam, Capellam latum sonantem, magniloquum Vidam, & cujus proxime ad antiquam laudem carmen accederet: castigatum & prudentem Beroaldum: uberes autem & suaveis Pierium, Granam, Mathalaenum, Blosium, quosque complures nostra perspexit aetas, partim carmine, partim soluta oratione eximios, cujusmodi Nigrum nostrum Tulliana in dicendo gravitate, Antoniumque Venantium, & Binum in utraque enitentem lingua. Acres autem in judicando, & imprimis acutos, Ubaldinum & Antonium, cui Computistae cognomen est. Quo e numero multi in utroque genere dicendi egregiam sibi laudem a doctis omnibus comparaverunt. Nam illa ornamenta & lumina Romanae linguae, Phaedrus, & Camillus Porcius, magno cunctorum incommodo jamdiu morte erepta nobis sunt, in quibus sedem sibi statuisse videbatur eloquentia. Cujus nunc honorem atque nomen consensu jam urbanorum omnium retinet Paullus Jovius, & in scribenda historia gravis & elegans, & in omni genere litterarum perpolitus. Quin & duorum summorum hominum me admonet recordatio fuisse quoque eorum conventu nostras aliquando coenas atque epulas exornatas, quorum est unus Petrus Bembus, cujus in omni virtute laudeque eloquentiae summa & singularis semper fuit gloria, alter qui nuper in Hispania decessit maximo cum moerore omnium, quibus fuerat notus, hoc est plane omnium Balthasar Castillioneus, magnus vir in primis, nec solum nobilitate & genere, sed magnitudine etiam animi, & omni eximia virtute praestans, quique, quod militari viro erat admirandum, omneis omnino artes libero homine dignas, & omnia doctrinae genera comprehenderat: quem ego recordor saepe atque hilare nostris coetibus interfuisse, & ipsum, & eum, qui paulo ante est mortuus, summa indole ingenii & spe maximae virtutis, Joannem Franciscum Furnium civem meum. Namque hos, qui modo secutus supremum in Gallia obiit diem, pari cum illis virtute & nobilitate praestans, Andreas Navagerius, tametsi nostris coetibus minus saepe interfuerat, propter excellentem tamen

in litteris & scientiam & gloriam a nobis est perhibendus. Lazarum autem, qui nunc abest a vobis, cujus in Graecis & Latinis singularis est eruditio, quique philosophiae & sapientiae studia non solum scientia, quod faciunt permulti, in quibus tamen excellit, sed vita & moribus, & vera virtute complexus est, credo equidem vobis in desiderio esse. Itemque Marium Volaterranum, hominem gravem jam & dignitate, & annis, sed cujus admirabile ingenium, summamque optimarum litterarum cognitionem, nisi urbs & urbanae curae praepedivissent, plurimum lucis allaturum nostro saeculo non dubito fuisse, a quo potissimum exhilarabantur coenae nostrae, cum & in lacessendo acute & in respondendo omnes ex ejus verbis atque vultu effluerent lepores. Nam Marium Buccabellum quod audio esse incolumem, maximopere laetor, hominem cum omni virtute ornatum, tum mihi amicissimum. Atque inter hos tot & tales viros, aliosque complureis, quorum omnium nomina persequi non hujus est scriptionis, dulces quoque Corycii iracundias, & gratas ineptias Donati spectare haud displicebat, quos noster Savoja homo omnium facetissimus & provocare solebat studiose, & ridere. Nam de te, mi Coloti, quid ego dicam? Cujus in animo, ac natura mihi videntur Musae effigiem sui moris ac decoris insculpsisse, ut esses pudore, virtute, liberalitate ornatissimus, cujus pectus atque ingenium doctrinis omnibus, domus autem ipsa tua omnibus doctis pateret.

Haec oblectamenta, haec otia facere videbatur Leo, qui eosdem illos viros, de quibus mentionem fecit Sadoletus, amantissime complectebatur, fovebat, & quibuscumque poterat rebus juvabat, augebat. Utque de nonnullis dicam, amabat in Colotio, quem saepe large donavit, Secretarium, ut ajunt, suum fecit, destinavitque ad regendam Nucerinam Ecclesiam, non solum poeticum ingenium, & eruditionem summam, sed etiam prope incredibile studium inflammandi litterarum cultores ad praeclara suscipienda, atque ingenii monumenta edenda, quorum commodis in aedibus

suis, quas Musarum domicilium dixisses, typographium instituerat (93). Suspiciebat in Portio multa ingenii & animi bona, eumque Aprutinae Ecclesiae praefecit, postquam magna omnium admiratione cathedram eloquentiae Romano in Archigymnasio rexerat: nam sive publice, sive privatim declamaret, nihil ejus dictione suavius, nihil jucundius, nihil expolitius fieri posse videbatur. Hac laude contendere cum eo poterat Phaedrus Inghiramius, quem Erasmus sui saeculi Ciceronem (assentatorie fortasse nimis) dictum fuisse testatur, & cum eo sane liberaliter egit Leo, quemadmodum supra declaravimus, majora daturus, nisi in florenti aetate annorum XLVI. idem infelicissimo casu naturae concessisset. Qui tot annos fidem suam Romanis Pontificibus promptam expositamque praebuit Maffejus, dibapho quidem dignissimus putabatur, & saepe visus est Leo toto animo de ejus ornamentis & commodis cogitare. Praefecit illum Aquinatium sacris, aliisque affecit beneficiis, sed minime decoravit amplissimo honore, quod Florentinorum quorumdam malevolentia factum fuisse narratur. Quam Sadoletus tribuit laudem Comensi Jovio ob scriptam ab eo suorum temporum historiam, suo testimonio confirmavit Leo. Nam cum ad se hominem vocasset, & quoddam munus (Equites dicebantur) praeter illud docendi philosophiam moralem in Archigymnasio Romano ei detulisset, coram Cardinalibus & Principum Legatis ipse legit illarum historiarum prooemium, affirmans nihil in hoc scriptionis genere se unquam vidisse elegantius & gravius. Communem cum eo patriam habebat Marcus Antonius Casanova, in quo versatile erat ingenium, ut natum ad id unum dixisses, quodcunque egisset. Fortasse minime probavit in eo Leo, quod argutias & acumen Martialis aemularetur; graviora autem habuit Clemens VII. quae in illo reprehenderet, quod immemor beneficiorum, quae a Leone acceperat, tantum indulgentiae tribuit Pompejo Columnae Cardinali, ut omnia maledicta, versus etiam obscoenissimos in se dixerit. Minime attinet referre quanto in pretio habuerit Leo

Castilionium, quem vel ab adolescentia singularibus beneficiis sibi obstrinxerat, & quocum affinitatem conjungere concupierat (94). Extant enim litterae Leonis ipsius ad illum, quibus postquam laudavit egregias & praeclaras ejusdem virtutes, & singularem pietatem & cultum, quem sibi omni tempore praestiterat, confirmavit donum, quod is acceperat ab Urbinatium Duce Nubillariae castelli, quod est in agro Pisaurensi, multo etiam majora, si se occasio dedisset, se eidem largiturum promittens. In illo apparatissimo spectaculo, quo Carolus V. Caesar Aquis Grani corona donatus est, adfuit & Castilionius Pontificis nomine, quantoque studio is tum, atque antea in Hispania, & in Belgio ejusdem negotia tractaverit, ipsius ad Julium Mediceum & Bernardum Dovitium Cardinales litterae declarant (95). Tantum sane gratia poterat apud Leonem, tanta erat dexteritate in administrandis negotiis, ut, cum ad eum an. MDXIX. missus fuisset a Friderico Gonzaga Mantuae Marchione, qui odium, in quod incurrerat ejus pater Franciscus Urbinatium rerum caussa, a se avertere exoptabat, non solum omni culpa liberaverit, sed etiam imperium copiarum tum Pontificis, tum Reipublicae Florentinae eidem impetraverit. Fama quoque fuit cogitasse Leonem de Castilionio in Cardinalium collegium cooptando, & cum eo amice conquestum esse, quod, amissa an. MDXX. Hippolyta Taurellia conjuge carissima, statim minime sibi aperuisset animum suum Romanae Ecclesiae militandi. Sed post id tempus nullum amplius creavit Cardinalem Leo, nec diu vitam retinuit. Solebat ipse dicere, nunquam se cum Castilionio congressum esse, quin ab eo multa didicisset, nec unquam ejus scripta legisse, quin ejus elegantiam & eruditionem admiratus esset. Gratissimum vero illi fuit donum epistolae non modo elegantis, sed etiam eloquentis, qua pluribus disseruit de veteribus urbis Reginae monumentis, de architecturae vicissitudinibus, de nobilioribus aedificiis conservandis, restituendis, commensurandis (96). Multa in Castilionio & Andrea Navagerio paria fuerunt, rerum ci-

vilium usus, dexteritas & prudentia in-iis tractandis, scribendi elegantia, & studium cognoscendae & exercendae virtutis. Quantum huic quoque tribueret Leo, quantum hic illi, ex epistola, qua suas in Ciceronem emendationes eidem inscripsit, cognosci potest, in qua postquam exposuit quid ei deberent litterae, quid Roma, *quod per eum in antiquam illam tum imperii, tum omnium & virtutum, & bonarum artium amplitudinem restitueretur*, rationes eas attulit, quibus moveri debebat ad excitandos desides, dissidentesque inter se Principum animos, ut bellum Turcis inferrent. Quia vero, ut ait Bembus ad Longolium scribens, is non modo in litterarum studiis, sed etiam in amicis colendis mirificus erat, horum vel honorem, vel fortunam saepe commendavit Pontifici, apud quem commendationes suas esse gratiosissimas intelligebat. Haud stimulis quidem eguit Leo, ut Lazzarus Bonamicius, quem e Bononiensi ad Romanum Lyceum vocavit, quique multis superior erat doctrina, minime inferior esset fortuna. Successisse ille in locum Auli Jani Parrhasii videtur, qui continuis podagrae doloribus conflictatus, diu docendi laborem minime sustinere potuit. Cum contuleris scripta utriusque, facile judicabis Bonamicium scribendi elegantia Parrhasium superasse, deque eo jure praedicasse Paullum Manutium, unum fuisse, qui rudem barbariem a Latinae linguae finibus arcere potuisset.

Hactenus de doctis viris, quorum Sadoletus honorificam mentionem fecit, quorumque dignitati & gloriae maxime favisse videtur Leo. Lilii quoque Gregorii Gyraldii testimonio multos cognitos habemus, Graecos, Italos, qui quod ab laude praesertim poesis commendatissimi essent, singularibus beneficiis a Leone honestati fuerunt. E Graecis Marcum Masurum Epidaurensium, & Manilium Rhallum Cretensium pontificatu decoravit. Gyraldius idem vindicavit injuriam, quam Masuro imposuerunt Jovius aliique, quasi iniquissime tulisset se praeteritum a Leone fuisse, cum supra triginta Cardinales uno die creasset. Arsenium quoque Monemba-

siae Episcopum amicissime amplexus est, & insignibus donis donavit, cum ei obtulisset Graecum libellum de sapienter degenda vita a se concinnatum ex diversis auctoribus tum prosa, tum carmine. Auctor fuit Salviato, & Ridolphio Cardinalibus, ut domi alerent Graecos, quorum cognita & probata esset doctrina, e quibus numerantur Georgius Balsamo, Matthaeus Avarius Corcyraeus, & Constantinus quidam, nomine tantummodo mihi cognitus homo. Porro, Leone Pontifice, Athenas ipsas cum suis omnibus ornamentis Romam commigrasse dixisses, & quidem passim audiebantur Graece loquentes disserentesque, non ex illa modo natione, sed etiam ex nostratibus, quorum nonnullos Leo adhibuit ad instituendos Graecos adolescentes, quos in Quirinali congregaverat. Ex his nominabo Benedictum Lampridium Cremonensem, virum sane elegantem in dicendo, in existimando admodum prudentem, cujusque, ut Arsilii testimonio utar,

Carmina Romano tantum placuere Tonanti,

His nulla ut nostri temporis aequa putet.

Is omnium fortasse primus ausus est Pindarum aemulari, adeoque excellebat in verbis & eligendis & collocandis, & numerose devinciendis, atque in illuminandis sententiis, ut Latinorum poetarum, qui tum erant plurimi, videretur esse velle princeps. Adde, quod nec continentia, nec pietate, nec ullo genere virtutis quemquam ejusdem aetatis illi anteponendum puto. Neque praetereundi sunt Pisaurensis Philomusus, & Raphael Brandolinius, quos domi Leo alebat, quorumque institutione multi nobiles evasere poetae. Omnes commemorat, & vel eos, qui ausi aliquando sunt stantes versus fundere, Gyraldius ipse, &, quem nominavimus, Franciscus Arsilius Senogalliensis in carmine, quod est in manibus, *de poetis urbanis*, ex quo uno intelliges innumeros pene extitisse, qui

laudis viam rectissimam ducebant, si se Latinis praesertim excolendis Musis totos tradidissent, quod studium erat propterea gratius, quia eo maxime ducebatur Pontifex. Boni quidem is non parum attulit litteris, quod multi ab ipsis Musis quasi mansuefacti atque exculti ad elegantiora defluxerunt; adeo ut si quis orationem aut coeno oblitam, aut rubrica delibutam in medium adduxisset, exsibilaretur atque exploderetur. Nec sane Pontifex digna suis auribus scripta putasset, quae non fuissent urbanitate quadam quasi colorata, sibique gratulabatur, quod suis studiis effecisset, ut non poetae modo, sed & omnes ii, qui se doctos haberi volebant, ad elocutionis facultatem exercerentur. Noli autem quaerere, num in illa turba poetarum omnes hoc nomine dignos judicem. Maximum enim ac difficillimum est in poetica excellere, & fallitur sane is, qui absoluti poetae partes in eo positas arbitratur, cum quis metiendi carminis rationem optime perceperit, cum elegantissimarum vocum supellectilem quasi quamdam sibi compararit, addo etiam cum materiem animo comprehensam ordine quodam atque artificio distinxerit. Sunt enim his graviora & potiora, quae nescio an a suis poetis semper requisierit Leo.

Minime autem dubitabis illos mendacii insimulare, qui ab eo divinas disciplinas prae humanioribus negligentius cultas honoratasque fuisse affirmant, quod his argumentis praeter ea, quae alibi attulimus, convincitur. Cum Florentia advocasset Zenobium Acciajolium, quocum in adolescentia conjunctissime vixerat, hominem e Dominicanorum familia a theologia, & a Graecis Latinisque litteris instructissimum, non solum adhibuit ad comparandos libros, quibus Vaticanam Bibliothecam, cui ipsum praefecit, ornavit, sed etiam ad transferendas ab ipsa in S. Angeli arcem antiquiores chartas, quarum is indicem confecit a Montfauconio in vulgus editum. Idem cum Pontifici nuncuparet suam Latinam interpretationem Sermonum usque XII. Theodoreti Cyrenensis Episcopi de Platonicorum, aliorumque philosophorum erroribus, grate professus

est quot ab eo beneficia (97), quotque stimulos habuerit ad hanc, aliasque interpretationes, quae e re catholica essent, conficiendas. Illud immortalitate dignum ingenium Octaviani Pantagathi, qui bonitate morum cognomen invenit, e familia Servorum B. M. V. ac patria Brixiensis, *cujus erat*, ut de eo ait Paullus Manutius, *humanitas doctrinae par*, *doctrina vero quae poterat esse maxima*, reducis Parisiis, ubi divinis litteris operam dederat, Romano Archigymnasio addixit, diti sacerdotio (Mazarae abbatiam vocabant) auxit, ac vehementer inflammavit ad catholicae Ecclesiae conscribendam historiam. Omnem enim antiquitatem tum sacram, tum profanam optime noverat. Opus, quod jusserat Leo, illo mortuo abjecit, non solum quia negotium multis magnisque difficultatibus impeditum, maximeque molestum se suscepisse intellexit, sed etiam quia modestia quadam a prodeundo in lucem refugiebat (98). Pontifici quidem majus tribui munus nullum poterat, quam scriptum aliquod pro catholica religione, & hoc, teste Raphaele Brandolinio, diligenter perlegebat, mirifice commendabat, & beneficiis remunerabatur. Adhibebat vero curam, quemadmodum alibi quoque innuimus, ut in religiosis familiis non modo confirmarentur, sed etiam augerentur divinarum litterarum studia cum tota illa supellectile, quae illa non solum ornare, sed etiam illustrare poterat; & extant epistolae illius ad Augustinianorum Praefectum, quibus vehementissime illum rogat, ut quoniam sacra religioque ab homine illius familiae plurimum violata erant, omni ope curaret, ut per sapientes ejusdem familiae viros vulnera illata sanarentur. Quam paterne amplexus est, quantis ornavit beneficiis Felicem a Prato, qui in edendis divinis libris Hebraice exaratis, & in perpendendis Rabinorum illustrium interpretationibus multam & diligentissimam operam consumpsit (99)! Erat ille quidem eruditissimus & sapiens, ut qui ab eo tempore, quo Hebraeorum castra deseruit, duce Aegidio Viterbiensi, totum se dediderat sacris humanioribusque litteris. Curavit Leo, ut is Venetiis, ubi diu fuit Bombergiensi typographio prae-

praefectus, Romam accederet, utque sibi, & catholicae Reipublicae multa & utilissima ministeria praestaret. Quod excellere non minus doctrina, quam animi virtutibus putabatur Ambrosius Fiandinius Neapolitanus, non solum ei humanitatem tribuit, sed etiam honorem: factus est enim Lamocensis Episcopus, & Suffraganeus, ut ajunt, Mantuanus. Plura is scripsit in Lutherum, & Petrum Pomponatium, qui negare videbatur animos humanos aeternum duraturos, vehementer oppugnavit, aliaque non pauca pro bono catholicae religionis animose gessit. Sumpsit & arma in Lutherum illius collega Andreas Bauria Ferrariensis, cujus extat *Defensorium Apostolicae Potestatis*, quod opus se suscepisse ait, ut suspicione liberaretur, quam nonnulli injecerant Leoni, se in exagitandis saeculi vitiis, dum sacras ad populum conciones habebat, non solum vehementem & acrem, sed pene furiosum fuisse, quasi imitaretur Lutheranorum exemplum, qui, ut crearent invidiam iis, qui Ecclesiae militabant, & sacrorum antistites erant, Ecclesiam ipsam vituperabant propter nonnullorum vituperandam vitam. Frenos quidem ejus linguae injecit Leo, nec, dum vixit, quidquam ab eo in vulgus emitti sivit, quod ejusdem prudentiae diffidebat in praesentibus prohibendis malis: nam eadem facta & dicta modo diligentiae & bonitatis, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt. Stimulos quidem addidit Ambrosio Catharino & Thomae Cajetano Dominicanis hominibus, ut omnem vim ingenii, quae summa in illis fuit, insumerent in coarguendis Lutheranorum erroribus, & ille prior non hoc modo fecit, sed etiam acerrimus accusator fuit commentariorum in divinos libros, quae postea Cajetanus vulgavit. Ceterum in eo, quod pertinet ad Lutherum, scripta hujus vel ipsum Erasmum laudatorem habuerunt, qui una atque altera epistola extulit auctoris diligentiam atque ingenium, moderationem etiam, *quod rem illustraret*, *minime autem excitaret tumultum*. Dolendum quod quidquid litteris ii mandarunt, scholasticum morem habet, qui tum in honore & pretio maxime esse

videbatur. Superabat illos varietate doctrinae Hieronymus Aleander (Graece enim, Hebraice, Chaldaice luculenter sciebat, nec solum theologia & philosophia, sed & omni fere arte atque doctrina liberali praeditus erat) qui cum ex Gallia, ubi humaniores litteras summa cum laude docuit, in sinum confugisset Leodiensis Episcopi, ab hoc hominem, quem sibi suisque utilissimum fore speraverat, Leo obtinuit. Et eum quidem jussit esse ab epistolis Julio Mediceo Cardinali una cum Antonio Amiterno, & Vaticanae bibliothecae praefecit, neque multo post in Germaniam Legatum misit, ejus fidei, pietati, prudentiae atque doctrinae singulari maxime religionis caussam commendans. Si audis Erasmum, cujus insigne odium fuit in Aleandrum, nihil in hoc apparuit nisi asperum, durum ac vehemens in oppugnando Luthero; contra alii plurimum illius studium erga Romanam Ecclesiam laudarunt, dignissimumque putarunt amplissimis honoribus, quos postea consecutus est. Aequior fuit Erasmus in Laurentium Campeggium, qui dignitate illos, quos postremo loco nominavi, aequavit (nam, ut alibi commemoravimus a Leone creatus Cardinalis fuit) quique in Britannia & Germania plures obivit legationes, in quibus ita se gessit, ut, teste Sadoleto, ea, quae gravissime laborabant, jamque curam omnem respuere videbantur, in commodiorem tamen statum per illum deducta fuerint. Omnia, quae dexteritate secunda Pontifici eligi praepararive poterant, providit, & omnia, quae defendi, repetique & ulcisci fas fuisset, cum in conspectu haberet fana Dei immortalis spoliata, sanctiora instituta violata, & solum Germaniae deforme haereseos malis, sapienter consuluit. Satis profecto mirari nequeo in his negotiis administrandis ipsum minime adhibuisse operam Gregorii Cortesii, quem Cardinalis apud se habuit usque eo, dum ille Cassinensium Monachorum familiae nomen dedit, vel valetudinis gratia ad Mutinenses suos rediit. Hujus quidem extant litterae, quibus de summo Pontificatu gratulatur Leoni, omnibusque testatur, nihil se in ejus domo vidisse nisi pudicum,

castum & religiosum, neque se dubitare, quin in magna morum corruptela ejus sanctitas, prudentia atque magnanimitas tanquam clarissimum lumen universo Christiano orbi splendescerent. Ad hanc obtinendam laudem non parum quidem illi profutura fuissent Cortesii consilia, in quo erat ingenium., prudentia, eloquentia, doctrina, Graecarum litterarum scientia, pietas praeterea, continentia & religio singularis. Cum is plurimum elaborasset in convertendis e Graeco in Latinum SS. Patrum scriptis, ex his purissimis fontibus argumenta sumpsit ad convellendos haereticorum errores, minime sequens morem eorum, qui in sordibus Scholasticorum, tamquam in visco, adhaerescebant, quique non tam exemplis & rationibus, quam conviciis & maledictis, &, quod pejus est, jocis etiam atque facetiis illiberalissimis rem agebant. *Enim vero*, inquit ipse, *qui veritatis indagandae studio scribunt, mites modestosque se ipsos exhibent Christi exemplo, qui cum ipse esset veritas, in se ipso quoque mansuetudinem praedicavit, tantumque abfuit, ut ultro maledixerit, ut etiam, quod Petrus ait, maledicenti non minaretur*. Atque utinam hoc praeceptum secutus fuisset, quem paullo supra nominavimus, Ambrosius Catharinus; nam famae suae melius quidem consuluisset. Pugnax & lacertosus athleta quidquid convellendum adoriebatur, vehementissime petebat, & dum objurgabat eos, quibuscum manus conserebat, minime parcebat dignitati suae, ut spoliaret alienam. Antequam Ecclesiae militaret, tumque vocabatur Lancellotus Politus, eum Leo Consistorii Advocatum ob magnam, quam sibi in patrio Senensi Gymnasio comparaverat legalis doctrinae famam, creavit, auctorque illi fuit, postquam in Dominicanorum castra transivit, ut excellentem praestantiam ingenii sui ad religionis bonum totam transferret. Minime quoque silentio praetereundus est Matthaeus Gibertus Veronensis, qui Leoni vel ab ineunte adolescentia mirum in modum acceptus fuit ob suavitatem & innocentiam morum, ob ingenium, quod ad mitiora studia prorsus factum videbatur, quodque

cum transtulisset ad graviora, factus Veronensis Episcopus, veluti lumen aliquod eluxit sanctitatis & doctrinae. Cum illi gratularetur Sadoletus, quod ejus impensa & opera optimi scriptores Graeci, quorum in sacris litteris interpretandis egregia doctrina est & auctoritas, imprimerentur, ait in hoc se agnoscere *pristinum ejus animum propensum ad bene merendum de artibus optimis*. Multa sunt alia elogia, quae docti & boni omnes illi impertivere, plurimumque auxere beneficia, quae in illum Leo contulit, Clemens VII. & Paulus III. qui ejusdem fructuosissima opera multis gravissimisque in rebus usi sunt. Nec profecto dubito, quin in amplissimo S. R. E. Cardinalium collegio ipsum locassent, nisi natalium dedecus obstitisset. Testis est Bembus plurimum quoque Leonem adhibuisse sibi in consilium Nicolaum Schenbergium natione Svevum e Praedicatorum familia, quem anno MDXX. Archiepiscopatu Capuano auxit, hominem sane rerum publicarum notitia, divinarum elegantiorumque litterarum doctrina clarissimum, & multum tribuisse, vel antequam esset Pontifex, hominibus Genuensibus Augustino Foliettae (100) & Augustino Panigarolae, ingenio, doctrina & prudentia florentissimis. Ut vero audivit Panigarolam in vincula Mediolani conjectum esse, nihil non egit, ut iis liberaretur, non modo ut ejus saluti, sed etiam ut sui utilitati consuleret, quod habebat negotia gravissima, quae ipsi curanda tractandaque mandare volebat. Minime defuere, qui in eo culparent Leonem, quod non satis liberalis fuisset in decorandis iis, quos nominavi, hominibus, quorumque plerique, uti Sadoletus cum suo collega Bembo, Aleander, Cortesius, Politus, Schenbergius in Purpuratorum Patrum Senatum a Paullo III. cooptati fuerunt. Fuit hic sane felicior in hujusmodi praemiis tribuendis, ut vere de eo praedicatum fuerit a Sadoleto, novum ab ipso introductum, vel potius revocatum exemplum ex ipso more majorum, & longo intervallo repetitum, ut in mandandis honoribus non gratiae, sed virtutis ratio tantummodo haberetur. Sed summi ii viri, quos amplissima digni-

tate ornavit, fateri debuerunt aditum ad eam sibi patefecisse Leonem; & nonnullorum fortasse inhonorata & ingloria vita fuisset, nisi per eum cogniti probatique fuissent, quorum ingeniis & scriptis plurimum sane Leonis aetas decorata fuit. *Cunctos rationis*, quemadmodum de eo memoriae mandavit Raphael Brandolinius, *naturae, morum, humani divinique juris, ac supremae illius scientiae, quam theologiam vocant, peritissimos viros accersit, probat, honestissimisque stipendiis refocillat, quodque in primis memoratu est dignissimum, praestat quaecunque praecipiunt, & tantum viros in omni disciplinarum genere praestantissimos diligit, quantum ab illis probatur*. Testis est idem eo in dialogo, quem de Leonis laudibus exaravit, quique propterea *Leo* inscribitur, ipsum accersivisse acutissimos philosophos, gravissimos jurisconsultos, prudentissimos medicos e cunctis Italiae Galliaeque gymnasiis, ad se etiam invitasse geometras ac arithmeticos bello paceque opportunos, nec contempsisse astronomos, qui plerumque, quod miraberis, prodibant e religiosis familiis (101), sic ut ad ceteras laudes eam addiderit, qua nulla major est, nulla praeclarior, ut communi omnium populorum consensu litterarum pater nominaretur. Magnum quoque philosophiae ornamentum attulisse videtur, quod si quid ab ejus cultoribus proferendum esset, quod oleret aut Academiam, aut Lyceum, eos vehementer hortabatur, ut oleret quidem philosophiam, non illam horridam & incultam, aut elinguem, aut stulte clamosam, quae scholas prope omnes occupaverat, sed vetustam illam Atticam, ornatam ingenuarum artium multo splendidoque comitatu. Cujus studii quod hortator & magister sibi fuerat domi Politianus, tanti viri auctoritate & exemplo minime verebatur, nedum novo & alieno ornatu optabat ornari philosophiam, suo quoque eam concesso & tradito spoliare atque denudare videretur. Cum saepe familiares sermones haberet de frugifera philosophia cum Francisco Pico Mirandulano, cui homini adeo concedebat, ut parem Joanni patruo poneret (& nullius quidem disciplinae & artis

expers fuisse videtur) ab eoque donum accepisset quatuor librorum *de Amore Divino*, quos Romae an. MDXVJ. vulgavit, philosophorum nomine eos tantummodo appellandos contendebat, qui illius exemplo studerent omnium rerum divinarum atque humanarum vim, naturam caussasque nosse, & omnem bene vivendi rationem tenere ac persequi.

Ac mihi quidem saepe numero in summos homines, ac summis ingeniis praeditos, qui iis temporibus floruerunt, intuenti, quaerendum esse visum est, cur plures in mitioribus litteris, quam in gravioribus disciplinis excellentes extiterint, nec sane quemquam fugit studiis, quae fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur, magna quoque praemia proposita fuisse. Illud quidem vere dici posse videtur plures aut majore delectatione, aut spe uberiore, aut praemiis amplioribus commotos fuisse ad humaniores litteras excolendas, in quibus quod perraro exoritur aliquis excellens, cuncti, qui laudis cupidi erant, studio omni ad eas sibi comparandas enitendum putabant. Recordabantur factum per eas, ut Itali barbariem, qua per tot saecula non modo afflicti, sed oppressi fuerunt, exuerint, dumque repetebant memoria Dantem, aliosque poetas & oratores, quamvis totius rationis ignaros, quantum ingenio & cogitatione poterant, consecutos fuisse nominis immortalitatem, eo magis sibi in his studiis elaborandum existimabant, quod, apertis uberrimis Graecorum Latinorumque fontibus, exercitationis viam & praecepta artis novissent. Erant etiam industriae & laboris stimuli ipsius Pontificis voces, qui de nulla re libentius loquebatur, quam de mansuetioribus Musis, illam saepe in ore habens Ciceronis sententiam: *hae adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium & solatium praebent, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur*. Eae quidem, vel antequam Pontificatum Maximum obtineret, in illius aedibus domicilium collocasse videbantur, & nemo ipsarum gloria clarus Romam adventabat, quin statim illum ad se se ar-

cesseret, singularique humanitate complecteretur, quod de se ipso testatur Bembus in iis litteris, quas an. MDV. ad Philippum Beroaldum minorem dedit, & Balthasar Castilionius, cum matri narraret, quae fortunae spes sibi esset proposita. Cum vero Pontifex creatus est, de se praedicare poterat, quod Nicolaus V. dixisse fertur: nam cum ei renunciatum esset, quosdam esse Romae, qui bonos versus facerent, negavit bonos esse: cur enim, inquit, ad me non veniunt, qui poetis etiam malis pateo? (102). Sapientissimus sane homo moleste tulisset in urbe sua esse, qui litteras scirent, & nescirentur. Reges ipsi, qui noverant ingenium Leonis, rationibus suis se consulere putabant, quoties ad eum legabant homines doctrina praestantes. Diximus supra de Budeo a Gallorum Rege Romam misso, nunc dicendum de Alberto Pio Carpi domino, qui fuit Caesaris ad Pontificem ipsum Legatus, quemque ob excellentem sapientiam non solum amore, & perpetuo quodam judicio suo, sed etiam beneficiis singularibus sibi obstrinxit. Nam cum adversae fortunae fluctibus plurimum jactatus fuisset, invenit sollicitudinum & injuriarum perfugium in liberalitate Pontificis, a quo donatus fuit S. Felicis, Meldolae, & Sarsinae ditione, & Bertinori praefectura. Ipsa Pontificis benevolentia post hujus mortem odium in eum Gallorum primum, mox & Caesaris concitavit, qui postquam eum augere dignitate recusavit, omnibus, quod gravius fuit, fortunis, & ipsa Carpi ditione spoliavit. Hunc porro virum, ut de eo memoriae mandavit Sadoletus, omnibus ingenii, doctrinae & virtutis ornamentis praeditum facile assimilaveris heroibus illis, quibus gloriatur antiquitas, & prosperiori sane fortuna usus fuisset, nisi paruisset consiliis Leonis, qui fecit, ut quocunque sua studia inclinarent, quae modo Gallis, modo Caesarianis favere videbantur, iis totum se se daret Albertus (103). Ne putes autem illum vel in maximis tempestatibus feriatum fuisse ab iis studiis, ad quae sua sponte, & cohortationibus Leonis incitabatur. Nam nullum fere doctrinarum tum divinarum, tum humanarum

genus praetermisit, in quo non se exerceret, & in quo quid vellet, non consequeretur. In eo quoque plurimum laudatur, quod summa ope nisus est, ne Erasmus in Lutheranorum partes propenderet, & ne impurissimorum hominum fraudibus decipi se pateretur. Eo etiam maxime spectarunt curae Pontificis, cujus extant plures ad Erasmum ipsum litterae testes opinionis, quam de illius doctrina habebat, & studii de illius salute & gloria. Noverat non solum hominem, antequam Pontifex crearetur, sed etiam familiariter cum eo congressus fuerat, nec fuit tempus ullum, quo se paratissimum minime ostenderit vel ad levandam fortunam illius, vel ad honorandam virtutem. Cum aliquando ipsum commendasset Henrico VIII. Britanniae Regi, affirmare minime dubitavit, se numerare in primis, qui doctrina & eloquentia rem catholicam juvare potuissent. Tantum vero tribuebat Erasmus Leoni, ut cum huic nuncupasset Novum Testamentum a se Graece & Latine editum, sibi de eo vere licere praedicare putaverit: *tria ab eo bona generis humani restituta fuisse, pietatem christianam multis modis collapsam, optimas litteras partim neglectas hactenus, partim corruptas, & publicam & perpetuam orbis Christiani concordiam, pietatis & eruditionis fontem. Haec erunt*, addidit ipse, *nunquam intermoritura Leonis X. trophaea, quae doctorum hominum litteris aeternae memoriae consecrata tuum Pontificatum, tuamque gentem semper illustrabunt*. Cum intellexisset vero a Petro Caraffa ad Britanniae Regem Legato Pontificis, hunc magnopere cupere, ut per se quoque emendatissime ederentur S. Hieronymi scripta, se omnem curam & diligentiam adhibiturum pollicitus est, ut huic rectissimo studio satisfieret. Sed is ne fuit semper Erasmus, quem quaerebat & optabat Leo? Si suspicionibus materiem dedit, si voluntate minus firmus fuit in defendenda catholicae Ecclesiae caussa, non tamen illos audiendos puto, qui illam prorsus deseruisse affirmant.

Pro-

Profecto nihil effugiebat Leonem, & cum cogitaret pericula & insidias, quae multis summis viris struebantur a rerum novarum cupidis, vehementissime dolebat, sibique nihil reliqui faciebat, vel ut eos bono in proposito confirmaret, vel ut a lapsu revocaret. Quare cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissime audiret, dixisse ajunt, ejus, a quo suum studium praedicaretur inflammandi illos, qui litteris praestabant, ad eas cum religionis emolumento excolendas, & ad communem fructum afferendas, sine quo in vita nihil quicquam egregium. Hoc nimirum erat illud, quod scribebat in epistola quadam ad Henricum Cornelium Agrippam, qui multa animose & fortiter se gessisse & exarasse gloriabatur pro tuenda Ecclesiae libertate, ad Joannem Reuclinum Germanum, qui arcana Hebraeorum confirmandis Christianae legis praesidiis in lucem protulerat, sibique nuncupaverat (horum enim hominum audacia tum perspicua minime erat, notissima autem doctrina & ingenium omnino mirum) ad Ludovicum Marlianum Tudensem Episcopum, qui cum nobilem orationem pro Catholica Fide emisisset, quod illi commune fuit cum aliis multis, laudem a Pontifice eximiam retulit, quod egregium ingenium, & singularem doctrinam ad Dei, sui, sanctaeque Romanae Ecclesiae cultum contulisset. (104) Pietatem & majestatem S. Leonis Magni spirare mihi videntur epistolae, quas Sadoletus Pontificis nomine scripsit ad viros litteris, gratia, opibus, dignitatibus & imperiis praestantes, ut eos exhortaretur ad comprimendam nascentem errorum pestem, & ad vetera instituta cum observantia erga Romanam Ecclesiam retinenda. Dumque studia eloquentiae, ceterarumque humaniorum litterarum fovebat, solitus erat dicere; *nihilominus iis studendum, etsi iis quidam abutantur, & medicina quaerenda, unde libido hominum nocentissimorum vulnera infligendi materiem nanciscuntur.*

Ad haec studia Romae colenda plurimum is conducere putabat illum litteratorum hominum coetum, cui Academiae Romanae nomen erat, cujusque institutor fuerat Pomponius Laetus. Non satis

quidem dici potest quot ii incitamenta habuerint a Leone, ut eorum laudes cunctis gentibus apparerent, prolatis in adspectum lucemque ingenii monumentis, & ne alacritas animique hilaritas, quae illorum congressus atque convivia condiebat, quidquam virtuti officeret. Omnia illi, ut Plinii verbis utar, tanto laudabiliora videbantur, quanto jucundiora, tanto jucundiora, quanto laudabiliora erant. Cum visum aliquando iis fuisset fungi pio munere, si Latinis carminibus celebrassent religionem Jani Corycii Lucumburgensis, quod magnifice extruendum sacellum curaverat in S. Augustini Aede, in quo aram Christo, Matri & Aviae cum statuis ab Andrea Contuccio Sansovinati exculptis dedicavit, eorum consilium adeo probavit Pontifex, ut de his ipsis carminibus edendis curam susceperit Blosius Palladius, vir in pangendis versibus mira facilitate & facundia, & in dicendo elegans, quod tamen serius omnino praestitum est: nam Leo e vivis excesserat, quando Coryciana apparuit. Ex hoc autem uno, sane elegantissimo libello cognosci potest, quantum urbs Roma tum eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis, ac praesertim poeticis afflueret, quae si quis leviora putabit, quod durior ad illa sensu suo gustare non valeat, tamen mirari debebit humanissimum ac liberalissimum Pontificis ingenium, qui quasi Dei aliquo dono atque munere commendati sibi esse poetae viderentur, omni ratione eos fovendos existimavit, quorum laudibus non solum ipse, sed etiam Populi Romani nomen plurimum ornatum fuit. Nonne cum legis in Areosto quae de Leone, parce quamvis, praedicat, usurpare tibi posse videris, quod Alexander, cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset: *o fortunate, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!* Cum ei suum poema, antequam ederetur, de gestis errantium, longo studio, & multorum annorum cura vigiliisque confectum obtulisset, laudavit in eo Leo non solum egregiam bonarum artium ac litterarum doctrinam, & in mitioribus studiis, praesertimque poeticis elegans ac praeclarum ingenium, sed etiam singularem ipsius, perque veterem erga se

familiamque suam benevolentiam, cujus non mediocre indicium dedit, cum nobilissima Italica ode ad Philibertam Sabaudam Juliani Medicei uxorem ejusdem dolorem ob viri carissimi mortem solatus esset. Idem quadam in satyra narrat, quam amice & paterne a Pontifice acceptus fuerit, cum primum ad illum venit (105), quae dona habuerit, & quare abjecerit consilium eorum, a quibus adducebatur in spem majora obtinendi, si fortunarum suarum sedem Romae collocasset. Nihil venustius apologo, quo se aut nulla, aut non magna spe esse declaravit, quem confictum a Poeta arbitror, ut in eo expressam imaginem ingenii Pontificis nimium in suos liberalis intueremur. Porro qui vel sedulitatem non unius mali poëtae duxit aliquo tamen praemio dignam, cur hujus ingenium & virtutem, atque in scribendo copiam prorsus miram non expetivisset atque honorasset? Quid non tribuit Antonio Thebaldeo Ferrariensi, & Augustino Beatiano Tarvisano, quamvis illorum carmina (de Italicis loquor, minime autem de Latinis, in quibus faciliores Musas experti sunt) durum quiddam sonarent? Quid non Pisaurensi Posthumo, licet poesis laude multis esset inferior (106)? Quam saepe dabat aures aut Berni lusibus, quem juvenem admodum Dovitius Cardinalis in aulam suam recepit, cuique neminem in hoc poesis genere Leo praeferebat, aut lyricis carminibus Jo. Hieronymi de Rubeis Parmensis, quem diti sacerdotio, aliisque honoribus decoravit, aut amatoriis Francisci Mariae Molsae, quem omnium elegantissimum poetam, sive Etrusca, sive Latina, sive gravia, sive ludicra carmina pangeret, illam tulisse aetatem affirmat Lucas Contilis! Capuano sacerdotio (illo quidem non admodum diti) Andream Maronem auxit, cujus facilitatem admirabatur in fundendis ex tempore Latinis versibus, in quibus sive elegum, sive phaleucium, sive sapphicum, sive hendecasyllabum ad omnem disceptationem deposceret, nihil erat absurdum, inane & hiulcum, ut de eo non immerito cecinerit Valerianus, quanquam aliter sentire vi-

deatur Gyraldius, qui in eo durum & tumidum orationis genus reprehendit:

Mille ex tempore carmina erudita,
Quis nil sit lutulentum, inexpolitum.

Mirum in modum favit ingenio Bernardi Accolti, quem magnum lumen poesis, & unicum dixit Areostus (107.), cuique Jo. Matthaeus Toscanus hoc tribuit elogium.

Carmina, quae subito tibi sunt effusa calore,
Vel quae sunt lima saepe polita tua,
Qui legit, haud cernit quid differat impetus arte,
Et procusa pari cuncta labore putat;
Atque ait; haec si est ars, nihil hac est cultius arte;
Si furor, est ars hoc culta furore minus.

Amabat Leo Accoltos omnes non tam propter eorum in litteras merita singularia, quam propter memoriam fidei praestantis, quam Petri Cardinalis & Bernardi pater Benedictus Mediceis & Reipublicae Florentinae praestiterat. Ex illorum fratre natus erat Benedictus, quem admodum adolescentem Leo Gaditano primum pontificatu, mox Cremonensi honestavit. Multos is habuit laudatores, qui in eo elogio consentire videntur, nihil illo fieri potuisse elegantius & politius sive prosa, sive versu scriberet, nihil vero liberalius in doctrinarum ingenuarum cultoribus fovendis. Atque utinam is factus Cardinalis, & Anconitanus Archiepiscopus a contentionibus, quae summae illi fuerunt cum Hippolyto Cardinali Mediceo, abstinuisset: minime enim in discrimen existimationis suae venisset. Prudentior Petrus eum vitae cursum tenuit, ut se dignum praestiterit iis laudibus, summis illis quidem, quibus Leo eumdem tum Galliae, tum Hispaniarum Regibus amplificandae caus-

sa ipsius fortunae commendavit. Neque minus liberalis in Bernardum, hunc non solum retulit in numerum Scriptorum, ut ajebant, Apostolicorum & Abreviatorum, verum etiam Nepetae ditione decoravit, pro qua eximia beneficentia in se, atque suos, maximisque beneficiis, quibus Pontifex prosequebatur doctos homines, poema condidisse dicitur, quod inscripsit: *La liberalità di Papa Leone*. Tanta erat omnium hujusce liberalitatis admiratio, ut virtutis carmen efficeret, ob eamque caussam multi non solum movebantur, sed etiam inflammabantur ad praeclara suscipienda; nam ubi honos publice est, ibi gloriae cupiditas esse oportet. *Nec sane quisquam*, ut Raphaelis Brandolinii testimonio & verbis utar, *humanitatis studia professus uberiores laborum ac vigiliarum fructus sperat, quam qui hujus Pontificis mansuetudinem, aequitatem, clementiam, pietatem, munificentiam, ceteraque id genus animi ornamenta saepius extollit, facilius exprimit, commodius narrat, idque ut libentius, & crebrius fiat, & juvenum & virorum ingenia acrioribus quotidie stimulis excitantur*. De se quidem fatebatur Marcus Antonius Flaminius, quod cum vix e pueritia egressus a patre ad Pontificem ductus fuisset, audivissetque ab eo Virgilianum illud de Ascanio carmen;

Macte nova virtute, puer, sic itur ad astra,

(novit enim statim ille quanta vis ingenii in adolescentulo inesset, cujus excolendi curam Brandolinio ipsi commisit) tanto se incensum fuisse desiderio ad ingenua studia exercenda, ut nec valetudinis, nec rei familiaris habuerit unquam rationem. Eadem fere dicito de Basilio Zanchio Bergomati, qui, cum in flore juventae, motus praeclara fama Leonis, hominumque doctissimorum, quos circum se habebat, Romam accessisset, ab eo plurimum inflammatus fuit ad mansuetiores Musas, ac praesertim sacras toto pectore amplectendas. Quid si horum nobilissimorum adoles-

centulorum, postquam adulti facti sunt, *potuisset agnoscere cantus?* Nunquam enim *avidum pectus satiabatur variis Musis*, quae erant ei quasi humanitatis cibus. Cum vellet autem sibi nota esse nomina eorum, qui ad illas a natura facti erant, non dubitabat ipsos inertiae nequitiaeque condemnare, si naturale bonum minime doctrina atque exercitatione roborassent, & ad communem utilitatem minime contulissent. Carissimus illi fuit Jo. Georgius Trissinius Vicetinus, quod in eo noverat non solum poeticum ingenium, sed etiam multarum rerum peritiam, & publicarum praesertim usum, quare cum eumdem legasset ad Daniae Regem, ad Maximilianum Caesarem, & ad Venetos, nulli fideliori ac prudentiori christianae Reipublicae negotia se committere potuisse affirmavit. Vel ante hoc tempus mirificus hic Graecorum imitator in omni poesis genere Italicis hendecasyllabis versibus exaraverat tragoediam, quae Sophonisba inscribitur, gravem illam quidem, moratam, politam cum sensu & dolore. Hoc munus tanto Pontifice dignum putavit; hic autem probavit adeo, ut eamdem cum omni apparatu agendam jusserit in ipsis Vaticanis aedibus, gratulans poetae, quod omnium primus Italos suos docuerit hoc scriptionis genus cum dignitate tractare. Quare si dedit operam, ut illius honori ac nomini deserviret, id se virtuti & merito tribuere professus est. Hoc assequi prorsus volebat, & omni quidem studio & diligentia curavit, ut redderetur ingenuis artibus pristinus splendor, quod obtineri posse intelligebat, si ii, qui aliquod munus efficere moliebantur, eam optimi speciem, quam praesertim in Graecis admiramur, sibi tanquam exemplar proponerent ad imitandum. Itaque non potuit non magnopere probare Oricellarii Rosmundam, quae peracta dicitur in hortis Oricellariis, dum ipse Florentiae commorabatur, quaeque prorsus facta est ad Graecorum lucernam, & nisi fallor, hac laude minime Sophonisbae postponenda, aliisque nominibus etiam anteferenda. Etenim nihil in illa est abjectum; sive verba, sive sententias spectes, plane tragicum sonat, nec gran-

dia, in quo saepe peccavit Trissinius, minute narrat. Tantum tamen tribuebat Trissinio Oricellarius, & merito quidem, ut eum praesertim suorum scriptorum emendatorem esse cuperet. Contigit quoque Leoni, ut auctor multis fuisse videatur condendae comoediae ad Latinorum morem (108) dabisque illius humanitati, & ingenio ad ridendum promptissimo, si ea oblectabatur adeo, ut quotannis ad se vocare solitus esset Senenses juvenes, qui non multo post coetum, cui nomen dederunt Rudium, instituerunt. Etenim ii in hoc scriptionis genere excellere, & optimi comoedi esse putabantur (109). Hoc etiam nomine charissimus illi fuit Dovitius, de quo Jovius haec memoriae mandavit: *Poeticae & Etruscae linguae studiosus comoedias multo sale, multisque facetiis refertas componebat, ingenuos juvenes ad histrionicam hortabatur, & scenas in Vaticano spatiosis in conclavibus instituebat. Propterea cum forte Calandram a mollibus argutisque leporibus perjucundam in gratiam Isabellae Mantuani Principis uxoris per nobiles comoedos agere instituisset, precibus impetravit, ut ipse Pontifex e conspicuo loco despectaret. Erat etiam Bibiena mirus artifex hominibus aetate, vel professione gravibus ad insaniam impellendis, quo genere hominum adeo Pontifex oblectabatur, ut laudando, ac mira eis persuadendo, donandoque plures ex stolidis stultissimos, & maxime ridiculos efficere consuevisset.* Non defuerunt illa aetate alii gravissimi homines, quibus factum hoc minus consideratum, ac prorsus improbandum judicarunt, quique scenae licentiam vehementissime increparunt (110). Laudarunt alii magnificentiam Leonis in apparatissimis spectaculis praebendis, quasi omnium artium naturam & perfectionem comprehendisset. Nam cum quotidie secum haberet artifices peritissimos, hos vel in minimis tenuissimisque rebus adhibebat, ut in omnibus optimi forma appareret. Narrat Georgius Vasarius quae ab eo mandata habuerit Balthasar Perutius, & quam felix fuerit in pingendis scenis, quae agendae Calandrae inservirent. Nihilo tamen minus dubitare nonnulli viden-

tur, num haec, ut & Sophonisba actae fuerint in Vaticanis aedibus. Ac de comoedia quidem, uti supra narravimus, testatus est Paris Grassius, diligens & fide dignus narrator earum rerum, in quibus spectandis audiendisque Pontifex laetissima permulcebatur voluptate.

Vel a tenerrima aetate didicerat hic a Politiano, ut ex hujus litteris ad Ascanium Sfortiam Cardinalem conjici potest, magno in pretio habere antiquitatis monumenta, quare vehementer dolebat tantam fuisse praeteritorum temporum barbariem, ut in iis delendis vel ipsi Pontifices pietatis laudem consequi se posse speraverint. Ut quae superfuerant ex tanto naufragio in urbe quondam terrarum domina conservarentur, magnopere quidem curavit (111), ac Raphaeli Urbinati negotium dedit, ut quidquid antiqui marmoris & saxi litteris incisum esset ad cultum litterarum, Romanique sermonis elegantiam excolendam, per eum sartum & tectum esset, mulcta trecenorum numum aureorum iis irrogata, qui caedendi marmoris artem Romae exercebant, si sine illius jussu & permissu lapidem ullum inscriptum caedere, secareve ausi fuissent. Non minori cura signa, anaglypta, toreumata, vasa caelata & cetera hujusmodi conquirebat (112) quorum studium, ad quod cohortatione & exemplo Patris vel a teneris, ut ajunt, unguiculis excitatus fuit, in eo cum aetate crevit. Magni enim interesse putabat non solum ad decus & laudem civitatis, sed etiam ad fructum liberalium artium, nobiliorumque artificum, plura hujusmodi habere, solitus dicere, se nil magis cupere, quam ut aliquando Romam in urbe Roma liceret agnoscere. Prorsus illa omnia in supellectile Leonis numerabantur, in queis antiquitatis imaginem aliquis intueri potuisset. Hac etiam de caussa nunquam finem fecit comparandi manu scriptos codices, quibus & privatam suam bibliothecam, & Vaticanam ornaret. Respexisse autem ad historicos praesertim videtur, seque superaturum Crassum divitiis ajebat, si T. Livii amissos libros invenire potuisset. Praemiis ac promissis in-

invitabat omnes ad illos, aliosque hujusmodi conquirendos, mittebat ad remotissimas regiones homines, qui ut canes venatici optime odorarentur omnia, & latebras bibliothecarum, & monasteriorum recessus pervestigarent, & litteras dabat ad Episcopos ac Reges, ut, quibuscumque rebus possent, huic rectissimo studio suo adjumenta afferrent. Ex iis, quae Faustus Sabeus Vaticanae bibliothecae praefectus, hac de caussa & fecit & tulit, facile de ceteris judicabis. Extat enim illius epigramma, quo sic Leonem alloquitur.

Ipse tuli pro te discrimina, damna, labores,
Et varios casus barbarie in media,
Carcere ut eriperem, & vinclis & funere libros,
Qui te conspicerent, & patriam reduces.

Hujus praeclari studii Leonis monumenta quoque habes apud Petrum Bailium, qui suum in dictionarium retulit binas ipsius litteras ad Albertum Brandeburgensem, quibus illi vehementer commendavit Joannem Heytmers de Zonvelben clericum Leodiensem, quem ad nationes mittebat Germaniae, Daniae, Svetiae, Norvegiae & Gothiae pro quaerendis antiquis libris, maximeque historicis. Similia habes in iis litteris, quas ad Daniae Regem dedit, de quibus illius gentis historici mentionem fecerunt (113). Auxilium etiam imploravit & efflagitavit Leonardi Lauredani Venetiarum Principis, quando in illam urbem misit Augustinum Beatianum, quem hominem ingenio & doctrina praestantem, familiaremque suum vocat, cui id mandatum dedit, ut nulli sumptui parceret, dum ad se Graecorum librorum messem deferret. Hos in ipsa Graecia quaesivit, iis se aemulari dicens, qui ea habebant, quae se habere cupiebat. *Inter ceteras curas*, in haec ferme verba scribebat ad Franciscum Rosam, *quas in hac humanarum rerum curatione divinitus mihi concessa subeo, non in postremis hanc quoque*

habendam duco, ut Graecae litterae restituantur, utque Latina lingua dicatur facta auctior, & bonarum artium cupidis ad maximos in disciplinis progressus non mediocris apportata fuisse opis judicetur. Idcirco, ait, *nulli parcendum ducimus impensae, ut veteres scriptores ubique gentium diligentissime inquirantur, & ad nos deferantur.*

Noli quaerere, quos exitus habuerint tot Leonis studia in comparandis veteribus monumentis. Nam Hadrianus VI. qui illi successit, despexit illa (114), & quasi Deus hujus inscitiae, ne duriori utar verbo, vindex esse voluisset, sivit ut Roma foede diriperetur a Barbaris, a quibus non iis modo antiquitatis reliquiis, sed omni pene ornamento spoliata fuit. In tanta direptione librorum & codicum casu servati nonnulli fuerunt, qui nunc ornant Florentinam S. Laurentii bibliothecam, ad quam Clementis VII. liberalitate translati fuerunt. Ex iis, omnium fortasse pretiosissimus, continet V. Cornelii Taciti Annalium libros, qui in Corbeiensi monasterio ad Visurgum repertus est, & pro quo Leo quingentos aureos numos exsolvit. Adhibuit vero operam Philippi Beroaldi junioris, ut ii libri, qui tamdiu desiderabantur, Romae vulgarentur, omnibusque notum esset, quemadmodum in extrema hujus editionis pagina legitur, *haud mediocria a se proposita praemia fuisse iis, qui ad se libros veteres, neque eactenus editos attulissent*. Haec passim celebrabantur, ac Leo conditor fere alter Urbis atque parens, praesidium & decus litteratorum haud vanis laudibus appellabatur. *Urbem Romam*, ait Jo. Pierius Valerianus, *ut pote communem orbis totius patriam ita litteratorum copia fertilem & abundantem intuebamur, sive ipsa suos ostentaret, sive peregrinos gremio susceptos aluisse, & inter suos fovisse gloriaretur, ut in ea ipsa demum per annos aliquot major litteratorum proventus fuerit, quam in reliqua universa Italia*. Neque ulla erat ars & doctrina, quam non magni faceret Pontifex, cui si otium & studium ad omnes colendas defuit, satis tamen earum rationem, naturam-

que comprehendebat, quod non difficile factu fuit, cum quotidie secum haberet doctissimos homines, qui ornate & graviter de arte, quam profitebantur, disserebant. Quod ad litteras vero humaniores pertinet, minime mentiri videbor, si affirmavero hac in re illum ceteris praestitisse Pontificibus (115). Nihilo tamen minus Petrus Bembus, cum suasu Latini Juvenalis, viri doctrina, prudentia & dexteritate spectatissimi, cujus opera plurimum Leo usus fuerat, XVJ. usque libros epistolarum, quas hujus nomine exaraverat, vulgasset, nuncupavissetque Paullo JJJ. pronunciare minime dubitavit, hunc in optimarum artium disciplinis multo, quam illum, doctiorem fuisse. At non effugit multorum reprehensiones, quasi oblitus beneficiorum, quae a Leone acceperat (nam qui Romam pauper venerat, teste Jo. Casa, ex fructibus sacerdotiorum sestertia amplius CXX. millia capiebat) benevolentiam viventis & imperantis Pontificis assentatione colligere voluisset. Qua de re cum scriberet ipse ad Franciscum Molsam, culpae deprecandae gratia ait: *Ego vero cum probandum esset populo & scenae meum illud consilium, quo ut illos libros (epistolarum) ad Paullum mitterem, persuasus sum, quid potui afferre aptius atque accommodatius, quam si eum a mitiorum studiorum elegantia, quorum in genere scriptorum illi ipsi libri sunt, laudavissem, Leonique praetulissem? Fuit autem illud quidem in Leone non tam animi, quam fortunae culpa minus accumulatum & redundans bonum. Quae cum eum fortuna multis incommodorum generibus diutissime versarit, fugae, direptionis, exilii, egestatis, dare se se ille bonarum artium studiis magnopere non potuit. In quibus si ei Paullum anteposui, non item in prudentiae, aut sapientiae muneribus, non in tractanda regendaque Rep. non in constantia, temperantia, probitate, liberalitate, quae sunt verae solidaeque virtutes, quasque omnes homines Paullo magnopere attribuunt, anteposui.* Esto quod in tot vitae periculis laboribusque, ut ad extremum usque spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerit, minus sibi

temporis sumere potuerit Leo ad haec studia recolenda, sed nisi multorum praeceptis multisque litteris sibi ab adolescentia suasisset, suppeditari ab iis, ubi & animus quotidianis laboribus & fortunae injuriis jactatus reficeretur, & aures aut ineptiis, aut conviciis defessae conquiescerent, non adeo quidem ipsis deditus fuisset, ut sine iis vitam insuavem duceret. Quare si affirmavero artibus illis, quas laudibus efferebat, quasque tot modis honorabat, ipsum eruditum fuisse, debitum illius virtuti praeconium me tribuisse putabo. Atque illud etiam contendere posse videor, quod quamvis excellenti ingenio & animo fuerit Paullus, & ad naturam eximiam atque illustrem adjunxerit rationem quamdam & conformationem doctrinae, quam adolescens praesertim hausit a Pisanae Academiae Magistris, & a summis viris, quos domi alebat Laurentius Mediceus, apud quem habitasse videtur, non ita tamen factus erat ad studia humanitatis, quae sane mirabatur, cum in aliis videbat, & gustabat etiam, teste Gyraldio, Graece & Latine bene doctus, ut aliquid ex se promeret, quod alios delectaret. Contra Leo, quemadmodum affirmavit Jovius (nec suspicio est illum gratiae aucupandae caussa esse mentitum, cum scribat de mortuo) *dictabat epistolas Etrusce & Latine perelegantes, & expedite: componebat etiam versus non illepide Latinos, Etruscos vero peramoena jucunditate delectabiles; noverat quoque Graecas litteras, nequaquam ad ostentationem, sed ad praesidia Latinae eruditionis; legendi autem & relegendi oblata quaeque, & praealtos etiam codices absque ulla fastidii suspicione avidissimus aeque ac patientissimus, adeo ut cum incomparabili memoria frueretur, omnium gentium saeculorumque historias in exemplum actionum suarum opportunissime recitaret.* Illud etiam adjungit, quod acri adeo pollebat judicio in quacunque re aestimanda, adeoque teretes aures habebat, ut multi scriptorum suorum censuram ab eo requirerent. Testis quoque est locupletissimus Matthaeus Herculanius Camers, qui ejus bibliothecam frequentare solebat, cum aliquid aut Grae-

cum, aut Latinum ad illum deferebatur, non solum de sententiis recte judicasse, sed & in examinandis verborum omnium ponderibus tanta mentis acie praestitisse, ut in ejus dictis omnes acquiescerent (116). Fuit & ea laus Leonis certe maxima, quod esset in familiari sermone acutus & elegans, facetus, brevis, in docendo edisserendoque copiosus & eloquens cum summa suavitate oris ac vocis. Quaesitum aliquando fuit, num Pontifex, quando in Cardinalium concilium veniebat, per se, vel per interpretes verba facere debuisset. Jussit quidem Leo, adversantibus licet Cardinalibus, retineri morem, quem invexerat Pius JJ. omnium suae aetatis eloquentissimus, Latine dicendi per se, quod nunquam non praestitisse testatur Grassius *nisi eleganter*, *facunde*, *secure*, *&* *docte*. Atque id eo mirabilius videbatur, quod multi recordabantur solitum fuisse mendosissime dicere Paullum JJ., haesitantibus adeo verbis Innocentium VJJJ., ut saepe risum commoveret, titubante & cespitante lingua Alexandrum VJ. timide autem adeo Julium JJ. quasi rudem discipulum, sic ut menda interdum corrigeret, bis terve eadem verba repetendo. Atque hoc subsidium jam inde ab adolescentia sibi maximis exercitationibus comparavit Leo, ut nec timuisset rhetorem quamvis eloquentem. Sive igitur spectes ingenium, sive ingenii lumen eloquentiam, sive cognitionem earum rerum, quae sunt litteris traditae, non facile reperies quem Romanorum Pontificum Leoni superiorem ponas, quod elogium libet quoque confirmare testimonio Jo. Pierii Valeriani, qui eum sane bene noverat, solitus domesticis ejus rebus interesse. Datus enim erat praeceptor Alexandro & Hippolyto Mediceis, quorum, qui essent in institutione puerili progressus, Leo, qui eos paterne amabat, per se videre volebat. Et is quidam ait fuisse ipsum *nullo non doctrinae genere institutum*, *Graecis Latinisque litteris eruditum*, *acerrimique judicii*, *&* *seu solutam orationem scriberet*, *seu carmen pangeret*, *sive meditatus paratusque ad dicendum veniret*, *sive ex tempore dissereret*, *omnium meritum fuisse laudes*. Faciebat vero e sua

dignitate & e Republica, cum quae in se erant bona, in aliis quoque provehebat, nullum genus industriae negligens, quod ad rem litterariam quomodocumque pertinebat. Hinc factum, ut Aldi Manutii laudi plurimum faverit, quod, cum esset ipse Graecis & Latinis litteris eruditissimus, eorum, qui his antecelluissent, scripta typis elegantissimis in vulgus spargeret (117). Pari modo ceteros hujusmodi artifices fovit, &, quibuscumque potuit rebus, auxit, quodque Julius II. apud Fanum Fortunae esse voluerat typographium Arabicum, cui praeerat Gregorius Georgius Venetus, hunc liberalitatem suam frustra implorare minime passus est.

In eo quoque Leonis humanitatem agnosces, quod musices perstudiosus fuerit. Natura ei vocem suavem & teneram, quae vel in familiari sermone eos, qui audiebant, mirum in modum permulcebat atque alliciebat, auresque delicatissimas dederat, nec defuerant peritissimi musici, qui naturae adjungerent doctrinam, ut vel a teneris annis satis scienter & caneret & psalleret. Disputabat etiam libenter de tonis & chordis, totaque numerorum proportione, habebatque in ipso cubiculo, in quo cubabat, instrumentum, quo se exerceret, & dictorum suorum rationem redderet. Paris Grassius mentionem etiam fecit cujusdam monochordii, quod a Pontifice se dono accepisse narrat. Is cum scriberet ad Franciscum Mariam Metaurensium Ducem, commemorat quemdam Joannem Mariam Germanum, quem artis musicae peritissimum, suumque sane perveterem familiarem esse dicit, cuique arcem Verruchianam per Vicarium custodiendam tradiderat. Non minori enim praemio, qui in hac arte excellebant, quam qui litteris operam dabant, afficiendos putabat. Ea propter minime reverens reprehensiones prudentiorum, uno eodemque die Jacobum Gherardum Volaterranum, qui Praesulum Romanorum aetate & sapientia decus & lumen erat, Segninum Episcopum, & Gabrielem Merinum Hispanum, cujus tantummodo nota erat in psallendo & canendo peritia, Barii Archiepiscopum creavit. Huic quoque rei indicio esse poterunt litte-

rae, quas ad Episcopum Ouetensem dedit, ut Franciscus Peaulosa, quo in sacris & caerimoniarum celebritate familiariter, & prope quotidie utebatur, Archidiaconatu Ecclesiae Hispalensis decoraretur. Erat is quoque natione Hispanus, & Hispanos cantores plerumque adhibebant Romani Pontifices, sed Leo undequaque peritissimos conquirebat (118), & quia tum minime apud Italos mos erat evirandi qui acuta, blandiori & flexibiliori voce concinere debebant eo in templo, quod, ut Leo ipse ajebat, *communem totius orbis terrarum pietatem & laetitiam continebat*, hos ex Gallia arcessivit. Advocavit etiam Florentia Alexandrum Mellinium e B. M. V. Servorum familia, cujus celebrabatur peritia in modis musicis faciendis, ut cantus numerosque eorum, quos in sacris adhibebat, moderaretur. Porro nil tam studebat, quam ut sanctae caerimoniae omnem dignitatem haberent, & ipsa pompa, & oculorum & aurium sensu invitarent accedentium animos ad majus quiddam humano excogitandum. Ex quo fiebat, ut illis Caerimoniarum, ut loquuntur, Magistris plurimum tribueret, eorum omne institutum voluntatemque retinens. Aures tamen minime praebuit Grassio, qui omnem saevitiam adhibendam censebat in Christophorum Marcellum Venetum & Corcyraeum Archiepiscopum, idcirco quia an. MDXVJ. Venetiis vulgaverat, & Pontifici ipsi nuncupaverat *Rituum Ecclesiasticorum, sive sacrarum Caerimoniarum SS. Romanae Ecclesiae libros tres non antea impressos*. Rebatur enim homo ille arcanos ejusmodi Ecclesiae ritus non esse emittendos in vulgus, & eum, qui emisisset, reum esse violatae Pontificiae majestatis (119). At Leoni id sanctum, augustum & religiosum esse videbatur, quod more institutoque majorum fiebat, neque occultandum esse, quod sapientiorum hominum cogitata ratio invenerat. Ea propter morem retinuit benedicendi, ut ajunt, Agnos Dei, rosam auream, enses & pileos, quibus ab eo donabantur summi Reges, summique Principes (120). Porro nil tam cupiebat, quam eorum servire religioni, rogatusque ab Galliae Rege in Sanctorum album retulit

Franciscum ab oppido Calabriae, in quo natus est, de Paula appellatum, quod se quoque concessurum promisit Reipublicae Florentinae, quae ab eo summis precibus petierat, ut Antonino Archiepiscopo pro eximia ejus sanctitate & doctrina Beatorum honores haberentur. Illum diem primum sibi honestissimum fuisse dicebat, quo in Senatu Christianorum Principum Legatis declaravit, se profecto effecturum, ut omnes intelligerent, nil tam sibi curae fore, quam ut communi consensu atque conspiratione dignitas, majestas, & gloria Catholicae Reipublicae non modo conservaretur, sed etiam amplificaretur. Quare satis mirari nequeo extitisse nonnullos, qui eo impudentiae progressi sunt, ut Leonis calumniarentur de religione sensus (121). Sane non floruisset tam diu memoria ejus nomen, si hujus criminis vel minimam suspicionem dedisset, quae quidem cadere minime poterat in Pontificem, qui neminem superiorem habuit in caerimoniis & religionibus publicis sanctissime tuendis, & in precationibus solemnibus pie & decore faciendis; qui animo vere pudico die mercurii carnes non edere, die autem veneris nihil gustare praeter legumen & olera, ac die demum saturni coena penitus abstinere consueverat; qui vel a teneris annis singularia dederat castimoniae & pietatis exempla; quique nil scribebat, ut ex ejus litteris intelligi potest, quod ardens studium tuendae Catholicae religionis non spiraret. Si in quibusdam rebus rationem sui commodi, suaeque oblectationis duxit, si nimium indulsit Legatis suis, qui res sacras venales habuerunt, si minime castigavit quorumdam temeritatem, qui nullum omnino quaestum Pontificibus illicitum esse praedicabant (122), si sumptus effusos amavit, si nimium liberalis & indulgens fuit in suos, si minime evitavit reprehensiones maledicorum, qui non decere Pontificem dictitabant, habere cubicularios aetate, genere & forma florentes, & cum iis familiariter etiam cavillari & jocari, si scurris oblectabatur, si ridendi materiem quaerebat, culpari quidem, si libet, haec poterunt, sed non ita severe, ut in suspi-

spicionem impietatis, quod sine horrore pronunciare non possumus, Summum Pontificem adducamus. Equidem cum propius ejus actiones, totamque vitam contemplor, mihi affirmare posse videor fuisse illum continentissimum, & religionis observantissimum, quod etiam testimonio Aegidii Cardinalis, qui sane neque blanditiis assentationibusque se penitus immerserat in consuetudinem illius, aliorumque multorum comprobatur. Profecto si secus fuisset, Lutherus, qui ut calumniaretur Ecclesiae Romanae Rectores, nodum, ut ajunt, in scirpo quaerebat, quique tot odii in Leonem caussas habebat, minime ejus famae pepercisset. In re divina facienda non semel Paris Grassius eum lacrimantem vidit, qui & illud testatur aegre ab illo impetratum fuisse, ne nudis pedibus incederet in illa supplicatione, quae a Vaticana Basilica ad Aedem S. Mariae ad Minervam facta est implorandi caussa divinam opem, uti supra commemoravimus, pro Christianorum Principum concordia, & Reipublicae incolumitate. Minime vero rebatur ille quidquam pietati & decori officere liberam quamdam animi oblectationem. Nam cum scriberet ad Aegidium ipsum Cardinalem, haec de se confidentissime dixit: *Arbitramur Circumspectioni tuae cognitum nos paterna charitate prosequi dilectum filium Martinum Fernandes de Corduba, alias de Molina, familiarem nostrum, cujus lepiditate ingenii & morum, quae maxime extat in iis, quibus honestissime ocium traducitur, nos, quantum ab arduis negotiis interdum discedere licet, satis delectamur.* Quod ad eos vero attinet, qui ejus indulgentia abutebantur, quis Principum extitit unquam, qui vel errore, vel nimia naturae bonitate ad aliorum arbitrium multa non gesserit? Teste Jovio, nonnunquam accidebat, ut, cum a Puccio Cardinali Poenitentiariae, ut loquuntur, Praefecto libelli de gravissimis rebus subscribendi ipsi porrigerentur, eumdem obtestaretur, ne se impudenter in errorem labi pateretur, quando mox ab aliqua enormi concessione aequitatis fines transgresso poenitentia simul & infamia laborandum esset. Longissime abfuit ab imitando

Alexandri & Julii exemplo, qui saepissime sacerdotia venalia proposuerunt, cum ab ambitiosis & ditibus pretium duarum, aut trium decimarum, & biennales etiam redditus antecaperent, & officiis sacerdotia permutare sibi jure optimo licere arbitrarentur (123). Carissimus illi erat Joannes Blanchius cubicularius, qui cum nescio quid postulasset, quod alienum a sacrorum canonum decretis videri poterat, percunctatus Pontifex quantum emolumenti, concesso beneficio, obventurum illi esset, respondissetque ducentos aureos, totidem e crumena numeravit, ac libellum discerpsit. Habebat enim semper secum pecuniam, quam daret, ne differendo videretur negare, eos principe loco indignos existimans, qui nequaquam fortunae muneribus uterentur ad liberalitatem exercendam, atque inopiam sublevandam. Atque id non natura solum faciebat (quanquam omnes ei paremus) sed etiam doctrina, domesticum se habere exemplum dicens ad imitandum. Omnia enim & dicta & facta Patris meminerat, qui propter magnificentiam liberalitatis nomen suum immortalitati commendavit.

At non minus hac virtute apud omnes pervulgata fuit fama Leonis. Si quem vidisset vestitu humili atque obsoleto, qui probitatem quamdam & ingenuitatem prae se tulisset, statim subveniebat illi; iniquitatem fortunae pati minime sinebat eos, qui aliqua arte praesertim liberali commendabantur; aderat illis, quos invidiae ingratorum civium cessisse intelligebat, & qui militiae munus sustinuerant, ex quibus plures cohortes contrahere potuit; complurimos suo sumptu alebat adolescentes, in quibus egregiam quamdam & praeclaram indolem ad litteras ingenuasque artes excolendas esse cognoverat; denique nemo vel civis, vel peregrinus offensus fortuna ad eum accedebat (& facillimi quidem erant ad ipsum aditus) cui, quibus poterat rebus, non opitularetur. Ad alendas, & in bona mente confirmandas feminas, quae turpem quaestum deseruerant, media in urbe monasterium fundavit; subsidia paravit nosocomiis & orphanotrophiis; paupertatem levavit sacrarum vir-

ginum aliorumque, qui in claustris vitam degebant, &, ut paucis dicam, nihil vehementius contendit, quam ut consolaretur afflictos, perterritos a timore deduceret, & miserorum fortunam sublevaret. Difficile esset omnia persequi, & non necessaria. Illud unum intelligi volumus Leonis liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse, ignoscendumque bonitati naturae illius, si calamitates interdum indignorum hominum sublevavit, multosque vel sua sponte, vel aliorum arbitratu locupletavit, qui vitae gravitate atque integritate non satis commendabantur. Vides me in pluribus rebus laudare Leonem, in multis defendere atque excusare, in quibusdam etiam reprehendere. Profecto si illius Pontificatus in alia tempora virtuti adeo non amica incidisset (quis enim ignorat communem illius aetatis corruptelam tum in moribus, tum in ratione administrandae Reipublicae?) homo, qui in imperio, atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque Romanae Ecclesiae, & ad litterarum bonum revocabat, nullam fortasse reprehensioni caussam dedisset. Id fortasse sentiebat ipse, sed omnes facile saeculo & naturae paremus.

Qua mollitia erat & lenitate animi propensissimum se semper ostendit ad condonandas obliviscendasque injurias, nihilque libentius gessit quam misericordiae partes. Illam vero severitatis personam licet nunquam appetiverit, a Republica tamen sibi impositam ita sustinuit, ut nefariorum criminum rei, iique praesertim, qui bonitate & clementia illius abutentes post primam delicti veniam novis sceleribus se contaminassent, quique publicam tranquillitatem turbassent, nihil non ab eo timere deberent. Diximus supra quam severe in Petruccium Cardinalem, aliosque conjurationis reos animadverterit, cujus conjurationis, & conspirationis cujusdam cum Francisco Maria Feltrio quod particeps fuisse putabatur Jo. Paullus Ballionius Perusinus, homo ingenio acer & vehemens, manu promptus, & imperii adeo appetens, ut patriae tyrannidem occupaverit, & crudeliter, despectis Pontificis jussis, exercuerit,

hunc Romam vocavit, & nequiquam deprecante Camillo Ursinio ejus genero, ut hominis vitae parceret, a quo Medicei haud mediocria in bello acceperant beneficia, quique, nisi illius lenitati confisus esset, patriam, quamvis in ea haberet acerrimos adversarios affines & propinquos omnes, minime deseruisset, capite damnavit (124). Antequam morti traderetur, non solum de objectis criminibus, sed & de multis aliis maleficiis, quae potuisset inficiari (fecerat enim multa impure atque tetre) aperte confessus est, sic ut ejus supplicio nemo misericordia commotus fuerit. Eamdem poenam subiiere Amedeus Recinatium tyrannus, cujus projectam esse audaciam & effrenatam cupiditatem novandi res satis constabat, & Zibichius, qui Fabriani turbulentissimas habuerat conciones, & exules, & obaeratos ad arma vocaverat. Luit quoque capite poenas Reipublicae Hector Severianus virium robore insignis, qui caedibus, rapinis, omnique scelerum genere Beneventanos suos vexaverat. Cum inter se inveteratis odiis dissiderent Aesini atque Anconitani, neque se ab inferendis injuriis continerent, non sivit Leo esse inultam impunitamque eorum audaciam. Eodem tempore, quo egit humanissime cum Hannibale, Antonio, Galeatio, Alexandro, Hermete Bentivolis fratribus, omnibusque illis Bononiensibus, qui illorum partes secuti fuerant, reddens illis lares & bona, si qui eorum extitere, qui sui, magistratuumque jussa negligentes lascivire iterum ausi fuerint, sane coegit ipsos inconstantiae temeritatisque poenitere. Eam enim esse mentem suam palam dictitabat, ne paucorum hominum caussa populorum pax & tranquillitas perturbaretur, utque ex alieno periculo reliqui discerent nihil contra Rempublicam cogitare & facere. Pedites equitesque misit, quorum imperium dedit Joanni Mediceo, ad debellandum Ludovicum Freducium, qui crudelissimo dominatu Firmum patriam suam tenebat, qua in re strenuus ille dux, qui nunquam victus est, feliciter adeo se gessit, ut tyranno, omnibusque fere illis, qui cum eo pugnavere, mortem attulerit. Si se-

veritatem judiciorum, quae in homines audacissimos facta est, libuit interdum Pontifici misericordia mitigare, in summa comitate prae se ferebat etiam severitatis satis ad continendos male animatos, ne veniae spes eos ferociores, impotentioresque redderet. Non iracunde modo increpavit, sed & in Hadriani mole includi jussit Sanseverinum Cardinalem, quod erat suspicio fugae consuluisse hominum, qui in famulatu illius erant, quique homicidii rei convicti fuerant. Sed cum, in quo accusabatur, culpa vacaret, brevi custodia liberatus est. Ipsum volumen epistolarum, quas Bembus Pontificis nomine scripsit, plura habet, ex quibus cognosci potest ita probasse Leonem mansuetudinem atque clementiam, ut adhiberet etiam Reipublicae caussa severitatem. *Is enim animi nostri sensus est*, (in haec verba scribebat Magistratui Bononiensi) *ut qui male vivunt, flagitiosique sunt, suorum scelerum poenas luant* (125). Dignitas ac majestas Catholicae Ecclesiae Rectoris exigere a se quoque putavit, ut acrioribus suppliciis puniret libellorum Pontificiorum falsificos, quam tumultuantes cives. Cujus criminis cum convictus fuisset Sebastianus Tarvisanus, qui civile jus in Archigymnasio Romano profitebatur, flammis in campo Florae extinctus est. Vidit etiam Roma mortem sui nobilissimi civis Rencii Mancinii impurissimi hominis & scelerati, qui affinem suum Cornetanum in aede S. Mariae ad Minervam confoderat, quique potentia & audacia sua fretus omnibus minas jactare, & pericula intendere, despecta magistratuum majestate, consueverat. Omnino propositum erat Pontifici potentiorum audaciam comprimere, & factiones illas, quae diu nimium Romam affixerant, tollere, quod sane fieri minime potuisset sine magna legum & judiciorum severitate. Sedatis enim fluctibus & tempestate commutata, plures fore minime dubitabat, qui Romam tanquam in portum confugerent, qua ipsa de caussa portoria reliquaque vectigalia plurimum imminuit. Hoc bono gubernatore crevit adeo res Romana, ut cum multi illuc confluerent ex universa Italia, & praesertim ex Insubria

& Circumpadanis regionibus, censerentur octoginta usque millia civium & inquilinorum. Neque hunc numerum mediocrem existimaveris, si tempora cum temporibus conferes. Urbs enim, quae quondam opibus, imperio, gloria supra ceteras longissime floruerat, Barbarorum, Pontificum ipsorum, & factiosorum hominum opera deformata adeo fuerat, vix ut vestigia veteris illius splendoris apparerent. Nil profecto antiquius erat Leoni, quam illius saluti dignitatique consulere, & quia desertas arationes, inanes agros, provinciam miseram perditamque offenderat, se officio justo & debito fungi arbitrabatur, cum opulentiores invitabat ad villas aedificandas, resque rusticas laetas faciendas. Nec minus laboravit, ut in Urbe esset copia optimorum artificum, non eorum modo, qui liberales, sed etiam qui sordidi appellantur, quibus domus hac ipsa de caussa extructas ad Campum Martium assignavit. Neque eos sinebat esse otiosos, cum magnificis operibus, & aedificiis Urbem ipsam ornasset. Templa, vias, aquas (126) curavit. Quod in Laterano multa erant aut vetustate, aut negligentia, atque in his Lavacrum, sublapsa, in melius reparavit; viam, quae ad Flaminiam portam ducit, multis disjectis domibus, trifariam divisit, rectam fecit, silice stravit, atque ornavit (127). Dirutam fere aedem S. Mariae in Dominica, cujus titulum Cardinalis obtinuerat, architecto Raphaele Sanctio, reficiendam, & picturis ornandam curavit, ad quam cum equo vectus ivisset an. MDXIX., antequam domum rediret, invisit Farnesianas aedes recenter aedificatas, plurimumque laudavit architecti peritiam (fuit hic Antonius a S. Gallo junior) & domini magnificentiam. Ditiores enim cum voce, tum exemplo excitare volebat ad Urbem hujusmodi operibus exornandam. Quodque nihil erat tam arduum, nihil tam magnificum, quod ab eo non solum non expectarent homines, sed etiam non flagitarent, ne deesset pecunia ad absolvendam Vaticanam Basilicam, ex Indulgentiis corrogare illam sibi licere putavit, cum quod dabatur, non sibi, sed Deo immortali datum videretur.

Inchoaverat Julius II. Bramante Lazzario architecto istud opus, veteri diruto templo, sed quod cupidissime ab illo susceptum fuerat, plurimum a perfectione aberat, vix ut fundamenta jecisse videretur. Conandum id putavit Leo, opera usus Raphaelis Sanctii Urbinatis, quem moriens Bramans omnium aptissimum esse praedicaverat. Litterae, quas ad eum dedit, dignae quidem sunt, quae hoc loco exscribantur, quod declarant quanto in pretio haberet Leo hominem prope divinum, quem multis in rebus ad decus & ornamentum Urbis adhibuit. Sunt autem hujusmodi. *Cum praeter picturae artem, qua in arte te excellere omnes homines intelligunt, is a Bramante architecto etiam in construendis aedibus es habitus, ut tibi ille recte Principis Apostolorum templi Romani a se inchoati aedificationem committi posse moriens existimaverit, idque tu nobis, forma ejus templi confecta, quae desiderabatur, totiusque operis ratione tradita, docte atque abunde probaveris: nos, quibus nihil est prope antiquius, quam ut phanum id quam magnificentissime, quamque celerrime construatur, te magistrum ejus operis facimus cum stipendio nummum aureorum trecentorum tibi annis singulis curandorum a nostris pecuniarum, que ad ejus phani aedificationem erogantur, ad nosque perferuntur, magistris, a quibus id stipendium aequis pro tempore portionibus dari tibi, cum petieris, sine mora etiam mensibus singulis jubeo. Te vero hortor, ut hujus muneris curam ita suscipias, ut in eo exercendo cum existimationis tuae ac nominis, quorum quidem in juvenili aetate bona fundamenta jacere te oportet, tum spei de te nostrae, paternaeque in te benevolentiae, demum etiam phani, quod in toto orbe terrarum longe omnium maximum atque sanctissimum semper fuit, dignitatis & celebritatis, & in ipsum Principem Apostolornm debitae a nobis pietatis rationem habuisse videare. Dat. Kal. Aug. Anno II. Roma* (128). Quanquam Raphael in exequendo hoc mandato nunquam non ante oculos habuerit formam a Bramante propositam, nonnulla tamen immutavit ex consilio etiam Juliani & Antonii, ut

vocantur, a Sancto Gallo, & Jucundi Veronensis, quod & fecit Balthasar Perutius Senensis, qui in illorum locum successit. Novum vero quodammodo opus effecisse videtur Michael Angelus Bonarrotius, modeste licet affirmaret, se cogitata Bramantis omni fere ex parte executum esse. Extant Leonis nummi a Caradosso monetariorum omnium praestantissimo (129) affabre sane cusi, in quibus videre licet templi frontem, qualem Bramans, & Sanctius delineaverant, quodque huic mandaverat Leo, ut nihil praetermitteret, quod ad ejus amplitudinem & magnificentiam pertineret, minime diffidebat se posse illius desideria exaequare. Omnino sperabat Leo paucis annis posse totum fere opus absolvi, quam spem tum graves temporum, tum varii sui casus, tum magnitudo rei fefellerunt. Majorem etiam utilitatem cepit Leo ex Sanctii opera in adornandis Vaticanis aedibus, in quibus summo artificio multa pinxit, quae erunt monumenta sempiterna utriusque laudis & gloriae. Quanquam hujus non mediocris quoque pars redundat ad Julium JJ. qui commendatione & testimonio Bramantis coeperat adhibere divini artificis manus. Leone quidem Pontifice, expressit mirabiliter, ut & cetera ante eum omnia, quae pertinent ad Leonem JJJ. obviam euntem Attilae prope flumen Mincium, donantemque corona Carolum Magnum, & ad Leonem JV. incendium crudele ortum prope Vaticanum crucis signo extinguentem, ipsumque ad Ostia Tyberina a Saracenis obsessum, & a calumniis liberatum. His in picturis videre est ad vivum effictos tum Leonem ipsum, tum Dovitium & Julium Mediceum Cardinales, Joannoctium Pandulphinium Trojae Episcopum, quem Pontifex in primis amabat, charumque habebat, Hippolytum Mediceum summae expectationis puerum, in cujus ore vultuque acquiescere videbatur (130) aliosque bene multos, qui tum amplissimis decorabantur honoribus. Respexisse quoque ad Leonem existimatur Raphael, quando repraesentavit S. Petrum divina ope per Angelum e carcere emissum, reminiscens, quae mirabiliter evenerant, ut is e Gallorum custodia eri-

eriperetur. Coepit etiam Leonis jussu parare multa, quae ad pingendam pugnam Constantini Caesaris adversus Maxentium pertinebant, quod tamen opus perficere minime potuit, absolveruntque postea ejus discipuli Julius Pippus & Jo. Franciscus Pennius (131). Perfecit quidem tabulas, in quibus mirum in modum sunt expressae tum Leonis ipsius, & una Julii patruelis & Aloysii Rossii Cardinalium, tum Juliani & Laurentii Mediceorum imagines, & quasdam alias, quae religioni serviebant, de quibus quid sentiret Leo, satis declarabat, cum affirmaret, nihil sibi fortunatius accidisse, quam quod tanti artificis opera uti, suumque plane efficere potuisset. Sunt & in ipsis Vaticanis aedibus triplices porticus ad orientem obversae, quas Raphael picturis utriusque foederis facta illustria exprimentibus, & anaglyptis ex gypso factis, discipulorum praesertim, quos multos & insignes habebat, opera usus ornavit, qua in re adeo Leoni satisfecit, ut omnis picturae, omnisque architecturae, quae peragenda esset in iisdem aedibus, magistrum & praefectum declaraverit. Is & delineavit quod Belgici artifices in aulaeis auro & serico intextis exprimere debebant de rebus mirabiliter gestis ab Apostolis Petro & Paullo. Opus ornamento Sacelli Sixtini destinatum tam elegans, tam elaboratum, tam perfectum evasit, ut miraculo simile judicatum fuerit, quod stetisse dicitur Pontifici triginta quinque millia aureorum nummum (132). Admirata est etiam aetas illa (nam nunc non extant) imagines Apostolorum aliorumque Sanctorum cum figuris rariorum animalium (his enim saepe donabatur Leo a Regibus) quae omnia exornabant satis magnam aulam, quaeque per Raphaelem, ejusque discipulum Joannem Utinensem magna ex parte perfecta fuerant (133). Horum quoque artificum consilio quasdam veteris operis statuas in ipsis Vaticanis aedibus ita disposuit, ut per has iis plurimum accesserit venustatis, & proximos illis hortos sane bellissime instruxit, quo invitare amicos, & ubi se oblectare sine interpellatoribus consueverat. Tam charus erat Leoni Raphael, tantum tri-

buebat illius ingenio, morumque bonitati suavitatique, tantum illi se debere profitebatur, ut de ipso in Cardinalium collegium cooptando cogitasse Georgius Vasarius, aliique affirmaverint, quod argumento esse debet omnes artes, quae & admirabilem dignitatem & pergratam utilitatem habent, Leonem omni honore semper dignissimas judicasse. Sed tanta vis ingenii, *timuit*, *quo sospite*, *vinci rerum magna parens*, *& moriente mori*, quemadmodum de eo praedicavit Bembus, septimo & trigesimo anno cum omnium bonorum, & Leonis ipsius praesertim luctu extinctus est VJJ. id. Aprilis an. MDXX.

Proximus illi fama erat in pingendi, superior etiam in architectandi, quemadmodum superabat omnes in scalpendi arte Michael Angelus Bonarrotius, quo familiarissime usus erat Leo in paterna domo, & Romae eo tempore, quo imperiosa majestas Julii JJ. saepe illi caussam dabat querelarum atque iracundiae. Hoc extincto, desideravit ab eo Leo, ut, omissis ceteris occupationibus, (& tum maxime laborabat in absolvendo, quod jamdiu inceperat, omnium magnificentissimo mausoleo, quod vivens Julius ipse sibi faciendum locaverat) in aedificanda ornandaque fronte Florentinae Laurentianae Basilicae, quam ejusdem Pontificis majores extruxerant, omnem operam suam collocaret. Quanquam uni illi concedere videretur scientiam architecturae, & illius operis praefecturam demandasset, judicia tamen etiam exquisivit aliorum architectorum, Baccii Agnoli, Antonii a S. Gallo, Andreae & Jacobi Contucciorum e Monte S. Sabini, & Raphaelis Sanctii, qui cum eo Florentiam venerat. Hoc sane displicuit Bonarrotio, ac suo more libere professus est, se nolle socios in exequendo opere, cujus caussa diu nimium Carrariae & Seravetiae fuit ad excavanda marmora, quae illi erant necessaria. Leo vero pecuniam suppeditavit ad viam, quae erat impervia, perviam faciendam, ut ex altissimo monte, qui imminet Seravetiae, facilius marmora ad mare vehi potuissent. Sed omnino multum consumptum fuit temporis ad ea fa-

cienda & persequenda, quae jusserat Pontifex. Postremo defuit etiam pecunia, quae ad bellum alendum conversa fuit, & quod amore patriae, summoque animi ardore susceperat Leo, multorum culpa a perfectione plurimum abfuit. Utilius quidem opera Bonarrotii usus est Clemens VII. quod per eum novo sacrario, cujus fundamenta jecerat Leo, in quo posita fuerunt Juliani & Laurentii Mediceorum monumenta ab eodem Bonarrotio divinitus sculpta, & magnificentissima bibliotheca eamdem Basilicam, adjunctasque illi aedes ornavit. Bonarrotii aemulus, vel potius inimicus Leonardus a Vincio Romam una cum Juliano Mediceo, statim ac summus Pontifex Leo factus est, cum advenisset, non magni momenti ab eo mandata habuit: noverat enim illius tarditatem; cumque intellexisset, antequam manum admoveret tabulae, quam ei pingendam dederat, magno studio parare ipsum olea atque herbas ad eam obliniendam, dixisse fertur: quid expectandum ab homine, qui initium operis ab eo sumit, quod extremum esse debet? Qui haec narrat Georgius Vasarius, addidit Leonem deditum fuisse rebus philosophicis, maximeque alchimiae, perque id sperasse Leonardum se gratiam ab illo initurum, quod plurimum se exercuerat in his studiis, usque eo ut miracula rerum, volantes aves, horribilesque feras suis quibusdam inventis ad vivum repraesentaret. Perplacebat quidem Leoni omne id, quod mirabile erat, & in quo apparebat ingenium, neque mediocriter rerum naturalium studio delectabatur: quod ad alchimiam vero attinet, inanissimam sane scientiam, nihil proferri poterit, in quo vestigium sit aliquod, quod significet illi deditum fuisse Leonem; tantaque erat in Leonardo ipso rerum physicarum & mathematicarum notitia, ut illi injuriam facere mihi videantur, qui inaniter in transmutandis metallis, & vilioribus in pretiosiora vertendis illum versatum fuisse affirmant. Narratur accessisse aliquando ad Leonem Aurelium Augurellium poetam non improbandum, & Graecis Latinisque litteris eruditissimum, qui factitabat artem chymicam, eique libellum ob-

tulisse, quem de auro e quavis propemodum materia conficiendo conscripserat. Qua re intellecta, hominem magna sperantem vacua crumena donavit, & ab se his verbis dimisit: *Ego quidem auro te donarem, sed cum tu ejus efficiendi certam scientiam pollicea-re, sat erit si habeas, ubi aurum abs te confectum reponas.* Atque ex hoc uno exemplo conjici quidem poterit quam alienus esset Leo ab hujusmodi veteratoribus; nec sane quem invenisses, qui minus dolis decipi potuisset. Reprehendere quoque in eo videtur Leonem Vasarius, quod oblectaretur hominibus, in quibus inesset quasi insania quaedam cum ingenio conjuncta, quare cum ei obtulisset Joannes Antonius Senensis cognomento Sodoma, qui erat quidem ex illorum numero, tabulam quamdam, in qua mors Lucretiae erat affabre expressa, non solum donis illum remuneratus est, sed etiam Equitem & Comitem Palatinum creavit. In hoc pictore quid natura efficere posset videtur experta, cui cum nimium tribueret, artem ita neglexit, ut saepissime in illius operibus absolutionem perfectionemque desideres. Visus est etiam Leo plurimum se oblectasse cum Sebastiano Veneto, in quo homine multa erat jucunditas, & magnus in jocando lepos, & quanquam plurimum illi concederet in pingendi arte, adeo tamen minime indulsit, ut cum Raphaele Sanctio, quod vana quadam spe inductus, & Bonarrotii opera sustentatus pollicebatur, de principatu contendere potuerit. Nec probabat, quod lente adeo procederet in operibus absolvendis, ut nunquam manum de tabula tollere velle videretur. Omnino praeclare se se gerere ajebat Sanctium, quod plus oneris, quam ceteri artifices susciperet, nec sustineret modo industria, diligentia & constantia singulari, sed etiam allevaret multorum discipulorum opera (134) quos amice adeo instituebat, ut nescisses utrum mores, an disciplina plus in illo valerent. Horum favebat Leo ingeniis, & donis augebat industriam, ut, quo intendebant, pervenire possent. Commisit Andreae Contuccio, ut sculpturis exornaret Sacellum B. M. V. Lauretanae, praeessetque aedificationi vicina-

rum aedium, quas ii, qui divinis rebus operam dabant, incolerent, quarumque Bramans formam dederat. Bramanti quidem multum tribuebat Leo in architectandi arte, amabat etiam in eo lepidum, & ad poesim factum ingenium, ipsique funus satis amplum faciendum curavit, cum locum sepulturae in ipsa Vaticana Basilica assignasset. Statim ac Pontifex creatus est Julianum a S. Gallo Romam Florentia vocavit, & non multos post menses aegre ab se dimisit hominem afflictum debilitatumque annis, morbis, atque laboribus, cujus opera multis in rebus uti constituerat. Quatuor erant e Sangalliorum familia eximii architecti, Julianus & Antonius fratres, Franciscus Juliani filius, qui & scalpendi arte valebat, & Antonius, qui ex illorum priorum sorore natus erat, quique avunculorum cognomine appellabatur. Hos omnes vel ad Urbis, vel ad patriae ornamentum adhibuit Leo, cumque munitionibus & operibus sepire Centum Cellas deliberasset, eoque aliquando concessisset cum praestantissimis ducibus, & Antonio Marchesio, quem ut pote harum rerum peritissimum Neapoli advocaverat, tantum tribuit Antonii junioris consiliis, ut propositam ab eo rationem ceteris praeferendam esse putaverit. Eodem etiam architecto arcem montis Falisci restauravit, & Alsii molem aedificavit, quanquam multorum sit opinio hujus aedificii, in quo sunt incisae litterae Leonis nomen praeferentes, designationem Michaeli Angelo Bonarratio tribuendam esse. Idem, cum impenderet ruina porticibus Vaticanis, adjunctisque illis aedibus, remedia huic malo, quod culpa acciderat Raphaelis Sanctii, invenit. Cum hoc conjunctim ad aedificationem Basilicae Vaticanae incubuit, quod mandatum habuit, postquam Julianus in patriam rediit. Hunc praesertim diligebat, amabat, amplectebatur & laudabat Leo, & cum eo frequenter incidebat in sermonem Laurentii patris, quocum ille familiarissime vixerat, cuique villam magnificentissimam, quae Cajani Podium dicitur, aedificaverat. Quod haec omni ex parte minime perfecta erat, prorsus se velle ostendit Leo, ut absolveretur, quam

rem commisit Julio Cardinali, hic autem Octaviano Mediceo, qui sane erat architecturae & picturae intelligentissimus. Hic partitus est magnae aulae picturam cum Andrea Vannucchio, qui & Sartius appellabatur, cum Francia, & cum Jacobo a Puntormo, qui omnium peritissimi pictores habebantur. Erant ii quidem industrii, sed in hoc opere cum absolutionem perfectionemque quaererent (135), lente adeo processerunt, ut Pontificis patientiam tentaverint, nec praemiorum promissa valuerunt ad illud, ipso vivo, absolvendum. Fecit hoc postea Franciscus I. Magnus Etruriae Dux, usus opera Alexandri Allorii, qui iis, quos nominavi, pictoribus sane inferior erat. Testis est Vasarius Sartium nihil non egisse, ut superaret competitores suos, & adjunxisse ad pingendi artem miram prospectivae peritiam. Nullus erat alicujus nominis artifex Florentiae (& sane permulti tum erant) qui non cuperet esse notus Leoni; nonnullos etiam in adolescentia noverat & adhibuerat, quasi divinans qui quantique futuri essent, proditumque memoriae est, per eum praesertim innotuisse civitati, quam excellens esset pictor Bartholomaeus a Porta e Dominicanorum familia, & quantos in sculpendi arte progressus esset facturus Bartholomaeus Bandinellius (136). Neque e nostratibus solum, sed etiam ex exteris plurimi patrocinium & laudes Leonis conquirebant, cumque, suasore Bembo, Titianus Veccellius aliquando Romam cogitasset, cogitationem hanc abjecit, ubi audivit Raphaelem Sanctium, neque multo post Leonem Pontificem ex hac vita migrasse. Qui contemplantur atque suspiciunt praestantiam horum, quos nominavi, artificum, per quos & factum

. . . . . . possis nihil Urbe Roma
Visere majus,

versum illum usurpare solent:

Vos, animae grandes, aetas tulit alma Leonis;

nec sane hic quidquam omisit ad illos honorandos, fovendos inflammandosque gloriae cupiditate.

Quod denuo exorta fuerat in domo Laurentii Medicei ars affabre incidendi gemmas, aliosque rariores lapides, magnopere curavit Leo, ut illa quoque sua aetate in honore esset, habuitque sane peritissimos artifices, quibus uteretur, Petrum Mariam Pisciensem, & Michelinium quemdam, qui viam aperuerunt Joanni Bernardio a Castro Bononiensi, Valerio Vicetino, Matthaeo Nassario, aliisque felicibus adeo veterum Graecorum imitatoribus, ut cum iis de gloria contendere potuerint. Ars etiam aera incidendi, cujus ortum in Etruria fortasse, & in Italia certe reperimus, quaeque a Germanis, & ab Alberto Durero praesertim ad magnam altitudinem provecta fuit, nixa Leonis patrocinio est. Nam plurimum is favit laudi Antonii Raimundii Bononiensis, qui in ea ceteros omnes superavit, & per quem factum, ut haec ars & late pateret, & apud Italos multorum contentione perficeretur. Bene hercle faciebat Leo, cum neminem, qui in aliqua facultate excelleret, a se inhonoratum discedere patiebatur, & quia familiarissime utebatur Augustino Chisio, genere, divitiis & liberalium artium patrocinio clarissimo (137), cujus & vita & oratio consecuta fuerat difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate & lepore, hunc maxime adhibebat ad excitandam nobiliorum artificum industriam. Florem populi illum appellabat, quod admodum gaudebat iis ipsis rebus, quibus mirum in modum ipse oblectabatur. Per hunc cum novisset Franciscum Priulium, ortum Venetiis patricia familia, juvenem multis artibus, sed praesertim astrologia eruditum, ex eo aliquando (serio jocove nescio) quaesivit, num esse possent rerum futurarum signa ex astrorum observatione, multos quidem se audivisse astrologos inquiens, qui in praedictione notationeque sui suorumque vitae multa temere effutivere, ut non tam caeli, quam caelati argenti rationem illi duxisse viderentur. Priulius, ut probaret Pontifici haud rejicienda omnia astro-

logorum praedicta, librum de illius genesi conscripsit, in quo, ut ait Valerianus, abditissima quaeque anteactae aetatis, & uni ipsi cognita Principi explicuit, quaeque incumberent, quaeque futura essent in singulos fere dies praedixit, quae cum probaret eventus, dixisse fertur Leo, astrologiam vetustate & negligentia extinctam in uno demum Priulio revixisse, quod hic multa ad veritatem & prorsus mirabilia vaticinatus esset. Hujus rei fides sit penes Valerianum, qui & illud addidit, Leonem liberalem illius gratificandi honorandique voluntatem idcirco mutasse, quod ita insanire coepit, ut demum sibi mortem consciverit. Quam essent audaces, quam ventosi divini hujusmodi, ex se ipso aliquando Pontifex cognoscere potuit. Nam cum gravius aegrotaret ex morbo, quem in sede habebat, cuique accesserat acuta febris, extitit religiosus quidam homo, Bonaventura nomine, qui certo se scire affirmavit, brevi Pontificem moriturum. Contrusus in carcerem, interrogatusque unde hoc sciret, respondit se divinitus oracula fundere, neque recusare quin flammis damnaretur, si vera minime praedixisset. Convaluit tamen Leo, & qui haec narrat Grassius, addidit, vidisse eum in hac aegritudine lacrimantem, & suspiria edentem, quasi de se actum esset, quod quidem minime fortis & constantis animi signum fuit,

Postquam satis, ut arbitramur, declaravimus, quae contulerit Leo ad disciplinarum, litterarum humaniorum, & liberalium omnium artium incrementum, in quibus populorum felicitatem, sui Pontificatus gloriam, & Urbis decus situm esse maxime putabat, non ab re erit docere quanto studio aliarum quoque urbium ornamento consuluerit. Anno MDXV, x. Kal. Octobris Abbatiam Burgi S. Sepulcri, quam possidebant Monachi Camaldulenses, quaeque antea Templum majus Burgi appellabatur, amotis illis Monachis, qui in eo res divinas procurabant, in Episcopatum evexit, Episcopumque sacrorum curae praeesse, & non amplius oppidum, sed civitatem appellari, civitatisque jura dignitatemque obtinere jussit

sit (138). Dicitur etiam eum, si quae habebat jura Romana Ecclesia in civitatem illam, transtulisse in Rempublicam Florentinam. Non minori honore affecit Pisciensium urbem, rogatu, ut reor, civis illius Balthasaris Turinii, quem charissimum habebat propter opinionem ingenii & perspectam fidem, quemque Datarium creaverat (139). Exemit enim illam jurisdictione Lucensis Archiepiscopi, Canonicorum collegium in ipsa instituit, & eum, qui huic praeesset, caerimoniarum & sacrorum antistitem declaravit. Lauretum singularibus beneficiis decoravit. Nam ibi quoque esse voluit Canonicos, qui rem divinam facerent, horumque Praesidem, qui tum erat Petrus Antonius Perottus, sacris operantem episcopalibus insignibus venerabilem fecit, eidemque concessit, ut sacris operatus bene populo precaretur ritu Episcoporum proprio; urbem moenibus cinxit, fossis, aggeribus, propugnaculis aeneisque tormentis munivit, B. M. V. templum donis, immunitatibusque auxit, dumque mandavit, quemadmodum paullo supra innuimus, Sansovino nobilissimo statuario, ut cellam extrinsecus ornaret, sibi utique in animo esse dixit tale moliri opus, quod in parva mole omnem illius saeculi magnificentiam vinceret. Patriae amantissimus ejus dignitatem amplificavit, cum de numero Protonotariorum Apostolicorum esse jussisset Canonicos majoris templi, & Basilicae S. Laurentii, ut ajunt, Priorem, & haec collegia, quorum ipse decus & lumen fuerat, aliis honoribus honestasset. Extant etiam litterae illius eo tempore datae, quo Bononia Florentiam redierat, quibus ea omnia privilegia (140), jurisdictiones, immunitates & beneficia (illa quidem amplissima) quae a Carolo JV. Augusto & a Romanis Pontificibus concessa fuerant illius urbis Archiepiscopis, renovavit. Nihil vero prius sibi faciendum putavit, quam ut Lyceum Florentinum, in quo doctrinae insignia acceperat, per se quoque iisdem juribus decoraretur, quibus cetera illustriora Italiae Gymnasia gaudebant. Volaterranis, quorum miserae & afflictae fortunae duriores semper se praebuerant Florentini, suos veteres magistratus,

horumque sedem restituit, potestatemque fecit destinandi homines idoneos, qui illorum agri oppidis praeficerentur. Litteras quoque ad eos dedit sane honorificentissimas, quando suburbana S. Justi Abbatia illorum civem Marium Maffejum auxit, quibus litteris declarabat nihil esse quod a se & postulare & expectare non deberent. Atque horum beneficiorum memoriam ipsi extare voluerunt, quae gratior erat, quod, cum libertate non solum, sed etiam omnibus fere ornamentis a Laurentio Mediceo spoliati fuissent, non videbatur fuisse caussa haec restituendi, nisi fuisset injusta eripiendi. Hoc etiam nomine Leonem laudabis, quod in ornando singularibus beneficiis Maffejo (141) illorum temporum oblitus videri voluit, quibus illius frater Antonius cum Pactiis, aliisque de interficiendis Laurentio ipso, ejusque fratre Juliano conjuraverat. Sua praestanti liberalitate prorsus devinxit sibi Carolum Sabaudiae Ducem (142) cujus rogatu extulit ad Archiepiscopatus gradum Taurinensem Ecclesiam, nec veritus est, ne non in illa regenda se probaturus omnibus esset Claudius Seysselius multis editis scriptis, quorum unum de providentia, de regum dignitate, & de tribus viatoris statibus Leoni ipsi nuncupavit, sane clarissimus. Innumera sunt beneficia, quae contulit in Rhodios milites, quae dum persequitur Blosius Palladius in ea, quam dixit coram ipso Pontifice, Latina oratione, quando ejus militiae Magister Philippus de Villers Lyleadan ad eumdem Legatos suos misit, omnia ei obsequia pollicens, & auxilia in Turcas Rhodo pericula molientes implorans, ait divino munere donatum illi militiae patronum fuisse, ut ipsam augeret, ornaret, defenderet atque protegeret. Cum residere aliquod bellum semper videretur tectis ac sedibus Genuensium, nec deessent cives, qui laceratent omni scelere patriam, eos juvare, tueri & conservare magnopere studuit, posthabitisque querelis Gallorum Regis, excepit eorum Legatos (princeps erat hujus legationis Jo. Baptista Lazania juris civilis doctrina clarus homo) qui ad se venerant rogatum, ut vel honori, vel periculo serviret Reipu-

blicae (143). Cum promisisset Scotiae Regi & Reginae, magnae sibi curae fore *non solum servare privilegia eorum, sed majoribus in dies donis universam nationem honorare*, misso ad eos Legato Andrea Forman domo Scoto, & Archiepiscopo Bituricensi, non modo liberaliter, sed etiam cumulate eorum desideriis satisfecit. Quid non egit, ut Upsalensis Archiepiscopi fortunam & dignitatem defenderet ac conservaret crudelissimo illo in bello, quod Svecis Dani intulerunt? Quanquam non multum sperari posse videbatur a Christierno Daniae Rege, qui eo insolentiae furorisque processit, ut Pontificium Internuntium in vincula conjecerit, collectamque ab eo ex Indulgentiis pecuniam omnem abstulerit. Vel ad Maronitas & toto orbe divisos Americanos pervenerunt studia Leonis. Legavit ad illos Jo. Franciscum de Potentia cum mandatis, ut quae doctrina catholica, majorumque instituta praescribunt, collapsa revocaret; & quia de hujus auctoritate multa sane utilissima statuta fuerunt, Petrus illarum gentium Patriarcha litteras ad Pontificem dedit (144) quibus ei quam maximas gratias egit, quod pro summo illius beneficio didicissent omnem improbare disciplinam praeter eam, quam Romana Ecclesia legis aeternae interpres, & omnis officii magistra sequeretur. Nec studiose minus res Americanorum curavit, cum de eorum statu diligentissime a Petro Martyre edoceretur. Nam non solum effecit, ut apud eos essent plures sacrorum antistites, verbi Dei praecones, & templa, suppeditata e proprio aerario pecunia ad ea exaedificanda, sed etiam quaedam in imperando moderatio (145). Disputabatur tum a Dominicanis & Franciscanis, qui eo religionis caussa missi fuerant, de servitute illorum, qui in potestatem Hispanorum venerant: ii enim servile jugum naturali aequitati, Christi praeceptis, & civili rationi prorsus adversari contendebant. Requisitus sententiam Pontifex judicavit non modo religionem, sed etiam naturam reclamitare servituti, egitque cum Ferdinando Hispaniarum Rege, ut ne quid inhumane, ne quid injuste iis in regionibus colonorum avaritia fieri

pateretur. Ejus enim utilitatis esse dixit homines a fera agrestique vita ad Christianum civilemque cultum deducere communi humanitatis jure atque mansuetudine, quibus exhortationibus si minus profecit, aequitati sane satisfecit. Omnino si voces Pontificis valuissent, nequaquam regio illa mercatores hominum habuisset, quos tulisse videtur ille idem *las Casas*, qui pro Indorum libertate vehementissime pugnabat. Non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebat Leo, quod immanitatem vel minimum redolere posset; natura enim, sicuti saepe jam diximus, plane eum formaverat ad humanitatis sensum, ut nil vehementius contenderet, quam ut nemo calamitatem, & adversae fortunae incommoda pateretur. Pari studio egit cum Lusitaniae Rege, ut quos suam in ditionem redegerat homines expertes omnis juris & conditionis, & linguae prope humanae, ita mansuefaceret, ut aliquando Christiana doctrina illustrarentur; qua in re Princeps religiosissimus minime passus est desiderari diligentiam suam. Auxilium quoque ferre voluisset Leo Moschis & Abyssinis, quos miserabilibus teneri erroribus minime ignorabat, &, quod opus esse putavit, providit, atque per Legatos suos administravit. Illud addidero unum (infinitum enim esset singula persequi) nullam fuisse terrarum oram, in quam suarum curarum & cogitationum partem aliquam derivare non concupiverit, cum se ad omnis generis humani tutelam & praesidium in Petri cathedra collocatum diceret, & ea maxime debere curare, quae omnibus ad placandum & colendum rite Deum viam patefacerent. Et quia depravatio consuetudinum, & opinionum varietas imbecillitatem animorum torquebat, omnium, quae in hominum disputatione versabantur, illa potiora existimabat, quae certissimam habebant regulam, qua vera & falsa, recta & prava judicarentur. Aequitatis illius hoc quoque sit indicium, quod, confirmata Julii II. constitutione quadam, severissimas poenas statuit iis, qui se ad singulare certamen provocassent. Omnem enim vim a privatis abesse volebat, dumque praescribebat civibus obtemperandi

modum, exigebat ab iis non solum ut obedirent legibus & magistratibus, sed etiam ut eos colerent, Platonis laudans sententiam, qui Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi caelestibus, sic magistratibus ipsi adversantur. Quare cum scriberet ad Ludovicum Francum Firmanum, qui non lite ac judicio, sed armis persequi rem suam ausus fuerat, haec minaciter dixit. *Si tibi injuriam aliquam factam, aut te ulla re violatum esse putas, si nobis significaveris, ea remedia adhibebimus, quae tibi & incolumitati tuae fuerint opportuna. sin autem ulterius, quod non credimus, tumultus ac turbas excitare processeris, erit nobis necesse id agere, quo te hujus temeritatis poeniteat.*

Dum ea, quae ad dignitatem officiumque suum pertinere arbitrabatur Leo, diligenter curabat, quaerebat etiam, quibus relaxaret ac remitteret animum. Nemo profecto venationi, aucupio, ac piscatui illo magis deditus fuit, quod etsi non decorum, nec dignum summo Pontifice multi dicerent, retinuit tamen, ut alibi quoque diximus, consuetudinem quotannis per totos fere binos menses post autumnales pluvias peragrandi vicinos agros. Non longe a Viterbio ad thermas alebatur magna copia coturnicum, perdicum & phasianorum, quae avium genera accipitribus & asturibus arte edoctis singulari cum voluptate sectabatur. Divertebat inde ad Vulsinios, villas Farnesii Cardinalis habitaturus, quas multas iis in locis habebat, piscinis, salientibus aquis, palaestra, sylvis viridicatis, & pomariis ornatas. Piscabatur vero vel in lacu, vel ad Martae amnis exitum, retinebaturque & locorum amoenitate, & Domini magnificentia. Modicis deinde itineribus per Tuscum agrum ad mare circa Graviscas atque Centumcellas descendebat, & haec quoque itinera conditiora faciebat aucupium atque venatio. Cum vero apud Cornetum in Tarquiniensi considebat, magna ibi erat clades cervorum, aprorumque, & Alesium & Cerveteris sylvae, per quas transibat, eum in Urbem sub Kalendas Novembris, vel paullo serius a Centumcellis redi-

bat, suppeditabant etiam haec oblectamenta, quae jucundiora faciebat nobilium juvenum comitatus, atque omnium rerum abundantia, quae ad vitae commoda pertinebant. Non longe vero ab urbe Roma ad Tyberis ripam villam aedificaverat Leo (huic Malianae nomen) ad quam, cum per anni tempus licebat, saepissime veniebat, & hic locus opportunissimus erat ardearum, milvorum aliarumque avium venationibus, ad quas falcones praesertim adhibebat. Dona vero gratissima erant ipsi, quae deserviebant hisce oblectationibus, quare cum gratias ageret Francisco Gallorum Regi, quod canes venaticos ad perquirendas feras, & casses ex tela ad concludendas idoneos sibi misisset, ait hoc munus fuisse plane regium, & sibi apprime gratum, seque illo usurum, quoties per negotia occupationesque exire Roma sibi licuisset, quod jam vel ab adolescentia expertus erat tum equitationem, tum avocationem animi, quam sibi vindicat venatio, valde sibi prodesse ad valetudinem viresque corporis vel firmandas, vel restituendas. Gratias quoque egit Carolo Hispaniarum Regi, quod aquilas usque quatuordecim ad aves capiendas edoctas sibi dono misisset, declarans quantum ab exercitatione ludoque campestri & voluptatis & utilitatis consequeretur. Quod ut facere copiosius posset, mandavit Joanni Neroni civi Florentino, ut cum hominibus armatis custodiret totam illam regionem, quae ad decimum a porta Vaticana villaque Manliana, atque ab Ostia, totoque a Tyberi lapidem intra viam Cassiam & maris littora pertinet, curaretque diligenter, ut is tractus ab incolis, ab exteris, a peregrinis, a civibus, denique ullis ab hominibus aucupii atque venationis exercendae caussa ne adiretur, praeter eos, qui aviculas visco & noctua caperent. Paris Grassius, diligentissimus sane scriptor multarum rerum, quae ad Leonis vitam spectant, saepe mentionem facit illius itinerum venationis caussa, & dolere videtur, quod ocreatus & sine ullis Pontificiae dignitatis insignibus incederet, nullique sumptui parceret, quo Cardinales, qui cum illo erant (erant autem

plures, ac praesertim juniores) & cohors illius omnis bene accepti essent, hilariterque viverent. Tum ab hilaritate risuque traducere ad severitatem videbatur animum, cum quis, temere editis vocibus, occasionem feris dedisset vitandi insidias, ita ut claros saepe viros hac de caussa acerbissimis contumeliis oneraverit; dissimulare vero haud poterat dolorem suum, cum vel casu, vel hominum imperitia venatio minus feliciter procedebat. Quare ii, qui mollissima fandi & petendi aliquid tempora captare solebant, re bene & feliciter gesta, nihil non ab ejus humanitate sibi polliceri poterant, contra vero molesti illi sane intervenissent. Quod male secerneret, quae ab oculorum sensu remota erant, adhibita crystallo, aciem sic acuebat in venationibus & aucupiis, ut cunctos anteire videretur. Atque de hoc oblectationum genere satis dictum erit, si hoc unum addidero, fuisse semper illud fructuosissimum populis iis, ad quos adibat. Non enim est credibile quantas largitiones faceret, cum se ad illum agrestes & oppidani cum conjugibus & liberis effunderent, vel ut opem & auxilium implorarent, vel ut munera rustica offerrent. Porro quos multi propter animi importunitatem audire, alloqui & respicere noluissent, ipse singulari humanitate complectebatur, de illorum statu, occupationibus & fortuna percunctabatur, & liberaliter ac munifice donabat, si hoc non inertiae, sed egestati & industriae se concedere existimasset.

Minime temporum oblitum Leonem putabis, dum liberam quamdam animi oblectationem vel in litteris, vel in venationibus quaerebat. Misit ad Senatum Mediolanensem Latinum Juvenalem, cujus fidei atque prudentiae in primis confidebat, ut illum hortaretur, ne contraheret ac demitteret animum, neque labori, neque periculo parceret, ut excuteret, cum se offerrebat occasio, servile jugum Gallorum. Quia minime latebat esse in Hispania Episcopos, & rerum divinarum magistros, qui magna movebant adversus Carolum V. postquam is ex illo regno discesserat, ut Romani imperii gu-

bernacula prehenderet, eorum nefarios conatus auctoritate sua comprimere studuit, sed creverunt adeo seditionis semina, opera praesertim Zamorensis Episcopi, cujus aures semper abhorruerunt a Pontificis monitis, ut in apertum bellum eruperint. Dedit & operam Leo, ut Sigismundus Poloniae Rex, qui justas querelarum caussas se habere dicebat in Equites Theutonicos, eorumque Magistrum Albertum Marchionem Brandeburgensem, armis se abstineret, illi in mentem revocans, nihil esse gloriosius, nihil Deo gratius, *quam se ipsum vincere*, *ac proprios affectus (quod hominis proprium est) superare, acceptamque injuriam clementer potius dimittere & condonare*, *quam hostiliter ulcisci & persequi*. Curavit etiam, ut in istam pacificationem se se interponeret Carolus Caesar, ad quam conciliandam plurimum valuere pericula, quae a Turcis Dalmatiae & Croatiae intendebantur. Horum civilium bellorum tubam Lutherum quodammodo extitisse non immerito dixeris: in magna enim Christianae Reipublicae perturbatione sperabat virus acerbitatis impietatisque suae longius pervasurum. Et sane nullus fere in Germania locus fuit, quo ejus libido iniquitasque non pervenerit, iique ipsi Equites Theutonici, pro quorum incolumitate ac dignitate adeo laboravit Leo, minime ab illius pestiferis erroribus refugerunt. Inter haec Romam venit magno cum hominum & feminarum comitatu (CCCC. enim usque numerabantur) Isabella Alphonsi JJ. Neapolitanorum Regis filia, & Bonae Poloniae Reginae mater, quam ex Joanne Galeatio Maria Sfortia susceperat, quae cum teneret in sua ditione Barii Ducatum & Rossani, ut ajunt, Principatum, eas calamitates, quas a perfidia Ludovicj Sfortiae & Gallorum acceperat, levare potuerat. Hospitio magnificentissimo accepta a Leone fuit (habitavit autem in domo Cibi Cardinalis, quae plena dignitatis erat) occurrerunt ei bini Cardinales, actumque fuit de obviam quoque ipsi mittendis primariis matronis, ut ait Grassius, *in carris & carrettis* ad pontem Milvium usque. Per illam dexteram, quam hospites hospitibus dare

so-

solebant veteres, Pontifex se Sfortianorum fortunam, quam majores sui, & Cosmus praesertim proavus non modo amplificaverant, sed pene creaverant, se minime deserturum spopondit.

Supra jam diximus quae caussae moverint Leonem, ut foedus cum Caesare iniret, bellumque adversus Gallos conflaret, cujus conficiendi spem omnem in Julio Cardinali collocaverat. Cum hic ineunte Octobri an. MDXXI. in castra pervenisset, quae erant ad Casale Majus, exercitus, trajecto jam Pado, Cremonam versus contendit, ac Rebecchae primum constitit. Non longe quoque ab eo loco constiterat Lotrechius, qui si hostem numero haud parem (septem enim millia Hispanorum & Germanorum, sex autem Italorum numerabantur) re frumentaria, aliisque incommodis laborantem aggressus fuisset, victor profecto discessisset. Hujus copiae, submissis a Venetis auxiliis, cum quibus erat Franciscus Feltrius, augebantur, nostris autem spes reliqua salutis erat in Helvetiis, quos Sedunensis Cardinalis Helvetius & ipse, qui ad eos conscribendos missus fuerat, brevi accessuros affirmabat. Quod Rebecchae considere parum tutum videbatur, Julius Cardinalis Gabianedam primum, mox trajecto Olio amne, Ustianum exercitum duxit, qui erat locus ad ducendum bellum, & ad expectandos Helvetios aptissimus. Hi per Bergomatium fines, deturbatis ad Eupilim lacum Gallorum Venetorumque praesidiis, in castra pervenerunt, magna sane omnium admiratione, quod uno eodemque tempore illae gentes sub Francisci Regis tum in Belgio, tum in Italia, hic vero sub Pontificis etiam signis militabant. Quisquis enim numerasset pecuniam, ei vitam, ut ita dicam, vendebant, quamque profundebat Julius non modo valuit ad eos, qui venerant retinendos, sed etiam ad abducendos plerosque a Gallis, qui stipendii inopiam querebantur. Eorum quoque duo circiter millia, quos Antonius Puccius Pistoriensis Episcopus initio belli in Italiam adduxerat, cis Padum relicta fuerant cum duabus equitum alis, quas ductabat Vitellus Vitellius, hique cum eruptionem fecissent in castra Alphonsi Ate-

stini, quae erant ad Finalium, fortiter adeo rem gesserunt, ut, multis occisis militibus, ceteros fugam capere coegerint. Alphonsus ipse, qui Bondeni erat, timore perterritus Ferrariam aufugit, magnumque sane in discrimen res illius adductae fuissent, nisi animosis Puccii consiliis restitisset Vitellius. Mirum profecto videri debet sacratos homines, ut paucorum ambitioni servirent, se hostium sanguine contaminasse; & cernere erat medio in exercitu praeferri argenteas cruces, insignia Legatorum Sedunensis & Medicei, inter arma, & cetera belli instrumenta, atque inter impurissimos homines, blasphemos, & praedae, minime autem gloriae avidissimos. Helvetiorum adventu Galli totis viribus in id incumbendum putarunt, ut hostes Abduam amnem transire prohiberentur, eaque propter longo tractu illius ripas munierunt. Pontem ii facere deliberarunt inter Ripaltam & Cassanum, quod cum difficulter fieri posse putasset ob oppositas munitiones Prosper Columna, silentio noctis, atque inscio Pescario, ne hic gloriae particeps esset, binas oneravit rates Italicis militibus, hosque flumen transire jussit in superiori Abduae loco. Hoc nemine impediente peracto, Vaprium oppidum in adversa ripa positum, dejectis Gallorum praesidiis, occuparunt. Tum ad eam partem pervenit Columna una cum Julio Cardinali, incredibilique celeritate, iisdem usus lintribus, aliisque binis, quos secum adduxerat, militum subsidia ipsis misit. Praecepit vero ducibus, ne differrent pontem facere, si objecta propugnacula, ut suis auxilio irent, hostes deseruissent. Virtus enituit egregia Joannis Medicei (is pater fuit Cosmi hujus nominis I.) qui Turcico vectus equo amnem natando trajecit, quae res magnum terrorem hostibus, nostris autem animum & fiduciam attulit (146.) Alia plura fortiter is hoc in bello gessit (fuit enim vel in tenera aetate incredibili animi robore & audacia) nec impetum illius ceterorumque sustinere valuit Lescutus, quem Lotrechius frater cum cccc. militibus miserat ad advenientes invadendos. Admirati omnes sunt, quod imperator, cetera prudens, parva adeo manu

rem posse confici existimasset, & postquam per quatuor circiter horas vario eventu in viarum angustiis, magnoque utrimque ardore pugnatum est, Galli superati fuerunt, amissoque vexillo, multisque suorum desideratis, ad Lotrechium redierunt. Hac re omnes copiae adeo sunt perturbatae, ut vix judicari posset, utrum secundis nimiisque rebus insolentiores; an adversis mediocribusque timidiores essent. Cum Foederatos ad quidlibet audendum paratos videret Lotrechius, iniit consilium se se recipiendi Mediolanum, quo ut pervenit, Christophorum Pallavicinium opibus, aetate, genere ac nobilitate suae civitatis facile primum, ac populo acceptissimum morte damnavit, quod ad exsaturandum odium, quod in ipsum jam inveteratum habebat, & ad continendos ceteros in officio & fide opportunum putavit. Non enim poterat ignorare non bono in Gallos & in se esse animo, quanquam abstinentiae atque justitiae laudem ferret. Sed homo superbus, ferus & saepe etiam crudelis adeo omnes ab se abalienaverat, ut quidvis potius, quam illius dominationem ferre possent. Nudato flumine defensoribus, factoque in eo ponte, ea mente illud exercitus transivit, ut quam citissime posset Mediolanum accederet. At Columna considendum Mariniani putavit, ut si tuto illa civitas tentari haud potuisset, expeditum haberet receptum in urbem Ticinum, quae nullo munita erat praesidio. Dum de ordine rerum, & loci & temporis opportunitate disceptatur, venit ad Julium Cardinalem senex homo habitu plebejo indutus, facie tamen liberali, qui se ab incolis paroeciae Mediolanensis, cui S. Cyri nomen, missum affirmavit, ut ei nuntiaret omnium esse dispositos animos ad expellendos civitate Gallos, statim ac Pontificius exercitus ad illius moenia appropinquasset. Quis hic homo esset, & a quibus missus sciri haud potuit. Propius quidem accessit exercitus, anteibatque omnes cum Hispanis militibus Piscarius, qui, ne gloria vinceretur a Columna, nullum pro sua laude recusandum periculum putavit. Is cum ad fossam, nocte adventante, appropinquasset, quae est inter Romanam

& Ticinensem portam, sclopetarios suos vallum tentare jussit non longe a Ludovica porta, cujus in praesidio erant Veneti. Hi quidem impetum minime sustinuerunt, ac terga verterunt, quod idem fecerunt Helvetii, qui non longe ab iis in statione positi erant. Tum fossa munitionibusque facili negotio superatis, in suburbia venit, inde ad portam Romanam accessit, quam cum occupassent Ghibellinae factionis principes, per eos in urbem immissus est. Neque multo post Julius Cardinalis, Mantuae Marchio & Columna cum magna exercitus parte ad Ticinensem portam praesto fuere, qua porta, cum resisteret nemo, in urbem introiere. Horum adventu repentino atque inopinato perterritus Lotrechius (non enim tormentorum satis, non satis spatii & commodi ad ea per lutulentas vias transvehenda, cum maximae pluviae iis diebus fuissent, eos habituros putaverat) copias, quas per urbem & suburbia disposuerat, raptim ad arcem, in qua praesidium reliquit, collegit, & cum iis Comum primum, mox in Bergomatium fines profectus est. Fuere tum plena laetitia & gratulatione omnia, & nusquam fortunatiorem fuisse fortunam judicatum est, cum vix credibile videretur paucis unius noctis horis sine vulnere Pontificios & Caesarianos potitos fuisse amplissima munitaque urbe, in qua erat magna militum manus, ac strenui duces Lotrechius ipse, Lescutus, Vandenesius, M. Antonius Columna, & Feltrius Urbinas. Minime autem dubium fuit, quin si fugientes hostes insecuti fuissent, majorem etiam calamitatem iis fuissent allaturi. Aegre contineri potuerunt milites ab urbis direptione, & indignissimum sane fuisset non hostes, sed amicos rapinis atque incendiis vexare. Non minori felicitate & egregia civium voluntate Placentia, Cremona, Ticinum, ac demum Parma in eorum potestatem cesserunt, quo successu Gallorum impotenti dominatu iterum Italiam liberatam fuisse omnes Reipublicae gratulabantur. Erat Pontifex in Manliana villa, quando hujus victoriae nuntium accepit, qui nuntius eo laetior accidit, quod paullo antea per litteras Julii Cardinalis admonitus

fuerat videri vacillare Helvetiorum fidem, & incertum fore exitum rerum, & ancipitem belli fortunam.

In urbe sermonum avida sparsus est rumor Julium nemini cessurum possessione Ducatus Mediolanensis, ditissima, quae habebat sacerdotia, ex quorum fructibus redibant illi quotannis quinquaginta & amplius numorum aureorum millia, in Franciscum Sfortiam, translaturum, sicque non suam modo, sed & Mediceorum omnium fortunam amplificaturum. Quam esset ambitiosus nemo quidem ignorabat, satisque constabat apud Pontificem curam semper excubasse suis & vel infantibus (147) parandi imperia. Id tamen maxime spectasse hoc tempore videtur, ut Parmam & Placentiam recuperaret, acceptas a Gallis injurias ulcisceretur, eorumque tyrannide Italiam omnem liberaret. Per triduum multis publicae laetitiae signis celebrata est Romae victoria illa, redeuntique die S. Catharinae festo Pontifici obviam processit populus universus cum olivae ramis, sclopetis & musicis instrumentis. Apertissime ille gaudium ferebat, quasi unus dies omnium laborum, omniumque sollicitudinum finem attulisset. Sed haec brevi luctus occupavit. Quinto post die, qui erat pridie Kal. Decembris, spargitur rumor aegrotare Pontificem ex nimia laetitia. Cum febri quidem, & cum catarrho rure domum redierat, quod initio medici contempserunt, sed ejus tanta vis in pulmones erupit, ut illi vitae finiendae necessitatem attulerit, quod accidit Kal. Dec. an. MDXXI. cum complesset nondum aetatis annum XXXXVJ. postquam annos VJJJ. totidemque menses, dies autem XX. regnasset. Si Jovium audis, paucis ante horis quam e vita migraret, supplex, junctis elatisque manibus, atque oculis in caelum conjectis, Deo gratias egit, constantissime professus se vel funestum morbi exitum aequo pacatoque animo laturum, postquam Parmam & Placentiam sine vulnere recuperatas, honestissima de superbo hoste parta victoria, conspiceret. Sed ego potissimum Grassio fidem praebeo, qui haec memoriae mandavit. *Die Dominica, quae fuit prima Decembris, hora*

prope VII. mortuus est Papa ex catarrho concepto in villa Manliana. In effectu ego interpellatus fui media nocte; inveni eum mortuum, & jam frigidum, quasi nigrum ex catarrho, licet aliqui dixerint ex veneno. Ex his quidem conjici posse videtur repentino obiisse Leonem, nec dubium, quin si is imminentem mortem aut sensisset, aut praevidisset, ea sibi parasset subsidia, quae ad expiandas animas divinitus sunt instituta. Fuit enim semper religionis observantissimus. Quare facile impudentiae condemnabis Jacobum Sannazarium, qui suum in Pontificem odium eas ob caussas, quas alibi innuimus, conceptum hoc epigrammate exsaturavit.

Sacra sub extrema, si forte requiritis, hora
Cur Leo non potuit sumere, vendiderat.

Quod ad veneni vero suspicionem attinet, cujus, quae solent esse indicia & vestigia in illius cadavere extitisse & Jovius & Grassius testantur, multorum opinio fuit ei datum fuisse a Galliae Rege per ipsius pocillatorem Bernabo Malaspinam, non obscura conjectura, quod pridie quam laborare coeperit, in coena post haustum vinum ab eo quaesierat, fronte ac vultu ad severitatem composito, undenam sibi adeo amarum & insuave poculum propinasset. Auxit suspicionem fuga illius; nam paullo postquam expiravit Pontifex, specie venandi cum canibus e Vaticana porta exierat, quam rem admirati Praetoriani, quod fieri non posse videbatur, ut in squalore & luctu totius civitatis homo, qui acceptissimus fuerat Pontifici, caussam oblectandi se se quaereret, nisi alicujus criminis conscientia stimularetur, ipsum comprehenderunt, & magistratui tradiderunt. Sed Julius Cardinalis, cum e castris ad comitia in Urbem esset reversus, quaestionem, prudenter sane, de veneno haberi vetuit, ne, prodito crimine ejusque auctoribus, multorum in se odium concitaret. Narratur etiam a religioso quodam homine admonitum fuisse Pontificem de parato sibi veneno,

& postremis, quibus vixit, diebus, saepe questum fuisse, quod in intimis visceribus ureretur. Nihilo tamen minus non audeo de crimine patratae necis arguere Franciscum Regem, in quo erat animus excelsus & humanus, nec quemquam alium, (quanquam Leo magno esset odio multis potentibus hominibus, ac praesertim Francisco Mariae Feltrio, & Alphonso Atestino, quibus diras imprecatus fuerat, quique se, illo vivo, fortunas suas retinere non posse putabant (148). Nulla in exequiis apparuit pompa, quod propter largitiones maximas, & bellorum atque aulae (149) sumptus exhaustum erat Pontificium aerarium. Ad id fuerunt nonnullorum negotiatorum & cubiculariorum rapinae (150) qui destinati fuerant parando funeri. Sepulcrum ipsum, in quo conditum est cadaver, nullo monumento decoratum fuit. Obtinuit illud postea a pietate Hippolyti Cardinalis Medicei in S. Mariae ad Minervam templo, quo a Vaticana Basilica translatum est, Pontificatum maximum gerente Paullo III. Mandavit Hippolytus tum Michaeli Angelo Bonarrotio, tum Alphonso Lombardo, ut formam illius describerent, & statuis atque anaglyphis ornarent (151), quae posteris tanti Principis virtutum memoriam proderent, quam ne crudelissimus quidem hostis carere monumentis passus fuisset. Nec deerant, qui hos versiculos in ore haberent.

Deliciae humani generis, Leo maxime, tecum
Ut simul illuxere, interiere simul.

Fuerunt & alii plures tum poetae, tum oratores (152) qui suis scriptis illius nomen immortalitati consecrarunt, nec tam commovebantur illius praeclare gestis, & aetate vere aurea, quam miseria temporum, quae postea consecuta sunt. Nam caedes, direptiones, pestilentia, fames, incendia, & dira malorum omnium incommoda illa turparunt. *Fuit quoque*, ut testimonio & verbis utar Jo. Pierii Valeriani, qui illa omnia vidit, *par bonarum omnium littera-*

rum infortunium. Nam cum Hadrianus VI. Leoni X. ad quem, utpote litteratum Principem, magnus litteratorum numerus confluxerat, suffectus fuisset, dum non minora de hoc sibi quisque pollicetur, ecce adest musarum, & eloquentiae totiusque nitoris hostis acerrimus, qui litteratis omnibus inimicitias minitaretur, quoniam, ut ipse dictitabat, Terentiani essent, quos cum odisse, atque etiam persequi coepisset, voluntarii alii exilium, alias atque alias latebras quaerentes, tamdiu latuere, quoad Dei beneficio altero imperii anno decessit, qui si aliquanto diutius vixisset, Gottica illa tempora aduersus bonas litteras videbatur suscitaturus. O bone Deus, quam teter ille Pontifex, quam truculentus, quam terribilis adspectu! Quanta e contrario in ore vultuque Leonis suavitas, ut ex eo quasi imago illius clementiae, mansuetudinis, atque humanitatis exprimeretur. Erat statura corporis procera, optimo habitu in pinguedinem vergente, teretibus directisque cruribus, manibus candore formaque pulcherrimis, grandi capite cum obesis malis, oculisque extantibus, convolutisque & hebetibus, ita tamen, ut si ad eos propius admovisset scriptum aliquod, celerrime & distinctissime lectitaret. In vultu, in voce, in gestu erat conspicua venustas, cumque propriis verbis solute & facile comprehenderet sententiam, nemo ab illo discedebat, qui sibi vim quodammodo illatam non diceret, ut illi plane assentiretur. Mira prorsus arte pollebat sive aliquid negaret, sive concederet, sive differret, sive promitteret, ad captandas hominum voluntates. Atque haec illi erant decora. Utinam ad omnes partes bene audiendi se excitasset non modo in auribus omnium gentium & nationum, sed etiam in oculis eorum, qui circumspiciebant diligenter quid intra domesticos parietes & diceret & faceret. Non enim cavebat suspiciones, non dicam incontinentiae, cujus rei nullum satis probabile argumentum, si quid intelligo, afferri potest, sed minus gravis & constantis disciplinae; sic ut dum jucunditati & jocis nimium indulgeret, nihil in posterum, quod gravius facere posset, reservasse sibi videretur. Omnino si quic-

quicquam est decorum, nihil est profecto magis, quam aequalitas universae vitae, tum singularum actionum, nec dignum Pontifice arbitramur, quod & in rebus, & in ipsis verbis summam non habeat dignitatem. Sed demus aliquid humanitati Leonis, cui cum in virtute atque sapientia percipienda plurimum a pueritia studii fuisset & temporis, contingere non posse videbatur, ut in summa potestate non esset diligentissimus in tuenda fama, quam sibi privatus comparaverat, etiam atque etiam cogitans in omnibus rebus, quas statuebat, quas decernebat, quas agebat, quid tantis hominum opinionibus, tantis de se judiciis, tantis honoribus debuisset. Multorum quidem testimoniis sane honorificentissimis ejus virtutes quodammodo consecratae fuerunt, iique saeculo gratulari visi sunt, quod eodem tempore tulisset tres Principes omnium aetatum admiratione dignissimos, Leonem X. Franciscum I. & Carolum V. Erant tamen inter hos magnae morum dissimilitudines. Quid de eorum ambitionibus, cupiditatibusque loquar? Quanquam in hoc genere multa fecerit Leo non tam sui, quam suorum gratia, quae a dignitate, quam gerebat, aliena videbantur, ei tamen gloriosum fuit avertere ab Italia Gallorum conatus, cujus rei caussa etsi non idem semper dixerit, ut suspensos teneret animos eorum, a quibus periculum metuebat, idem tamen semper spectavit. Impetu & quasi quadam commotione animi affectioneque multa faciebat Franciscus, Carolus nil suscipiebat, quod non diu antea meditatus esset, adeoque rationi & consilio locum dabat, ut omnes partes atque membra, ut ita dicam, rerum gerendarum comprehenderet, difficultates atque eventus praevideret, omnibusque prospiceret; mira autem ejus celeritas erat in exequendo, quod lente consuluerat, qua in re minime inferior illi fuit Leo. Hic fere se exaequabat Francisco in omnibus illis dotibus & artibus, quae allectant & invitant accedentium animos, Carolus nihil hujusmodi habebat, partas tamen voluntates vel beneficiis vel dignitate constantia aliisque virtutibus retinebat. Quo reipublicae, suisque de-

sideriis, quae nullis circumscribebat terminis, prodesset, non modo prudentiam, sed etiam astutiam, & interdum etiam fallaciam adhibebat, nihil vero falsum & simulatum in Francisco apparebat, quam virtutem is saepe desideravit in Leone (153). Uterque magnanimitate, liberalitate, publicaque magnificentia delectabantur, ut id ipsum, quod studebant, facere possent copiosius, splendidius atque ornatius, flagrantesque cupiditate, ut per se non reviviscerent modo, sed etiam immortalitatem consequerentur disciplinae & ingenuae omnes artes, nulla non illustri laude celebrati fuerunt; id autem gloriosum maxime censebat Carolus, quod conducebat ad facultates rerum atque copias, ad opem atque potentiam (154). Idem nunquam intermissa rerum cura, negotia pro solatio accipiens jus civium, preces sociorum per se tractabat, momenta temporum observabat, iis obediebat, sicque tuebatur personam Principis, quod sane magnum est, ut non modo animis, sed etiam oculis serviret, qua in re non semper offensionem vitarunt Franciscus & Leo. Ille enim voluptates, hic jucunditates omnes vestigabat atque odorabatur. Caesar auctor idem & subversor suarum legum, quae ad Catholicam religionem spectabant, multa fecit, quae in illo gravissimo malo nascentis haereseos plurimum de fama illius detraxerunt, non enim laborabat quam sibi constaret; contra Franciscus nullum praetermisit officium, ut suam perpetuam atque constantem voluntatem in rem Catholicam declararet. Firmus & stabilis is erat in proposito, idem fortis, ut nunquam animum demitteret in rebus asperrimis, & nunquam de iniquitate fortunae quereretur, nisi ut se intenderet ad firmitatem. Amabat illum Leo, suspiciebat etiam, sed ut vidit initia & tanquam semina discordiarum inter illum & Carolum, sui officii suaeque utilitatis duxit, quantum poterat, niti ad reficienda vulnera, quae Italiae Galli intulerant. Animi vim ostendit, sed is erat Italicarum rerum status, ea exterorum Regum potentia atque aemulatio, ut antequam e vita discederet, praevidere potuerit duplicari successoribus suis,

Florentinis, & familiae suae (155), quas elevare sua prudentia dexteritateque sollicitudines speraverat. Dum vero tribus in his Principibus admiraberis multa naturae & ingenii bona, resque ab iis praeclare gestas, quantumque adlaboraverint comparandae sibi gloriae & potentiae caussa, miserrimas omnino esse fateberis conditiones administrantium rempublicam, ubi diligentia plena simultatum sollicitudinumque est, negligentia vituperationum, severitas & facilitas periculosa, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, & ubi fortuna cum improbitate ita certat, ut is, qui beatus & incorruptus esse cupit, nil tam vereri debeat, quam amplissimos consequi dignitatis gradus. Sed habeant tot molestiae atque incommoda quamdam utilitatem & gloriam: nihilo tamen minus admirabilior mihi fuisse videtur Leo, dum privatus fuit; & fuit sane felicior & major Carolus Caesar, cum se a negotiis publicis removit, ut in otio solitudineque, quae ei supererat, vita Deo potius donata, quam ambitioni reservata videretur.



ADNOTATIONES

(1) *In adnotationibus ad Laurentii Medicei vitam, pag. 299. extant monumenta, quae pertinent ad sacerdotia, quae primum obtinuit Joannes. De eo quoque refertur*; che fu Canonico del Duomo di Firenze, di S. Lorenzo, di Fiesole, d' Arezzo, Piovano di Carmignano, di Giogoli, di S. Casciano, di S. Giovanni in Valdarno, di S. Piero a Casale, di S. Marcellino a Cacchiano, Priore di Monte Varchi, Precettore di S. Antonio di Firenze, Proposto di Prato, Abate di Monte Casino, di S. Giovanni di Passignano, di S. Maria di Morimonda, di S. Martino di Fonte Dolce in Francia, di S. Lorenzo a Coltibuono, di S. Salvadore di Vajano, di S. Bartolommeo d' Anghiari, di S. Maria di Monte Piano, di S. Giuliano di Tours, de' SS. Giusto e Clemente di Volterra, di S. Stefano di Bologna, di S. Michele in Arezzo, di Chiaravalle di Milano, del Pino Diocesi di Pittavia, di Casa Dei Diocesi di Chiaramonte, e nel 1510. Arcivescovo d' Amalfi. *Bone Deus quot in uno juvene cumulata sacerdotia! Haec tamen ferebat aetas illa. Quo ditiores erant paroeciae, eas sibi Cardinales arrogabant: regebant vero per presbyteros mercede conductos. Vide* Catalogo Cronologico de' Canonici Fiorentini di Salvino Salvini p. 59. Firenze 1782.

(2) *Laurentii Medicei litterae, quibus Pontificem sollicitavit ad creandum Cardinalem Joannem filium sunt hujusmodi*:

Sanctissime ac Beatissime Pater & Domine
post pedum oscula Beatorum.

Intendendo dall' Imbasciatore nostro che la S. V. è in fermo proposito di fare nuovi Cardinali in brevi giorni, me parrebbe meritare grandissima reprensione, se io non le ricordassi in questo caso l' honore di questa Città & mio anchora, che per sua clementia sono certissimo, secondo mi scrive l' Imbasciatore predetto, che quella se ne ricorda. Ringratio la S. V. di tale sua dispositione, e supplico a quella molto humilmente, se mai sono per ricevere alcuno rilevato beneficio da quella, si degni abondantemente e con effecto porgerne il premio della gratia sua, della quale la richieggo questa volta con quella efficacia che farei a N. S. Dio la salute dell' anima mia. Io non credo che in tutto el tempo del Pontificato suo la S. V. possa fare cosa che porti seco maggiore obbligatione di questa città verso la S. V., perchè come questa dignità è stata molto rara & per consequenza da uno tempo in quà molto desiderata, così passerebbe con grandissima molestia quando restassi mal contenta. Di me in particolare non parlo, perchè non potrei desiderare più questa cosa che è in effecto un desiderio ardentissimo dello honore mio, el quale havendo sempre preposto alla vita propria, può considerare la S. V. quando seguissi altrimenti, ch' io speri, in che termine mi troveria, che non mi parrebbe esser più al mondo. L' Imbasciatore nostro è informato a punto de' pensieri miei, dalli quali non sono punto mutato, nè vorrei perdere il bene pel meglio, quando il meglio non si possa. Però non potendo obtenersi el primo, supplico la S. V. si degni nell' altro tenere la mano su lo honore mio, ricordando però alla S. V. con ogni humiltà, devotione, & fede, che in questo caso quella non ha da havere altra legge o resistentia se non quella che lei medesima vorrà per benignità & humanità sua, perchè in arbitrio di V. S. è & absolutamente in mano sua tutta questa cosa, & consequendo questo immortale benefitio mi chiamo per sempre satisfacto & obbligatissimo. Senza questo non veggo modo come sia in facultà di V. S. di satisfare e ricomperare l' honor mio, & la opinione che quella hà data che io sia nella gratia sua. Raccomandomi humilmente alli piedi di V. B. e supplicola mi habbi per excusato se io non li ho scripto di mano propria, che lo hò facto per darle mancho molestia, non essendo

troppo buono Scriptore, & anche perchè me trovo impedito da una mano, e sariami stato difficile. Florentiae die 1. Octob. 1488.

V. S. Humillimus Servitor
Laur. de' Medicis.

Cum voti compos factus fuisset, haec ad eum Jo. Card. Andegavensis scripsit:
Magnifice ac potens Frater noster carissime: Salutem. Quod bonum, felix, faustum sit Reverendissimo Filio vestro, Magnificentiae vestrae & civitati Florentinae hac hora creatus fuit in Cardinalem filius vester Reverendissimus D. Joannes de Medicis, quod nobis tantae voluptati est, quanta res ulla esse potuisset. Vale: Romae IX. Martii 1489.

(3) In Dei Nomine amen. Anno Incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo octuagesimo octavo Inditione VII. die vero Martis vigesima quarta Mensis Februarii more Florentie, videlicet in die Festivitatis Sancti Mathie Apostoli, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Domini Innocentii divina Providentia PP. octavi Anno quinto,
Cunctis pateat evidenter qualiter Reverendus in Christo Pater & Dominus Dominus Benedictus de Paghanottis de Florentia, Dei & Apostolice Sedis gratia Episcopus Vasonensis infra Missarum Solemnia Pontificalibus indutus virtute Brevis Apostolici, cujus tenor talis est, videlicet a tergo dilecto Filio Joanni de Medicis Clerico Florentino Notario nostro, intus vero Innocentius PP. VIII. Dilecte Fili Salutem & Apostolicam Benedictionem. Pio desiderio tuo paternum in Domino prebentes assensum, supplicationibusque tuo nomine Nobis porrectis inclinati. Tibi qui (ut asseris) legitimam ad suscipiendos Sacros Ordines etatem non habes, ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam & Comunionem Apostolice Sedis habente ad Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines extra tempora a jure statuta aliquo die Dominico vel Festivo, simul vel successive, promovori possis, & in illis promotus libere & licite valeas ministrare, dummodo ad id alias reperiaris idoneus & aliud canonicum non obsistat, super quo tuam & ipsius Antistitis conscientiam oneramus: licentiam & Antistiti ipsi illos tibi conferendi facultatem elargimur, defectu etatis predicte, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Pe-

trum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MCCCCLXXXIX. Pontificatus nostri anno quinto.

Hie. Balbanus.

Servatis servandis juxta Ritum Sancte Matris Ecclesie, Reverendum Patrem Dominum Johannem Laurentii de Medicis Clericum Florentinum in minoribus constitutum, Protonotarium Apostolicum propter hoc coram eo constitutum & humiliter genuflexum, & tamen primitus diligenter examinato, & comperto idoneo, & nihil canonicum obstare preter etatem ad Subdiaconatus primo & successive ad Diaconatus Ordines canonice promovit & ordinavit, Ordinesque ipsos sibi successive contulit non obstantibus his, que dictus Summus Pontifex in dicto Apostolico Brevi voluit non obstare, & alia dixit & fecit in his requisita, consueta & opportuna, de & super quibus omnibus & singulis prefatus Reverendus Pater Dominus Benedictus Episcopus Vasonensis mandavit: dictus vero dominus Johannes de Medicis petiit a me Notario publico infrascripto presens publicum sibi confici Instrumentum: Acta fuerunt hec Florentie in Sacello sive Oratorio sito in Domo dicti Magnifici Viri Laurentii de Medicis, presentibus ibidem honorabilibus ac probis & doctis Viris Dominis Matheo Joannis de Cascia Canonico Vulterrano, & Gregorio Andree Angeli de Spuleto Florentie commoranti testibus ad premissa vocatis, habitis, & rogatis.

Ego Dominicus Antonii Johannis de Fighino Imperiali auctoritate Notarius Judexque ordinarius ac Notarius publicus Florentinus, quia premissis omnibus & singulis dum sic ut premittitur fierent & agerentur una cum prenominatis Testibus interfui, eaque sic fieri vidi & audivi & in notam sumpsi, ex qua presens publicum Instrumentum manu alterius mihi fidi me aliis gravibus occupato negociis fideliter scriptum exinde confeci & hoc scripsi & fideliter publicavi, ideoque in fidem & testimonium premissorum me cum solito Signo subscripsi rogatus & requisitus.

In Dei Nomine amen. Anno Incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo octuagesimo octavo Indictione VII. die vero Jovis XXVI. mensis Februarii more Florentie Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Domini Innocentii divina providentia PP. VIII. anno quinto.

Cunctis tenore presentium innotescat qualiter venerabilis & circumspectus vir ac eximius Decretorum Doctor Dominus Teseus de Pinis de Urbino Reverendissimi in Christo Patris & Domini Domini Raynaldi de Ursinis Dei & Apostolice Sedis gratia dignissimi Archiepiscopi Florentini in Spiritua-

libus Vicarius Generalis virtute privilegii & Indulti olim per felicis recordationis Illustrissimum Principem Carolum quartum divina favente clementia Romanorum Imperatorem Reverendo Patri domino Petro tunc Episcopo Florentino suisque successoribus benigne concessi sub datum Prage anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto Inditione Secunda quarto Nonas Januarii Regnorum suorum anno decimo octavo, Imperii vero nono, Rev. in Christo Patrem & Dominum Dominum Johannem Laurentii de Medicis Clericum Florentinum in Diaconatus ordine constitutum ac Protonotarium Apostolicum coram eodem Domino Vicario ut gradum doctoratus in Jure Canonico consequatur legittime presentatum una cum famosissimis utriusque Juris Doctoribus Dominis Dominico de Bonsis, & Angelo de Niccolinis de Florentia per eundem Dominum Vicarium in Collegam assumptis diligenter examinatum quia puncta sibi assignata magistraliter legit & recitavit declarando & interpetrando, ac difficillima & subtilissima argumenta contra se facta per dictos clarissimos doctores optime reassumendo perspicacissimis responsionibus solvit & ita & taliter se habuit quod omnes admirarentur, & plusquam idoneus reputaretur ad doctoratus gradum in Pontificio Jure promovendum duxit atque promovit de consensu & voluntate eorumdem dignissimorum doctorum itidemque suis, scientia, probitate, doctrina, & meritis exigentibus in eadem facultate Canonici Juris de cetero legendi, docendi, glosandi, & interpretrandi, consulendi, catedram magistralem ascendendi ceterosque doctoreos actus publice faciendi & exercendi ubique locorum licentiam, & omnimodam potestatem concessit, sibique insignia consueta tradidit, videlicet librum Canonici Juris primo clausum, deinde apertum in manus suas consignavit, birretum quoque doctorale capiti suo imposuit, ejusque digitum anulo aureo cinxit, ac scientie predicte nomine ipsum anulo hujusmodi desponsavit & ad pacis osculum, ut moris est, benigne recepit; benedictionem vero Summo Deo reliquit, qui sibi & cunctis per infinita secula benedicat. Declaravit quoque eundem Dominum Johannem omnibus & singulis honoribus, immunitatibus, privilegiis, prerogativis, gratiis, indultiis, & facultatibus deinceps uti & gaudere debere, quibus alii in dicto Canonico Jure doctorati utuntur & gaudent, & seu quomodolibet uti & gaudere consueverunt: De & super quibus omnibus & singulis prefatus Dominus Vicarius mandavit; dictus vero Dominus Johannes de Medicis petiit a me Notario infrascripto unum & plura, publicum & publica sibi confici instrumenta.

Acta fuerunt hec omnia Florentie in Palatio Archiepiscopali sub anno, Indictione, die, & Pontificatu predictis; presentibus ibidem honorabilibus & circumspectis viris dominis Matheo Joannis de Cascia & Gregorio Andree Angeli de Spuleto Florentie commorantibus testibus ad premissa vocatis habitis, & rogatis.

Ego Dominicus Antonii Johannis de Fighino Imperiali auctoritate Notarius Judexque ordinarius ac Notarius publicus & Civis Florentinus quia premissis omnibus & singulis suprascriptis per alium mihi fidum me aliis meis gravibus occupato negociis fideliter scriptis dum sic ut premittitur fierent & agerentur una cum prenominatis testibus rogatus interfui eaque sic fieri vidi & audivi & in notam sumpsi, ex qua presens publicum instrumentum exinde confeci; idcirco in fidem & testimonium premissorum me cum solito Signo subscripsi rogatus & requisitus.

(4) *Extant hae litterae in Filza LXVII. Tabularii Medicei.*

(5) *Tota haec res narratur a Matthaeo Bosso Veronensi Canonico, ut loquuntur, Regulari, qui aderat. In haec enim verba scripsit ad Archangelum Vicetinum collegam suum.* Cum itaque Joannes hic Medices quintumdecimum aetatis annum tantum agens Cardinalis declaratus est, tum Pontifex & Sacri Patres voluerunt impuberem illum tanti ordinis administratione insignibusque ad triennium usque carere, quo tantisper & moribus & doctrinis coalesceret, atque proficeret, & virtute ac sapientia mactus, tanto fastigio tantarumque rerum susceptione dignus evaderet. Venit, Deo illum servante, optatus hic dies, plenitudoque triennii. Suscepturus itaque haec ornamenta, quae diximus, Pallium scilicet, Biretum, ardentem Pileum, desponsationis Anulum, pridie quam talibus initiaretur, ad nos post meridiem Fesulas conscendit parvo suorum admodum comitatu, & humili, ac simplici cultu. Postridie affuit mane Joannes Picus Mirandula noster, & Jacobus Salviatus Cardinalis Sororius, ac Simeon Staza Notarius cum quibus hora diei circiter sexta de cubiculo egressus sacer adolescens templum intravit. Ubi primum in Virginis laudem (Sabbatum enim erat, dies Virgini vetere religione dicatus) ritu cantuque solemni agi coepit ea res Sacra, quam vulgo dicimus Missam, in qua cum prius Sacrosanctum ego Domini Corpus Sanguinemque libassem, tum ille ante Aram in genua flexus concommunicavit singulari humilitate, & quantum agnosci poterat devota quidem mente, & erecta semper in Deum. Peracta re Sacra, vestimenta mox a me quoque sunt benedicta; postea vero sublata manu bullam, breveque Pontificis Maximi te-

nens, illum hunc in modum affatus equidem sum. Quod tibi Ecclesiae Sanctae Dei, Patriae, Generique tuo foelix salutareque sit, hodie Joannes Medices decursum est triennium Cardinalatui tuo per hanc bullam, breveque praefixum. Legant, qui volunt. Servata sunt omnia, de quibus tu Simeon publicam tabellam testimoniumque conficito. Subinde pallio a me inductus est ita precante: Induat te Deus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justicia & sanctitate veritatis. Biretum denique, Galerum, Annulumque porrexi his rursum cum verbis. Haec sunt decora dignitatis sublimis tuae a Sede Apostolica tibi tradita atque concessa, quibus quam diu vixeris ad Dei laudem, tuique salutem utinam semper utare. Quibus ita peractis, Hymnum *Veni Creator Spiritus*, canoris vocibus ante Aram Fratres cecinere. Postremo, quantam Cardinalis singulus potest, indulgentiam ellargitus astantibus, & eamdem visitantibus altare eodem die quot annis, rediit nobiscum in domum. Paulo post prandium Petrus frater cum paucis en affuit, delatus sonipede mirae ferocitatis, ac magnitudinis, auratis bracteis quaque fulgente. A Porta interea Sancti Galli, qua itur Fesulas, tanta effusa equitum ac peditum manus, ut plena undique via nulli contra in urbem eunti transitum cederet. Quae omnis multitudo sistere jussa est ad Munionis pontem, nec datum ulli quidem cis pontem, amnemque transire. At vero rebus caeteris ex constituto dispositis, descendit ille cum fratre, trajectoque flumine exceptus est medius inter Pontifices, Prothonotarios, alios Praelatos, ac primores urbis cives, & ambitiosissima pompa deductus in urbem per viam majorem, quae ad aedes ducit suas. Qui cum pervenisset ad Virginis Nuntiatae basilicam, mula descendens, ad illius humiliter se constravit aram, pro se orans voce submissa. Inde ad Divae Liparatae templum profectus pari modo sic est opem gratiamque precatus: Denique in lares se recepit, quos habitat suos. Ubi ferme tota in unum conspecta est civitas ita frequens, ut non via modo, sed fenestrae & tecta ipsa vix caperent perspectantes. In sequentem vero noctem juges in plateis, inque turribus & pinnis ignes collucentes illuminarunt veluti diem, & conclamantium vocibus, omnifariisque tinnitibus, atque crepitibus, aether semper insonuit, ut obliti sint homines somnos hac tanta laetitia, inspectumque sit quanti faciat Reipublicae servatorem & columen gratissima civitas. Haec dixisse ex tempore sit mihi satis: seriem alius copiosius ornatiusque conscripserit. Vale, atque ora, ut ista sint fausta. Fesulis prid. id. Mart.

(6) *His verbis Joannes ipse Patri significavit quam honorifice ad Pontificem deductus, & ab ipso acceptus fuerit.*

Salvus sis. Se non vi avessi scripto, e se non avessi qualche occupatione di cerimonie, e se non aspectavo havere parlato con N. S. non avrei diferito fin qui a spedirvi questa mia. Io Venerdì mattina fui ricevuto . . . . e accompagnato da S. M. del populo fino a palazzo, e da palazzo sino in campo di fiore da tutti questi Cardinali, e da quasi tutta la corte e da una grande piova: fui visto da N. S. molto gratiosamente; non gli parlai quasi niente: il dì seguente gli Oratori visitarono N. S. hebbono gratissima audientia, el Papa mi riservò il dì seguente per udirmi, che è oggi. Son ito, e la Sua Santità mi ha parlato tanto amorevolmente quanto è possibile: hammi ricordato e confortato a fare qualche cosa in queste visitationi di Cardinali, che le hò cominciato a fare: in questi che ho visitati dimostrano molto di esser volti benissimo verso voi. Delle cose passate so ne siete suto advisato. Di me non ho da dirvi altro se non che io mi sforzerò di farvi honore. De me proloqui ulterius nefas. Io ho havuto molto caro l' adviso del vostro stare molto meglio, & non ho altro desiderio se non di sentirlo spesso, & di questo per insino ad ora ne ringrazio Piero. Io mi raccomando a voi. Non altro. Romae die XXV Martii 1492.

Jo. Filius.

(7)

Lorenzo de' Medici Padre
A Messer Giovanni de' Medici Card.

Messer Giovanni: voi sete molto obbligato a Mess. Domenedio, e tutti noi per rispetto vostro, perchè oltra a molti beneficj & honori, che ha ricevuti la casa nostra da lui, ha fatto che nella persona vostra veggiamo la maggior dignità, che fosse mai in casa: & ancora che la cosa sia per se grande, le circostantie la fanno assai maggiore, massime per l' età vostra & conditione nostra. Et però il primo mio ricordo è, che vi sforziate esser grato a M. Domenedio, ricordandovi ad ogn' hora, che non i meriti vostri, prudentia o sollecitudine, ma mirabilmente esso Iddio v' ha fatto Cardinale, & da lui lo riconosciate, comprobando questa conditione con la vita vostra santa, esemplare & honesta, a che siete tanto più ob-

obbligato per havere voi già dato qualche opinione nella adolescentia vostra da poterne sperare tali frutti. Saria cosa molto vituperosa, & fuor del debito vostro & aspettatione mia, quando nel tempo, che gli altri sogliono acquistare più ragione & miglior forma di vita, voi dimenticaste il vostro buono instituto. Bisogna adunque, che vi sforziate alleggerire il peso della dignità, che portate, vivendo costumatamente, & perseverando nelli studj convenienti alla professione vostra. L' anno passato io presi grandissima consolatione, intendendo, che senza che alcuno ve lo ricordasse, da voi medesimo vi confessaste più volte & communicaste: nè credo, che ci sia miglior via a conservarsi nella gratia di Dio, che lo abituarsi in simili modi, & perseverarvi. Questo mi pare il più utile e conveniente ricordo che per lo primo vi posso dare. Conosco che andando voi a Roma, che è sentina di tutti i mali, entrate in maggior difficultà di fare quanto vi dico di sopra, perchè non solamente gli esempj muovono, ma non vi mancheranno particolari incitatori & corruttori, perchè, come voi potete intendere, la promotione vostra al Cardinalato per l'età vostra, & per le altre conditioni sopraddette, arreca seco grande invidia, & quelli, che non hanno potuto impedire la perfetione di questa vostra dignità, s' ingegneranno sottilmente diminuirla, con denigrare l' opinione della vita vostra, & farvi sdrucciolare in quella stessa fossa, dove essi sono caduti, confidandosi molto debba lor riuscire per l'età vostra. Voi dovete tanto più opporvi a queste difficultà quanto nel Collegio hora si vede manco virtù: & io mi ricordo pure havere veduto in quel Collegio buon numero d' huomini dotti & buoni, e di santa vita: però è meglio seguire questi esempj, perchè facendolo, sarete tanto più conosciuto & stimato, quanto l' altrui conditioni vi distingueranno dagl' altri. E' necessario che fuggiate, come Scilla & Cariddi, il nome della hipocrisia, & come la mala fama, & che usiate mediocrità, sforzandovi in fatto fuggire tutte le cose, che offendono in dimostratione, & in conservatione, non mostrando austerità, o troppa severità: che sono cose, le quali col tempo intenderete, & farete meglio a mia opinione, che non le posso esprimere. Voi intenderete di quanta importanza & esempio sia la persona d' un Cardinale, & che tutto il mondo starebbe bene se i Cardinali fussino come dovrebbono essere; perciocchè farebbono sempre un buon Papa, onde nasce quasi il riposo di tutti i Cristiani. Sforzatevi dunque d' essere tale voi, che quando gli altri fussin così fatti, se ne potesse aspettare questo bene universale. Et perchè non è maggior fatica, che conversar bene con diversi huomini, in questa parte vi posso mal dar

ricordo, se non che v' ingegnate, che la conversatione vostra con gli Cardinali & altri huomini di conditione sia caritativa & senza offensione; dico misurando ragionevolmente, & non secondo l' altrui passione, perchè molti volendo quello che non si dee, fanno della ragione ingiuria. Giustificate adunque la conscientia vostra in questo, che la conversatione vostra con ciascuno sia senza offensione; questa mi pare la regola generale molto a proposito vostro, perchè quando la passione pur fa qualche inimico, come si partono questi tali senza ragione dall' amicitia, così qualche volta tornano facilmente. Credo per questa prima andata vostra a Roma sia bene adoperare più gli orecchi che la lingua. Hoggimai io vi ho dato del tutto a M. Domenedio & a S. Chiesa: onde è necessario, che diventiate un buono Ecclesiastico, & facciate ben capace ciascuno, che amate l' onore & stato di S. Chiesa, & della Sede Apostolica innanzi a tutte le cose del mondo, posponendo a queste ogni altro rispetto; nè vi mancherà modo con questo riservo d' ajutare la città & la casa; perchè per questa città fa l' unione della Chiesa, & voi dovete in ciò essere buona catena, & la casa ne va colla città. Et benchè non si possono vedere gli accidenti che verranno, così in general credo, che non ci habbiano a mancare modi di salvare, come si dice, la capra e i cavoli, tenendo fermo il vostro primo presupposto, che anteponiate la Chiesa ad ogni altra cosa. Voi siete il più giovane Cardinale non solo del Collegio, ma che fusse mai fatto infino a quì; & però è necessario, che dove havete a concorrere con gli altri, siate il più sollecito, il più humile, senza farvi aspettare o in Cappella o in Concistoro o in Deputazione. Voi conoscerete presto gli più e gli meno accostumati. Con gli meno si vuol fuggire la conversatione molto intrinseca, non solamente per lo fatto in se, ma per l' opinione, a largo conversare con ciascheduno. Nelle pompe vostre loderò più presto stare di quà dal moderato che di là; & più presto vorrei bella stalla & famiglia ordinata & polita, che ricca & pomposa. Ingegnatevi di vivere accostumatamente, riducendo a poco a poco le cose al termine, che per essere hora la famiglia & il padron nuovo non si può. Gioje e seta in poche cose stanno bene a pari vostri. Più presto qualche gentilezza di cose antiche & belli libri, & più presto famiglia accostumata & dotta che grande. Convitar più spesso che andare a conviti, nè però superfluamente. Usate per la persona vostra cibi grossi, & fate assai esercitio: perchè in cotesti panni si viene presto in qualche infermità, chi non ci ha cura. Lo stato del Cardinale è non manco sicuro che grande; onde

nasce che gli huomini si fanno negligenti, parendo loro haver conseguito assai, & poterlo mantenere con poca fatica, & questo nuoce spesso & alla conditione & alla vita, alla quale è necessario che abbiate grande avvertenza; & più presto pendiate nel fidarvi poco, che troppo. Una regola sopra l' altre vi conforto ad usare con tutta sollecitudine vostra, & questa è di levarvi ogni mattina di buona hora, perchè oltra al conferir molto alla sanità, si pensa & espedisce tutte le faccende del giorno, & al grado che havete, havendo a dir l' ufficio, studiare, dare audientia &c. ve 'l trovarete molto utile. Un' altra cosa ancora è sommamente necessaria a un pari vostro, cioè pensare sempre, & massime in questi principii, la sera dinanzi tutto quello, che havete da fare il giorno seguente, acciocchè non vi venga cosa alcuna immeditata Quanto al parlar vostro in Concistorio, credo sarà più costumatezza, & più laudabil modo in tutte le occorrenze, che vi si proporranno riferirsi alla Santità di N. S., causando, che per essere voi giovane & di poca esperientia sia più ufficio vostro rimettervi alla S. S. al sapientissimo giuditio di quella. Ragionevolmente voi sarete richiesto di parlare & intercedere appresso a N. S. per molte specialità. Ingegnatevi in questi principj di richiederlo manco potete, & dargliene poco molestia, che di sua natura il Papa è più grato a chi manco gli spezza gli orecchi. Questa parte mi pare da osservare per non lo infastidire; & così l' andargli innanzi con cose piacevoli, o pur quando accadesse, richiederlo con humiltà & modestia doverà sodisfargli più, & esser più secondo la natura sua. State sano: di Firenze,

(g)

Joannes Franciscus Cardinalis de Medicis
Magnifico viro Petro de Medicis.

Carissime frater mi, ac unicum nostrae domus columen. Quid scribam, mi frater, praeter lachrimas pene nihil est, perchè considerando la felice memoria di nostro Padre essere manchata, flere magis libet, quam quidpiam loqui. Pater erat, ac qualis Pater! In filios nemo eo indulgentior: teste non opus est; res ipsa indicat. Non mirum igitur, se mi dolgo, se piango, se quiete alcuna non truovo, ma alquanto, mi frater, mi conforta, che ho te, quem loco defuncti patris semper habebo. Tuum erit imperare, meum vero jussa capessere: farannomi e tua comandamanti sempre sommo piacere supra quam credi potest. Fac periculum: impera; nihil est, quod jussa retardem. Oro tamen, mi Petre, is velis esse in omnes,

in tuos praesertim, qualem desidero, beneficum, affabilem, comem, liberalem, con le quali cose non è cosa che non si acquisti, e non si conservi. Non ti ricordo questo, perchè mi diffidi di te, ma perchè così mio debito richiede. Confirmant me multa ac consolantur, concursus lugentium domum nostram factus. tristis totius urbis ac mesta facies, publicus luctus, & caetera id genus plurima, quae dolorem magna ex parte levant; ma quello, che più che altro mi conforta, è l'havere te, nel quale tanto mi confido, quanto facilmente dire non posso. Di quello, che avvisi si debba tractare con N. S., non sè facto nulla, perchè così è paruto meglio: piglierassi un' altra via, secondo che per le lettere delli Imbasciatori intenderai: credo si piglierà uno modo & più comodo, & più facile, el quale, ut, quod mihi videtur, ti satisferà. Vale: nos quoque, ut possumus, valemus. Ex Urbe die 12. Aprilis 1492.

(9) *Ex* Filza XVIII.

A Piero de Medici

Noi haviamo preso grandissimo piacere e conforto del miglioramento che si mostrò in Lorenzo secondo l' adviso vostro de' 6. Essendo di poi sopravenute le vostre al Rev. Cardinale nostro con advisi del tutto contrarj a passati, e inteso che Lorenzo era in pericolo manifesto, potete stimare che ne habbiamo havuto quella passione e dispiacere che si conviene ad tale caso. Dio voglia che ci habbiate a mandarci migliori novelle che queste, per non haver ad accrescer il dispiacere, che è gran tempo che proviamo in modo che non ebbe mai il maggiore.

Stamani per eseguire i ricordi vostri siamo stati insieme col Rev. Cardinale nostro ai piedi del Papa, & facemogli intendere in che termine si trovava Lorenzo, pregando S. S. a consigliarci, o ricordare cosa alcuna da fare, perche tutta la speranza della città e nostra era riposta nella S. S. Mostrò haverne dispiacere grandemente & per le parole & per gesti si vide apertamente che questo caso non gli poteva più dolere. Confortò il Card. & noi, & dixesi che confortassimo ancora voi per parte sua, offerendosi molto amorevolmente, che se poteva fare cosa alcuna ne lo richiedessimo liberamente, & farebbolo molto volentieri. Et offerse, se bisognava, di mandare le genti sue ad ogni vostra richiesta, & così qualche suo mandato di che qualità vi paressi per conforto della città & vostro, & che pensassimo, & a voi scrivessimo se vi occorreva ricordare cosa alchuna ad vostro proposito lo facciate, perchè farà volentieri ciò che gli sarà

ricordato. Dolsesi della perdita grande, che farebbe di Lorenzo quando così seguissi, & da altra parte mostrò l'amore grande, che gli portava, & laudollo tanto, che non ne havremmo desiderato di più, concludendo, che continuerebbe con voi in quello medesimo amore, che haveva facto con Lorenzo, e più se si poteva, & si vede chiaramente che ama & stima Lorenzo quanto si può un huomo, & così è per fare di voi. El Rev. Card. & noi lo ringraziammo di tutto quello, che ci haveva detto, & maxime delle offerte, le quali erano secondo la fede & expectatione nostra. Et della gente e del mandare uno, come haveva detto, dicemmo che non era necessario, perchè per gratia di Dio la città si trovava in tali termini, & tanto bene contenta per l'opere di Lorenzo, e per la gratia che havete voi con tutti cotesti cittadini, che non bisognava; & che S.S vederebbe, quando a Dio piacesse far altro di Loreneo, che la città è tanto ben unita, & vi ama e stima tanto, che la S. B. medesima non saprebbe desiderare più. Poi confortò il Card. che seguendo il caso, si preparassi per potersi partire, come fosse giudicato ad proposito, & secondo che paressi a voi, maxime accostandosi i tempi caldi, ne' quali quest' aria a' giovani maxime non suol esser buona. Fu risposto che S. Rev. era parata a fare quanto da S. S. e di costì gli fossi ricordato. Habbiamo voluto darti questo ragguaglio, perchè se a voi paressi quanto all' offerte domandare cosa alcuna, lo possiate fare, & similmente quello che vi parrà che si faccia, quando S. S. ricordassi la partita del Card. perchè si farà quanto ordinerete. Et per dirvi quello che a noi occorrerebbe, giudichiamo, se non fossi fuor di proposito che el Card. fatte le feste di Pasqua, si partisse . . . . . .

Romae IX. Aprilis 1492.

Petrus Philippus Pandolfinus
Philippus Valorius. (Oratores.

(20) Magnifico Piero mio honorando. Questa mattina essendo venuti li Card. all'officio & messa in cappella per la beneditione delle palme, congregati che furono tutti, & ante missarum solemnia N. S. li chiamò dentro nella audientia sua segreta, e quivi presente tutto il Collegio pubblicò e dichiarò Monsignore vostro fratello legato del Patrimonio. Nè vi potrei dire quanto è stata grata questa dimostratione a tutta questa corte & città. Dipoi N. S. andò in cappella & benedixe le palme, & celebrossi una

messa, la quale finita Monsig. nostro Rev. partì & fu accompagnato da tutto il Collegio insino a casa con grandissimo honore, & fu cosa bellissima a vedere . . . . Bene vale. Romae die XV. Aprilis 1492.

Stephanus de Castrocaro.

P. S. Non sarà fuor di proposito che voi confortiate Monsig. a curare con ogni diligentia di stare sano, e vegga al più che può di accomodarsi al vivere secondo che fanno li altri Cardinali. Questo dico perchè bisogna levarsi la mattina per tempo, & chi veglia la sera, assai male lo può fare. Saria pericolo col tempo non li facessi nocimento. Questo io non dico senza cagione.

Angelus Politianus mentionem fecit de honore hoc collato Jo. Cardinali, inquiens. Joannes Medices Cardinalis duodeviginti annos natus erat Legatus Pontificis in Ecclesiae Patrimonio & in patria sua; is talem tantumque se jam in arduis negotiis gerit & praestat, ut omnium in se mortalium oculos converterit, atque incredibilem quamdam, cui responsurus plane est, expectationem concitaverit.

(11)

A Mes. Piero de' Medici

Pietro mio. Da poi partisti io non ti ho molto voluto dar noja con mie lettere, perchè mi è accaduto poco o niente da scriverti e quel che io l' altro dì ti scripsi fui costretto a farlo dall' amor ti porto, che chi ama teme. Hora al presente ti ho fatto scrivere . . . . . qualche cosa in recomendazione delle nostre cose di Monte Casino, & così della faccenda della badia d' Anghiari, & ancora di una riserva di mille cinquecento ducati che servirebbe a me, agli amici & servitori: queste tutte cose benchè per lo honore & utile nostro mi fussino gratissime, tamen tutte & questa e le altre le rimetto a te, & quello me ne piacerà che tu ne farai. Io sò che sapevi tutto questo senza havertelo altrimenti scripto, pure havendoti a scrivere per altro ho voluto replicare. De his hactenus Piero mio. Io hebbi ieri lettere dallo Imbasciatore Filippo Valori, che a Roma si parlava di mandare in Francia due Legati de latere, & quegli non essere ancora creati. Perchè io, Piero mio, starei mal volentieri in Roma senza credito, come dubito di havere a fare a questi tempi; ti priego e gravo con quella maggior forza posso, vogli fare di ha-

vere uno di tal luoghi per me, cosa che credo non ti sarà molto difficile, perchè credo, & così accenna Filippo, vi sarà pochi che si voglino levar di costì, per le cose possono intervenire, per la qual cosa tanto più te ne priegho, che tu voglia pigliar questa fatica; veramente tu non potresti far cosa nessuna che più mi fussi a cuore di questa. Havendo ad essere dua, non mi pare presumptione desiderare tal cosa, benchè quando fussi anche solo non crederei far vergogna veruna, nè a noi, nè al Collegio nostro. Non te ne scrivo più, perchè essendo el ben mio, non ne sarai manco desideroso di me. Nec plura circa questa. Io desidererei intendere come voi la fate, & che accoglienza & che parole & che facti voi trovate costì. Pregovi mi facciate advisare di tutto questo, & che resolutione harete presa nelle cose del Sig. Francesco, & quella faccenda che io vi scrivo vi stia a mente. Non altro: a voi mi raccomando. Pisis die XX. Novemb. 1492.

Fr. Jo. Card.

(12) *Narrat Petrus Parentius sua in Florentinarum rerum historia, quae manuscripta extat in Riccardiana Bibliotheca, in animo fuisse Petro Mediceo hunc honorem Angelo Politiano procurare*. Mes. Angelo Poliziano, *ait ipse*, venuto in subita malattia di febbre in capo di giorni circa 15. passò di questa vita con tanta infamia e pubblica vituperatione, quanta huomo sostener potessi, & per bene mostrare sue forze la fortuna, sendo in lui tante lettere greche e latine, tanta cognizione d' istorie, vite e costumi, tanta notizia di dialettica e filosofia, insano & fuori di mente nella malattia e alla morte finì. Aggiungesi a questo, che il discepolo suo Piero de' Medici stretta pratica col Pontefice tenea di farlo Cardinale, & già impetrato haveva dei primi, e quali in breve pubblicare si dovevano, alla predetta dignità promoverlo. La vituperatione sua non tanto da suoi vizj procedeva, quanto dall' invidia, in cui venuto era Piero de' Medici nella nostra città, imperocchè el popolo più sostenere non poteva la infatto sua tirannide, & già ciascuno apertamente parlava, e dal giogo rimovere si voleva, ma capo non si scopriva, il quale seguissino, onde lui, ma più arditamente e suoi amici biasimavano. In effetto jattura grandissima per la morte del Poliziano riceverono le lettere, & certo dalla barbarie la logica e la filosofia lui tratto harebbe, & alla latinità ridottole. Così l' altra colonna degli studj rovinò, che due dire si potevano sostenitori delle buone lettere, Hermolao Barbaro, e Agnolo Polizia-

no, e quali immaturi e verdi rapiti miseramente furono l' uno dal morbo, l' altro dalla febbre, e forse da imperizia de' medici, benchè ogni diligentia si usassi.

Nihil praetermisit Petrus Mediceus, ut Patris magnificentiam in hac obeunda legatione aemularetur, quod ex his litteris, quae sunt in Filza X. *cognosci potest.*

A Giuliano de' Medici.

Giuliano padrone mio buono. Questa vi fo perch' intendiate come stamanì havemmo l' audientia nostra. Tucta la natione, o la maggior parte accompagnarono li Imbasciatori nostri, & con loro insieme tucti li Vescovi che si truovono quì del dominio nostro, & dove havevamo a passare era tucto questo popolo, & mostrava ciascuno di pigliare così piacere & allegrezza, che le cose nostre stassino bene, come se havessino a partecipare della laude. Feronsi tucte le cerimonie consuete entrati che fumo in Palazzo. Fumo messi in Cappella tucti li huomini di cappa, & posati quivi circa due terzi d' hora o più vennono per li Imbasciatori otto tra Vescovi & Cherici Apostolici, & mandata prima innanzi la famiglia tucta (che aspettava di fuora) & dopo epsa li giovani, entrorono gli Oratori accompagnati dalli otto sopradecti nella sala della audientia, dove era il Papa con tutto il Collegio, & Vescovi in moltitudine a sedere in terra, baciarono li Imbasciatori li piedi, mane & la bocca a N. S. & tornati al luogho loro, che fu drieto a Cardinali preti, così ritti presentarono la lettera di Credentia, la quale lecta forte dal Vescovo Caparino, & stato alquanto, cominciò la Oratione sua, el Vescovo Gentile, la quale Giuliano mio è stata tanto buona, tanto elegante, tanto nervosa, tanto grave, tanto efficace, & sì bene decta, che ha lasciata in tucti li audienti admiratione grandissima, nè si può ciascuno satiare di lodare il Vescovo, dicendo che in quello genere non si poteva dire meglio, nè o nell' oratione, o nella pronuntia, & gesti suoi potersi desiderare cosa alcuna. Peroravit igitur con la approbatione & applauso di tucti, & se qualcuno non lodava, lo constringeva a tacere la invidia.

Finita la oratione, per abbreviarvi la cosa, tucti andarono a baciare il piede a N. S. & ci riducemo nella Sala del Pappaghallo, dove stati alquanto entrò il Papa con seco li Imbasciatori nostri, & Piero per essere il più giovine teneva la coda della veste del Papa. La S. S. spogliata, ci diè la benedictione sua, & baciò in volto Piero nostro, poi ci partimmo & mon-

montati a cavallo, ce ne tornammo con grandissimo favore di tutta questa Città a casa nostra tutti insieme li Imbasciatori, e quali seguitati da Piero desinorono in casa, & se li fece un grandissimo honore. Questo è quanto all'audientia, della quale vi ho decto ogni particolare & minimo, perchè così mi diceste essere el desiderio vostro d' ogni cosa di quà.

Haveva Piero in dosso la robba sua grande di velluto nero col brocchato tirato, che pareva una maestà. La collana non portò, la quale si messe in più pezzi su le maniche delle robette de' ragazzi, che era una cosa signorile. La Famiglia tucta con le robette ricamate senza ghabbani. Li 8. giovani vesta lunghe di brocchato argento foderate di ghatti di Spagna. Li altri sei, excepto però quello della Gherardesca, veste lunghe di velluto paghonazzo, foderate di ghatti &c. E ragazzi voi sapete, e gli staffieri come possono andare. Degli altri non vi curo dirvi, che saria lungo: solo vi dico di M. Puccio, che aveva in dosso una bella veste di brocchato d'oro; caetera coram. Questo fu la mattina; oggi habbiamo visitato gli Ambasciatori Milanesi, Napoli, Siena, & Orsino. Et per tornare a quello, donde non posso nè so partirmi, vi dico, che questa cosa di stamani è stata la più bella, & più nobile, che sia stata vista in questa terra da 80. anni in quà; & Piero è stato tanto commendato di questo modo del vestire, & d'ogni altra cosa, che non vi potrei dire di più. Così è stato molto lodato della costumatezza sua, del non avere lui portato gioja alcuna, benchè avesse un pendente, ma per essere sotto la veste non si vide mai. Insomma per questa Terra non si dice altro, che di questa cosa, come di quella ch' è stata la più magnifica e nobile, che si ricordi alcuno . . . .

Romae die XXVIII. hora 9. Novembris 1492.

P. S. In fretta in fretta. Pietro stà benissimo ed è tucto contento. Havemo dimenticato dirvi, come il Papa fece la risposta, la quale fu circa 60. parole. Quello si contenessi nol so, perchè non si udì quasi puncto in modo disse piano. Addio. Bernardo vostro.

(113) *Dolet Petrus eum esse rerum statum, ut cogeretur fidem Gallorum implorare. Hae litterae ejusdem tum ad Summum Magistratum, tum ad Petrum Bibienam huic rei erunt documento. Extant* in Filza LXXII.

Magnifici Patres honorandi.

Io non piglio altra scusa con V. M. di questa mia subita partita, per-

chè non credo dovere essere imputato o ripreso di quello che secondo l'animo mio & debile judicio mi è parso el più salutifero rimedio a conservatione della quiete della mia patria, e di manco impedimento dello universale & pericolo d'ogni altri da me in fuori, & manco disagio a tutte le occorrentie presenti, parendomi coll'offerirmi in persona alla M. Xma di Francia poter meglio sedare l'ira o odio havessi conceputa contro cotesta città o stato di quella per le opere conservate sino a qui ad istanzia della vostra fede & obblighi verso altri. Perchè S. M. Xma non vuole altro che la mutazione delle operazioni vostre. Io che ne sono stato incolpato o me ne purgherò con S. M. Xma, o ne piglierò conveniente supplicio più presto in la persona mia che in cotesta Rep. per la quale ancora che simile opera sia peculiare già fatta di casa mia, ma pare essere tenuto molto più ad affaticarmi che e mia predecessori per essere io stato molto più sopra e meriti miei honorato che gli altri, che quanto mancho ne sono stato degno, più me obbliga a questo che fo al presente, & a non perdonare mai a fatica, disagio o spesa fino alla morte inclusive. La quale mi reputerei a beneficio se la spendessi per ciascun di voi in particulare, & tanto più per l'universale di cotesta città, come me ingegno fare al presente, che o ne reporterò el contento & vostro & della città, o vi lascerò la vita. Intanto prego le M. V. per la fede & affectione debbono alle ossa del vostro Lorenzo mio Padre, & lo amore havete conservato verso di me non manco figliuolo vostro che suo in riverenza & affectione, siate contenti fare pregare Dio per me, & havere per raccomandati miei fratelli & figliuoli, de' quali se a Dio piace ch'io non torni, ne fo a tutti voi testamento, & me insieme con loro vi raccomando. Io partirò di qui domattina &c. In Empoli die 26. Octobris 1494.

Di V. M. figliuolo
Piero de' Medici.

A Pietro Bibiena

Pregovi di fare intendere al mio Magnifico Mess. Marino, che poi che mio Padre morì, io ho servito con quella fedele affectione la M. del Sig. Re Alph. ed il suo Padre, che mi è suta possibile, & mi sono condocto tanto in là con questa devotione, che ora come intenderete trahor ad immolandum, & questo è perchè abbandonato da tutti cittadini Fiorentini amici & inimici miei, non mi bastando più nè la reputatione, nè li de-

nari, nè il credito a sostenere la guerra accepta sponte in casa, ho preso per partito, non potendo servire colle forze (le quali jam defecerunt) alla M. del Sig. Re Alph. servirli almanco colla disperatione, la quale mi conduce a darmi in potere del Re di Francia senza condizione o speranza di bene alcuno, se non di avere messo la vita dopo le altre cose mie per quello a chi me reputavo obbligatissimo, e mi reputerò dum vivam. Pregherete S. M. se degni excusarmi con la M. del Re, se prima non li ho fatto intendere questo mio concepto, che ne è suto cagione el non essere prima in necessità tale, nè mai havermi pensato per non havere mai diffidato in tanti amici, & in una tale città come è Firenze, & me excusi S. M. che non sono el primo infermo che si conduce all' extrema untione sánza conoscersi mortale. In somma direte questo che anche infermo conserverò la fede mia al S. Re Alph. & forse li sarò più utile servitore appresso il Re di Francia, che nel primo luogo dello Stato, che è si debole a Firenze, & se ben hora io offendo in qualche parte S. M. lo fo contra mia voglia & forzato: Promectetelì che sentirà aliquando fidem immaculatam ancora in quest' atto di Piero de' Medici: el simile pregate S. M. faccia coll' Exc. del mio Duca di Calabria, e me li raccomandi humilmente.

Pisis die 27. 1495.

(1) *Haec Petrus Parentius*: A dì 26. Novembre venne a Messa in S. Maria del Fiore la Maestà del Re appresso la Signória nostra, la quale in su le sagrate mani del Card. Burgense tenente il Corpo di Cristo insieme colla Maestà del Re giurarono di osservare quanto in tali capitoli si conteneva. Disegnato haveva la M. del Re da Messa in Palagio a desinare andare, levate che fussino le nostre offensive arme; quivi dimostrazione fare voleva come non per occupare la nostra libertà venuto era, ma per quella di gran lunga accrescere, poi certa bandiera in segno d' averci la libertà donata domandare, & così amicissimo della città partirsi: niente di meno o per sospetto che messo gli fussi, o per altra cagione dall' impresa si tolse, e a casa se ne tornò, tutta volta a gloria le campane sonarono, e fuochi in piazza e per la terra se ne feciono, mostrandosi allegrezza grandissima, & come dal soprastante pericolo ciascuno liberato era, noi dal sacco, & somessione, loro dal dubbio dell' essere con tradimento morti . . . . Le convenzioni & capitoli tra noi & la M. del Re di Francia giurati pubblicamente e presente il popolo nostro in S. Maria del Fiore questi in sentenza furono: che la giurisdizione di Pisa libera a noi

restassi, mandassimovi e nostri offiziali, come prima consueti eravamo; ma che a loro liberamente si perdonassi, atteso che per la libertà levati s'erano: inoltre che il Re le fortezza tenessi, & una delle chiavi delle porte, a cagione che mancamento per a tempo non gli facessimo, questo durante la guerra anni dua, poi libera al tutto ci restassi & prima se prima fussi, o se morte il prevenisse; Serezzana e Pietra Santa indecise per anni dua restassino, poichè al Rè stesse di ragione e di fatto giudicarne, intanto nostri uffiziali vi mandassimo, come prima consueti eravamo. Questo così volle per i Genovesi non si alienare, durando la guerra. Fivizzano al tutto nostro esser volle, & che altri giurisdizione non vi havessi, & così a possessori scrisse. Lega con altri non potessimo fare senza sua saputa, li amici sua per amici, li inimici per inimici havessimo: Fiorini 120. m. gli dessimo, 50. m. tra 15. giorni, 40. m. a Febbrajo prossimo, 30. m. a S. Giovanni cioè per tutto Giugno. Piero de' Medici dopo quattro mesi tornar potessi, se nel Consiglio nostro si vinceva, intanto miglia cento lontano da' nostri terreni star dovesse. La donna e figliuoli in casa propria stessino, & il dovere si facesse ai creditori, poi el resto si godessi. Al Cardinale le entrate salve fussino, e dalle censure si liberassino . . . Nel dì 28. la Maestà del Re di Francia di Firenze uscì a ora circa 22. e in Arcetri luogo de' Pandolfini vicino alla terra per la sera dimorò. *Summa tum apparuit Petri Caponii virtus, qui unus in libera civitate adversus victorem Regem maximis viribus nitentem, exaudiente exercitu armato, quem Italiae civitates, nationes exterae horrebant, ausus mittere liberam vocem, majestatem imperii a Gallorum ferocia atque insolentia vindicavit. Hinc celebre illud Florentinorum atque acute dictum, multas Gallorum cohortes unius Caponis voce exterritas cohorruisse.*

(15) *Hujus rei monumenta extant* in Filza XIX.

(16) *De hac re tota vide*, Racconto di Messer Arcangelo Visdomini dei fatti della Città d'Arezzo dell' anno 1502. *in libro, qui inscribitur*: Relazione di Gio. Rondinelli sopra lo stato antico e moderno della Città d'Arezzo: in Arezzo 1755. *Saepe in hac narratione mentio fit Joannis Cardinalis, qui sic adfuit Aretinis, ut nihil praetermiserit ad eos inflammandos in Florentinos, & ad recuperatam libertatem retinendam.*

(17) Ricordo come ai 12. di Settembre 1492. ad ore 18. e un terzo nacque il primo figliuolo maschio a Piero, il quale ai dì 13. si battezzò, e se li pose nome Lorenzo, Francesco e Romolo. Li compari furono l' Officio tutto degli Otto di Pratica, Filippo Valori Ambasciatore a Roma, Giu-

lio Portinari, e due Compagni di Piero. *Narratur haec res ab Alphonsina Ursinia ejus matre*.

(18) Julius PP. II.
Dilectis filiis Prioribus Libertatis & Vexillifero
Justitiae Populi Florentini.

Dilecti Filii, salutem & apostolicam benedictionem.

Superioribus diebus cum Marradium ditionis vestrae oppidum pervenissemus, divertimus in domum dilecti filii Antonii Perotii de Fabronibus, qui pro loci captu satis liberaliter nos excepit. Quare dignus nobis est visus, quem devotioni vestrae commendaremus. Cupit se & posteros, omniaque & praesentia & futura eorum bona ab omnibus gravaminibus, collectis gabellisque eximi. Quod si nostra contemplatione ei concesseritis, erit nobis admodum gratum, prout dilecto filio Petro Francisco de Tesignis Commissario vestro, qui nos per omnia loca vestra benignissime comitatus est, diximus. Datum Imolae XXIV. Octob. 1506. Pontif. nostri anno III. *Extant hae litterae in Vaticano Tabulario* Lib. III. Brevium Julii II. p. 517. Plut. 39. n. 24.

(19) *Quantis abundaret Graecis praesertim libris, iisque rarissimis Joannis Cardinalis bibliotheca narrat Jo. Franciscus Picus Mirandulanus, qui illam frequentare solebat*. Examen Doct. Vanit. Gent. p. 1044. *Quod ad Marcianam bibliothecam a Joanne coemptam pertinet, haec Robertus de Galliano S. Marci coenobii alumnus memoriae mandavit*. Anno 1508. sub praefato Priore (*Bartholomaeo Faventino*) cum propter supradicta aedificia, quae cuncta impensis Conventus extructa sunt, Conventus magna aeris alieni quantitate gravaretur, & exolvendi tempus instaret, nec aliunde praeberetur facultas, decreverunt tandem Prior & Patres discreti e nobilissima Mediceorum bibliotheca hujusmodi pecunias extrahere, quam nuper pretio trium millium Ducatorum a Syndicis Rebellium, ut supra meminimus, comparaverat Conventus noster, & pro qua plurimos labores Fratres subierant, quam cum Rmus D. Dominus Joannes Medices Magni Laurentii filius, & S. R. E. Cardinalis, cujus nuper paterna haereditas fuerat, recuperare plurimum inhiaret, ipsi de permissione Dominationis Florentinae venundarunt pretio . . . . ducatorum, atque in hunc modum Bibliotheca illa Romam ad ipsum Rmum Dominum Cardinalem advecta, de quibus in actis hujus Conventus plenius & clarius continetur. *Ceteros*

inter qui praefuerunt Bibliothecae Leonis memoratur etiam Lucius Parmenius Genesius, de quo vide Bandinium Praefat. ad Catalog. Cod. manuscriptorum Mediceae Laurentianae.

(20) *Georgius Vasarius ad vivum expressit imagines eorum, qui primas partes gesserunt in hoc praelio iis in picturis, quibus ornavit aedes, ubi olim sedem habuerunt, qui Reipublicae Florentinae gubernacula tractabant. Neque id modo pinxit, sed & alia plura, quae ad Leonem pertinent. Descripsit vero opus suum eo in libro, cui titulus est*: Ragionamenti del Signor Cav. Giorgio Vasari sopra le invenzioni da lui dipinte in Firenze nel Palazzo di Loro Altezze Serenissime &c. Arezzo 1762. in 4.

(21) *Julianus Mediceus quando, ut ait Areostus,*

> Si riparò nella Feltresca corte,
> Ove col formator del Cortigiano,
> Col Bembo, e gli altri sacri al divo Apollo,
> Facea l' esilio suo men duro e strano,

ex nobili quadam femina vidua, quae appellabatur Pacifica Joannis Antonii Brandani an. 1511. filium suscepit Hippolytum illum Mediceum, qui a Clemente VII. Cardinalis creatus majorum gloriam in fovendis & colendis litteris aequavit; Vide le annotazioni dell' Abate Pierantonio Serassi alle stanze del Castiglione *in volumine II. p. 276. operis, quod inscribitur*: delle lettere del Conte Baldassar Castiglione: in Padova 1771. presso Giuseppe Comino. *Eo in loco exemplum quoque habes poetici ingenii Juliani, cui tantum tribuebant & Castilionius ipse, & Petrus Bembus, ut eum loquentem induxerint suis in dialogis.*

(22) In Dei nomine An. D. N. J. C. ab ipsius Salutifera Incarnatione M. D. XII. indict. XV. & die tertia mensis Septembris: Actum presentibus testibus.

Pateat omnibus evidenter qualiter

Illustrissimus Dom. Ramundus de Cordona Catholice Majestatis vice rex & locum tenens & Capitaneus Generalis sanctissime lige nostre, & pro parte dicte catholice majestatis de ejus mandato & auctoritate ad inserta omnia & singula faciendum constat instrumentum publicum a dicta Catholica majestate firmatum, & manu sua propria subscriptum, & cum regio pendenti sigillo munitum sub dato & tempore in eo contentis ex parte

una & Reverendissimus Dominus Cosmus de Pazzis Archiepiscopus Florentinus, & eximii Doctores

Dominus Baldassar Baldassaris de Carduccis, & Dominus Ormanozzius Domini Thomasii de Detis, cives & advocati Florentini, & Spectabiles viri Jacobus Joannis de Salviatis, & Paulus Pieri de Vectoris Cives Florentini, omnes sindici & procuratores, & sindicorum & procuratorum nomine excelse Reip. Florentine ex instrumento publico manu egregii viri S. Ant. S. Anastasii de Vespuccis cives & notarii publici Florentini sub die prima presentis mensis Septembris omni meliori modo quo potuerunt fecerunt, inierunt, & contraxerunt ad invicem veram amicitiam, confederationem & ligam pro tempore & termino infrascripto, & cum capitulis & pactis infrascriptis partim vulgari, partim latino sermone firmandis.

In primis lo predecto Ill. S. Vicere nomine quo supra promette pigliare & per da hora piglia e riceve in protectione la decta Excelsa Rep. Fiorentina contra qualunque Potentato la volessi offendere, & muoverli guerra.

Item Sua Illustrissima S. nomine quo supra promette che per defensione de dicta Ex. Rep. l' ajuterà con mille huomini d' arme, e secento chavalli leggieri a sue proprie dispese ogni volta che fusse invaso, o da invadere, o ne soprastessi legitima suspitione d' essere invaso lo stato & dominio che di presente possiede decta Excelsa Rep.

Item sua Illustrissima S. libera & relaxa alla decta Ex. Rep. la terra di Prato, & qualunque altra terra dello Stato & dominio d' epsa che fosse pervenuto in potere di S. Signoria Illustrissima post ingressum sui exercitus in territorium Florentinum, & la possessione di quella per da hora rimette ai prefati sindici e procuratori in dicto nomine.

Et versa vice la decta Exc. Rep. promette sempre quando el regno di Napoli fusse invaso o da invadere ad ajutare Sua Chatolica Maestà e sua Illustrissima S. per parte di quella con dugento huomini d' arme a sue proprie dispese, li quali dugento huomini d' arme promettono tener di continuo pagati secondo hanno costumato pagarli i S. Fiorentini, & habbino a esser del regno di Napoli, & subditi della Chatolica Maestà, e sia ad electione della predecta Rep. tenerli nel Regno di Napoli, o in le terre del dominio Fiorentino, & habbino a star sotto l' ordinatione & obbedientia d' epsa Ex. Rep. & quello soldo che s' avessi a dare a decti dugento huomini d' arme più di quello suole pagare epsa Rep. Fior. sia tenuta la predecta Chatolica Maestà pagarlo a spese sue proprie.

Item promettono pagliar i condottieri uno o più di detti dugento huomini d' arme al modo e forma se sogliono pagar gli altri conductori di decta

S. di Firenze, & sia in libertà d' epsa Rep. mettercene uno o più, dumodo sieno subditi della Chatolica Maestà, & accepti a Sua Altezza o al predecto Illustrissimo S. Vicere, e che la paghà de detti condottieri & huomini d'arme habbi a cominciare el primo di Marzo proxime venturo.

Item promettono nomine quo supra far rimettere dalla predecta Ex. Rep. infra terminum duorum annorum el Reverendissimo S. Cardinale de' Medici, & tutti li huomini di casa de' Medici loro adherenti servitori & seguaci di tutti i delitti, ribellioni, conspirationi preterite usque in presentem diem commessi contra Rempublicam, & crimen lese majestatis ex causa eorum, & remittere omnia & quecunque alia delicta commissa per quoscumque cives contra personam Magnifici Petri Soderini olim Vexilliferi Justitie populi Florentini, & in presentiarum depositi, restituendo dictos de Medicis & alios ad omnes honores, gratias & officia ac beneficia dicte Exc. Reip. quemadmodum alii cives & nobiles ejusdem gaudent & gaudere possunt juxta sui conditionem, & revocare omnia quecunque banna, seu tallias & taxas datas seu factas contra quoscumque in presenti exercitu existentes, & qui in hujusmodi expeditione fuerunt, promittentesque insuper de predictis omnibus fieri facere decretum publicum per collegium seu consilium dicte Ex. Reip. ut moris est infra terminum duorum dierum immediate sequentium, & qui per dictum Reverendissimum Cardinalem debeant nominari tutti quelli che fussino da rebandire o fussino banniti o condennati pretextu rebellionis & criminis lese majestatis commissi per dictos de Medicis & sequaces.

Item promettono paghare in potere del predocto Illustrissimo S. Vicerè 40. m. duchati d'oro fra termine di sei mesi che sarà per tutto febrajo proximo venturo per dare alla Cesarea Maestà, & per sua Signoria Illustrissima si promette che la predecta Cesarea Maestà adhererà colla Chatolica Maestà in tutto quello sua Illustrissima S. ha capitolato colla predecta Exc. Rep. & che fra termine di tre mesi farà ratifichare Sua C. M. o Monsignor di Gueza suo Luogotenente generale in Italia, o qualunque altro che ne havessi auctorità, le cose predecte, & etiam la acceptatione fatta questo dì dalla prefata Exc. Rep. Fiorentina nella sanctissima legha: & quousque non fuerit facta dicta ratificatio, non debeat solvi quantitas predicta dictorum 40. m. ducatorum: stante tamen semper firma dilatione dictorum sex mensium, de qua supra.

Et de voluntate ambarum partium è stato appuntato e concluso, che la detta confederatione amicitia & legha cum Chatolico Rege habbino a durare a presenti die usque ad diem primam Martii an. 1515. more Florentino, che saranno tre anni & sei mesi.

Item li prefati Reverendo e Magnifici Sindici & Procuratori promettono intercedere appresso a quella Exc. Rep. che ad contemplatione della Chatolica Maestà voglia restituir li beni che tiene delli huomeni di casa de' Medici, & li beni alienati de consensu dictorum de Medicis, & sia statuito termine condecente ad recomperarseli, pagandoli el prezzo furono venduti, & ancho li miglioramenti, & li altri beni alienati per la corte fiat justitia summarie & de plano.

Que omnia & singula suprascripta &c. *Ex* Filza LXXXI.

(23) Interim petimus (*haec memoriae mandavit, qui praesens erat Paris Grassius a caerimoniis*) quo nomine vellet in Apostolatu vocari, & dixit non curare, sed remittere ad dispositionem Collegii. Ipsi autem Cardinales hortabantur, ut ipse indicaret, quo nomine vellet vocari, & dixit quod alias inter vanas suas cogitationes cogitaverat, quod si unquam Pontifex esset, vellet vocari Leo X., & nunc si iis placeret, sic vocaretur, sin autem ut iis placeret: & multi comprobaverunt dicentes, quod si ipsi electi fuissent, eo nomine vocari voluissent, & sic conclusum fuit cum tanto plausu populi, ut credibile vix sit. *Addit Grassius recusasse Pontificem, ut moris est, gestari, sed pedibus semper ivisse, seque excusasse Cardinalibus, si quid minus perite in peragendis sacris fecisset; nam antea ii quaesierant excusationem, quod ob diuturnam Julii II. absentiam dedidicerant exequi ea, quae suarum partium erant. Die Paschae XXVII. Martii Pontifex rem divinam fecit in Sacello Palatino (nam S. Petri Basilica ruinam passa fuerat) & in ea, ut ait Grassius idem*, refulsit omnimodo majestas Papalis.

(24) *Hanc rem ita narrat, qui aderat Paris Grassius*. Die lunae XX. Junii sex Oratores Senenses in aula minori solitam praestarunt obedientiam Pontifici, ut unus eorum primus in ordine Eques sermonem habuerit satis feriatum, cujus major pars fuit in prologo sine praefatione, alioquin impertinenter, obedientiae clausula satis inanis & pauper, reliqua male. Pontifex elegantissime atque argutissime respondit, sic ut omnes laudare non cessent eumdem, qui ita in omnibus suis responsionibus se eleganter habuit, non sicut olim Julius, qui quotiens orare volebat, aut mori, aut mortuum se esse fingebat, praeter id quod saepe defecerit, ita ut mihi plerumque fuerit necesse adire, & eum quasi exanimatum excitare, & verba oblita rememorare. Isti hodierni Oratores, cum a nobis acriter admoniti fuerint, ut quam citius summo mane ad Palatium venirent, nec

expectari eos à Pontifice contingeret, non solum non venerunt summo mane, sed ita tarde, ut nos oportuerit pluries ad eos mittere ministros, qui eos sollicitarent, quoniam Papa cum toto Senatu indecentissime eos expectabat. Qui tandem cum venissent, dixerunt se esse Senenses, & more Senensi fecisse: idem multi interpretati sunt per jocum dixisse, se esse fatuos & more fatuo fecisse. *Hi fuere Jo. Antonius Saracenus eques, qui orationem habuit, Ludovicus Buoninsegnius pro nobilium ordine, Alexander Petruccius Doctor, Petrus Burghesius pro ordine Novario, Alexander Piccolomineus Andreae olim equitis filius, & Jo. Baptista Guglielmus pro ordine populari. Orationem Saraceni integram retulit Sigismundus Titius in Vol. VII. Historiarum Senensium, quod opus manu scriptum extat in Lycei Senensis Bibliotheca. Narrat ipse quae Senenses ipsi ediderint signa gaudii ob delatum Leoni Summi Pontificatus honorem, inter quae fuit Trojanus equus intra urbis moenia deductus, sed ne nimium hilaritati indulgerent effecisse timorem, ne per eum patria libertas perturbaretur. Idem multa alia narrat de sermonibus, qui tum sparsi fuerunt de Leone, nec defuisse qui inscriptionem quamdam mutilam in Vaticana Basilica extantem, ex qua abrasum fuerat Nicolai V. nomen, cum superessent hae Annorum notae M. CCCC. XL., ita interpretarentur*: multi caeci Cardinales creavere caecum Decimum Leonem. *Non bene enim oculis utebatur. Addidit & ipse*: Pontifex breves litteras ad Senenses dedit, quibus creationem suam illis significavit, seque erga illos eamdem benevolentiam, quam erga Florentinos, praestiturum promisit. Nihilo tamen minus Castello potitus est, & Raphaelem Petruccium Senensem & Episcopum Grossetanum eidem praefecit.

(25) *In hoc munere ipsum Leo confirmavit, quod beneficium his verbis declaravit*. Tibi imperium nostrorum exercituum in annum quidem proximum certe, in alterum autem quoad nobis libebit, extendimus & prorogamus cum eadem, quam habes turba ducentorum equitum cataphractorum, & levis armaturae equitum centum, eodemque ad eos alendos stipendio tibi solito dari numum aureorum tricies mille: ad te vero ipsum decies & ter mille atque octingentorum quadraginta quatuor. *Haec referre libuit, ut ex iis intelligatur quanti staret iis temporibus rès militaris*.

(26) *Ex eodem Titio exscribam pompam, qua Pontifex ductus est ad Lateranensem Basilicam*. Procedebant (*inquit ille*) priores Scutiferi serico vellere induti rubeo ad L. mox Cursores XIV. tenentes singula vexilla, Cubicuiarii subinde, & Conservatores Urbis III. Hieronymus videlicet Benzonius, Stephanus Carbonius, & Marius Sparticappa inter multos Dominos con-

stituti. Sequebantur XIII. Regionum Urbis Primores. Cum interea Pontifex in D. Petri descendisset plateam, equo descendens stapam Pontifici equitaturo aprehendens substinuit (*deest nomen*). Pedites custodiae Pontificis destinati praecedebant: post illum IV. sequebantur Proceres, Fabritius scilicet Columnensis, & Julius Ursinius manu se se equitando apprehendentes, Franciottus quoque Dominus, & Jo. Jordanus ex Ursinorum prosapia, tum Ludovicus Comes Petilianensis, Comes Anguillariae, & Dominus de Carpi, & Dominus Neapolio, Prosper Dominus Cavensis, & Julius Ursinus Lamentanae Dominus, Dominus de Padula, Dominus insuper Octavius, Dominus Zenazanensis, Dominus de Sabellis, & Dominus Ursinus, Franciscus Maentiae Dominus, Stabiensis Dominus, Constantinus insuper Dispati Moreae filius, Rubertus Dominus & Laurentinus. Dux Urbini Franciscus M., Jo. Georgius Dominus, hic Vexillum Senatus gestabat armatus, Fracassa Roberti Severinatis Filius cum isto pariter incedebat armatus, sagione aureae texturae superne indutus, hic vexillum magnum Pontificalibus insignibus fulgens gestabat, alius insuper post hos sequebatur vexillum glandibus aureis insignitum deferebat: sequebantur hos Advocati Consistoriales pluvialibus fulti ornatissimis, tum Protonotariorum turba ingens cum Clericis Camerae; inde subibat Crux & Pallium super hastilibus, sub eo Corpus Christi consecratum gestabatur ab equo ghineo albo pretioso. Post Sacramentum aderat Sacrista, inde Auditores Rotae quamplurimi, apud illos Magister aderat Sacri Palatii, post illos Episcopi V., succedebant Oratores, Imperatoris videlicet, Regis Hispaniae, Regis Franciae, & Venetorum magna pompa. Sequebantur deinde Cardinales successive, Mantuanus, Senensis, Senogalliensis, de Saulis, de Flisco, S. Georgii & Grimanus: Plateam cuncti tam equestres, quam pedestres excesserant. Dux praeterea Ferrariensis Alphonsus inter ceteros Pontificem comitabatur equo pretioso invectus, & sagione aureae texturae adornatus, armellinis pellibus fulto, hic inter Cardinales equitabat, quem multi ex suis comitabantur; ab Alphonso Duce Camerini Dominus parum distabat. Hunc Leo Pontifex ad se vocans apud se continebat. Ex Camerae Clericis unus pecuniam spargendo jactabat. Sub Pallio interea Summus Pontifex equitabat benedicens; Pontificem sequebantur multi Secretarii, videlicet Clerici, & Medici; Balistarii postremo conspiciebantur in habitu coloris unius armati, & Lateranum versus incedebat hujusmodi militia; transibant omnes per arcus triumphales erectos, & viris famosis, atque imaginibus fultos: ad Laterani interea Ecclesiam pervenere, ubi Pontifex ex equo Ghineo pretioso descendens, occurrentibus Proceribus & Praelatis

ad Aram se majorem convertit, & flexis genibus effuderunt ad Deum preces. Surgens inde cum Proceribus deambulabat per Ecclesiam, Christi mensuram conspexit, ad Salvatoris imaginem primo a Romano Populo olim conspectam pervenit, in quo loco genibus flexis iterum oravit. Conversus deinde ad cappellam D. Silvestri pro Tribunali quievit ditissime ornato. Accedebant sigillatim Proceres, & Pontificem deosculatis pedibus adorabant in hujus memoriam rei: singulis aureum unum & argenteum nummum Pontifex donabat Episcopis, Cardinalibus autem nummum aureum duplicis valoris, & argenteos nummos duos. Assumptionem & profectionem ad eum locum gratulabantur, & manum tangebant. His peractis Cardinales & Episcopi ex eadem Cappella prodeunt, ubi per horam fuerant, & ad Constantini Palatium proficiscuntur, ubi Pastores possessionem & dominium nanciscuntur. Locus enim adornatus fuerat superbe atque magnifice, talamus, in quo residere Pontifex debebat, auleis texturae aureae splendebat: pauci tamen illuc ingressi: totam ibidem Pontifex exegit diem, extremam vero circiter horam eadem pompa & comitibus iisdem ad Sacrum Vaticanum Palatium reversus est. Ex comitibus autem ad propria remeavere omnes. Qui Leonis triumphantes scripsere incessus, & pomposam gloriam, cuncti Pontificem hunc e caelo missum divinitus legimus praedicasse ad bella extinguenda, & sedanda, & inferendam pacem: descriptiones tandem, quae in arcubus erant triumphalibus, inferamus. In arcu juxta plateam S. Petri

Virtutis alumno, Fortunae domitori Leoni X. Pont. Max. quietis, & omnium artium laudatarum fundatori.

Ad Pontem S. Angeli

Supplices generose exaudio, in superbos iram exerceo. E caelo tandem redii. Leoni X. Pont. Max. Vincendo se ipsum omnia superavit.

In arcu Augustini Chisii mercatoris famosi

Olim habuit Cypris sua tempora: tempora Mavors
Olim habuit; sua nunc tempora Pallas habet.

Leoni X. Pont. Max. Pacis restitutori felicissimo.

Vota Deum Leo ut absolvas, hominumque fecundes
Vive pie, ut solitus, vive diu ut meritus.

In arcu Trapezitarum

Leoni X. Pont. Max. Litteratorum fautori. Mirabilis Deus in sanctis suis.

In arcu Montis Jordani

Hominumque Deique consensu felix Romanorum Imperium!

In arcu Domini Ferrantis Ponzetti

Leoni X. Pont. Max. ob rem litterariam restitutam, quietemque fundatam
Schola omnium virtutum in Ecclesia Dei renata est.

In arcu sub Capitolio

Genus humanum mortuos parit, quos Ecclesia vivificat.

In arcu de Saulis

Non de caesorum numero, fusoque cruore,
Sed de sperata pace trophaea damus.

Leoni X. Pont. Max. exoptatae tranquillitatis novo sideri.

Jam Leo forma capax, atque aurea lilia reddent
Justitiam, pacem, robora, jura simul.

Carmina autem sub insignibus Leonis in domo Domini Joannis Georgii Caesarini

Gens Medicea est, insigne pilae, Leo nomen, Hetruscae
Patria, Flos gentis, Roma tibi imperium.
Te Decimum dicent Decium, pro Romuli ut ille,
Sic pro te Christi ponere vis animam.

In domo Cardinalis Petruccii

Jure tibi senos, Leo Maxime, ponimus orbes
Namque tuis meritis non satis unus erat.

In domo de Saulis

Non Leo Roma colit tua solum insignia, verum
Orbis: & haec Sauli de lare pinxit amor.
Claves, mitra, pilae, Leo, florida lilia reddent
Temperiem, sensum, robora, jura, fidem.

(27) Leo X. me, cum Romae agerem, accito, quam olim elucubraveram utriusque instrumenti translationem ut sibi ostenderem benigne ac perhumaniter injunxit. Is cum aliquot vidisset quaterniones, & ex iis caetera suo praeclaro expendisset ingenio, volo, inquit, ut meis impensis totus transcribatur liber, & typis exacte revisus excudatur. Tum, ut novit tua Beatitudo, non modo pro scribis, verum etiam pro parandis iis, quae opus erant executioni, impensas suppeditavit, & sequenti deinde anno nonnulla excusa fuerunt. Sed proh dolor! illo post haec brevi ex humanis sublato, (anno scilicet *1521.*) gravi omnium moerore intermissa sunt omnia. Quo vulnere saucius, quum neminem cernerem, qui meis lucubrationibus suppetias ferret, Italia demigrandum censui, Avenionemque concessi cum ejusdem urbis Legato, ubi peracto fere triennio, quum non fierem voti compos, cum ob Chalcographorum penuriam, tum ob impensarum inopiam, Lugdunum petere decrevi .... *Ex Epistola Clementi VII. nuncupatoria.*

(28) *Viro amicissimo Cajetano Marinio acceptum referimus album eorum, qui an. 1514. in Archigymnasio Romano liberales disciplinas profitebantur. Materiem inde sumpsit conficiendi operis, quo sane plurimum Leonini saeculi historia illustratur, & nova multa, quae prorsus ignorabantur, eruditissime proferuntur. Sic liber inscribitur*: Lettera dell' Ab. Gaetano Marini al chiarissimo Monsignore Giuseppe Muti Papazurri già Casali, nella quale s' illustra il Ruolo de' Professori dell' Archiginnasio Romano per l' anno 1514. in Roma 1797. presso Michele Puccinelli a Tor Sanguigna in 4.

(29) *Mezerius in historia Galliae Vol. IV. ad an. 1513. haec narrat.* L'esprit du Roy se soustenoit contre toutes ces adversitez; mais il avoit une paine domestique plus grande que celle que luy faisoient tous ses ennemis, c' estoit sa propre femme, qui touchée des scrupules ordinaires a son se-

xe, ne pouvoit souffrir qu'il fust mal avec le Pape, & qu'il entretint un Concile contre luy. Comme elle luy rompoit perpetuellement la teste sur ce deux poincts, il estoit souvent contraint pour paix avoir d'arrester ses armes, lors que ses affaires alloient le mieux, & qu'il estoit sur le poinct d'amener Jules à la raison. Enfin estant tout a fait vaincu par ses importunitez, & par le remostrances de ses sujets qu'elle suscitoit de tous costez, il renonça a son Concile de Pise, & adhera à celuy du Latran par ses Procureurs, qui firent lir son mandemant dans la huitiesme Session le 14. Decembre, le Pape y president.

(30) *Pontificis epistola extat inter epistolas a Sadoleto ejusdem nomine scriptas:* Miscel. ex MSS. Biblioth. Collegii Romani: Romae 1754. T. I. p. 329. *Historiam vero hujusce legationis narravit Hieronymus Osorius de rebus Emmanuel.* Lib. IX. p. 298. edit. Colon. Allobrog. 1574. *Carmina quoque de ea edidere Aurelius Serenus Monopolitanus, Jo. Capito Aretinus, aliique.*

(31) *Has litteras omnium fortasse primus edidit Carolus Cartharius* in Syllabo Advocatorum Sacri Consistorii pag. 71. *eo in loco, in quo de Angelo Caesio Romano pluribus egit. Iis autem Leo declaravit* Julium legitimum, & ex legitimo matrimonio inter Julianum Mediceum, & Florettam Antonii natum fuisse & esse, eumque pro legitimo, & ex legitimo matrimonio procreatum in omnibus & per omnia pleno jure, vere & non ficte . . . . haberi & reputari, teneri & tractari debuisse & debere, ac de caetero perpetuis futuris temporibus habendum, reputandum, tenendum & tractandum fore, fama, dispensationibusque . . . . non obstantibus. Dispensationes *hae intercesserant, quando Pontifex Archiepiscopum Florentinum ipsum creavit.*

(32) *Joannes Novariensis Presbyter primum, Julio II. oblato libello quodam, dubium movit errorem inesse in Kalendario, rationemque docuit illius corrigendi. Non respuit consilium Julius, id negotii aliquando disccepturus, & Joannem Romae commorari, atque interea humaniores litteras profiteri jussit. Re infecta, Leo praecepit Concilii Patribus, ut de ea etiam atque etiam cogitarent, & Bedae Dionysiique tabulas emendarent. Ipse vero litteras dedit ad Studiorum Generalium Rectores, Gubernatores, Doctores quoque & Theologiae Magistros atque Astrologos, invitans eos ad eamdem correctionem suis scriptis adjuvandam. Haec Pontificis studia caussam dederunt operi Paulli Migdelburgensis, qui olim Friderici Urbini Ducis fuerat astrologus, quique tum erat Episcopus Forosemproniensium, quod opus in XXXIII. libros divisum est, quorum XIV. Paschali rationi, re-*

liqui Dominicae Passioni destinati sunt. Extant Pontificis litterae ad hunc, quibus aquae & ignis interdicto mandat, ne quis imprimere possit, imprimive facere, aut impressos venumdare, quoad ipse vixisset, praeter illum, libros de Paschatis observatione, ac mortis dominicae die. Datae sunt Prid. Kal. Majas 1513. Haec quidem gloriosa fuerunt Leoni, non item quod astrologiae interdum nimium tribuere visus est. Hujus & cathedram esse jussit in Lyceo Romano, quam primum rexit Petrus quidam Aretinus. Narrat Gauricus (de Nativ. tractat. II.) *quondam adduxisse ad eum, dum erat privatus, Franciscanum quemdam patria Mantuanum, huncque ipsi praedixisse & Bononiensi legatione, & Pontificatu Maximo decoratum iri.*

(33) *His tum praeivisse putatur Petrus Pomponatius.*

(34) *Hujus legationis monumenta extant in epistolis Italicis ipsius Bembi.*

(35) *Auctor est Titius, qui haec vidit, Julianum Mediceum Romam proficiscentem secum habuisse ducentos equos conspicuos, pedites multos pannis unius coloris magnifice vestitos, cives Florentinos triginta aetate graves, & vestibus ornatissimos, & impedimenta plurima. Exeunte Aprili Senas cum hac pompa ingressus est, habitavitque in aedibus Burghesii Petruccii. Idem & mentionem fecit epularum, & ludorum, quos ei in Capitolio dedit Populus Romanus. Tum Aurelius Serenus Monopolitanus vulgavit carmen heroicum tres in libros distinctum, cujus hic erat titulus:* Theatrum Capitolinum a Magnifico Juliano institutum per Aurelium Serenum Monopolitanum: celebrat enim carminibus iisdem & Julianum, & Romanos, atque Leonis insuper Pontificis laudes narrat, atque praeconia recenset, & epistola in primis ad ipsum Leonem directa universum illi opusculum dedicat. *Epulum illud & ludi & tota illa pompa celebrata est XVI. Kal. Octob. 1513. & laudavit quoque haec omnia heroico carmine Julius Simeon Siculus.*

(36) *Ex Jovio haec exscripsimus. Libuit & Laurentio Mediceo agi iterum Plautinum Penulum, quod ex litteris Dovitii Cardinalis datis ad Julianum, dum is in Gallia erat, XIV. Kal. Martii 1515., cognosci potest. Ait enim:* Lunedì il Mag. Lorenzo fa nel Proscenio vostro recitare il Penulo, e darà cena nella sala vostra all' Illustriss. Sig. Marchesana; & domenica in Testaccio fa una bella livrea con Monsig. Rmo Cibo di 20. persone vestite di broccato e di velluto, che sarà un bellissimo vedere, a spese però di N. S. *Haec spectacula tum erant Romae frequentissima. Extat in* Filza LXXXV. *epistola Francisci Suasia ad Mariam Salviatam data IV. Kal. Januarii an. 1520. qua ei narrat nihil fieri potuisse magni-*

gnificentius spectaculo quodam, quod per illos dies dari populo Pontifex jusserat.

(37) *Extant hae Dovitii litterae in Parte II. delle lettere de' Principi, o a' Principi. Cetera inter narrat Dovitius Leoni Thomam Fabronium gentilem meum, qui sub Alviano militabat, cujusque opera sane utili Medicei usi fuerant, cum Veronae moenia ascenderet, bellico tormento percussum mortem obiisse.* Del quale, *addit ipse*, è danno grandissimo, & cordialmente duole a questa Signoria, & a tutta questa città; perchè per le virtù sue, & per la gran fede dimostrata verso questo Stato, era in molta gratia. *Datae sunt litterae Venet. die 20. Junii 1513.*

(38) Beatissime Pater, post oscula pedum Beatorum &c. Post multas variasque disceptationes atque altercationes inter Serenissimi Francorum Regis Oratores, qui apud nos sunt, & nostros Consiliarios ultro citroque habitas, divino tandem numine, & vestra Sanctitate duce atque auctore, arma pro ista Sancta Sede sumpta deposuimus, & terra marique pacem ac foedus cum eodem Rege Francorum aequis & honorificis tum vestrae Sanctitati, quam nobis conditionibus inivimus. Nam vestram ante omnia Sanctitatem, istamque Sanctam Sedem, ac universam ejus ditionem, & nominatim Bononiam in hac pace & foedere comprehendimus, complexi item sumus sacrum Imperium, & illustrissimum Dominum Principem Castellae, atque illi annum, huic sex menses dedimus ad animi sententiam declarandam, utrum in hac pace ac foedere compleςteremur. Verum id obtinere nulla ratione potuimus. De Serenissimo Rege Aragonum, quoniam is res suas ex se ipso agere magis amat, neuter nostrum ullam mentionem fecimus. A dicto vero Serenissimo Francorum Rege inter ceteros amicos Scoti quoque sunt comprehensi, sed quibusdam conditionibus, quibus nos nequaquam staturos existimavimus. Hujus autem pacis terminus anno post quam alteruter nostrum vita excesserit est constitutus, quemadmodum ex dictae pacis capitulis, quae ab eodem Francorum Rege intra duos menses sunt comprobanda, & postea infra annum vestrae Sanctitatis auctoritate adjectum contra violatorem cens[illegible] confirmanda. Ac nunc etiam ex Reverendo D. F[illegible] [illegible]goniensi nostro apud se Oratore Vestra Beatitudo intelliget. Ut autem haec pax firmior stabiliorque sit, eidem Francorum Regi illustrissimam sororem nostram Dominam Mariam ab ipso instantissime petitam in matrimonium promisimus, quae olim cum vix annum tertium decimum attigisset per nostrum clarissimae memoriae Patrem praedicto illustrissimo Principi Castellae annum tunc nonum agenti pacta fuerat, tempusque constitutum, ut cum idem illustrissimus Prin-

ceps ad annum quartum decimum pervenisset, Oratores, atque Procuratores suos huc ad nos mitteret, qui cum dicta illustrissima Sorore nostra solemnia Sponsalia per verba de praesenti conficeret. Quod cum non esset ab ejusdem illustrissimi D. Principis Gubernatoribus observatum, rursus anno superiori, cum apud Insulam oppidum essemus. huic rei dies quintadecima Maii proxime praeteriti fuit inter nos dictus, atque hic quoque ab iisdem D. Principis Gubernatoribus, quanquam saepe a nobis admonitis, ac rogatis fuit neglectus. Quapropter dicta illustrissima nostra Soror, consultatione habita, quidquid per eumdem nostrum Patrem suo nomine cum praedictis D. Principis Gubernatoribus actum fuerat coram Notario publico & testibus se rescindere, ac irritum habere protestata est. Eaque re dissoluta dicto Serenissimo Francorum Regi est desponsata, & matrimonium per ejusdem Regis Procuratores jam contractum: quo vinculo non dubitamus sinceriorem, & constantiorem inter eum, & nos pacem futuram, ad quam quidem crebrae studiosaeque Vestrae Sanctitatis exhortationes, & demonstrata nobis ab ea nomine istius Sanctae Sedis, modo verum etiam totius Christianae reipublicae utilitas nos in primis adduxerunt; ea sane spe, ut non tantum nostra, sed & omnium Christianorum arma plus nimio in mutuas caedes grassata finem aliquando faciant, & in Christiani nominis hostes convertantur, qui fraternas nostras caedes laeti ac ridentes spectant, & nos eo melius rem sibi gerere, ac magis strenue sibi militare, quo atrocius in ipsa nostra viscera saevimus, arbitrantur. Proinde Vestram Sanctitatem etiam atque etiam oramus, ut quod sanctissime cogitavit & feliciter coepit etiam universali paci componendae nunc maxime instat, divinoque suo consilio, aut hortatione, & quantum valet precibus sicut apud nos facit, ita apud ceteros Christianos Principes agat, summaque vi in tam praeclarum, & tam Vestra Sanctitate dignum, Christianaeque Reip. salutiferum opus adnitatur, quo pulcherrima illa, votisque omnibus semper a nobis optata adversus infideles expeditio concordibus omnium Christianorum armis, animisque suscipiatur, quod aut sub Vestra Sanctitate, aut sub nullo alio Pontifice Maximo nos visuros speramus. Datum &c.

(59) *Harum nuptiarum caussa Julianus in Galliam anno 1515. concessit. Ajebat Franciscus Rex, ut ex litteris Ludovici Canossae intelligi potest*, stimar tanto tal parentado, quanto se l' havesse con qual si voglia grandissimo Principe o Re. *Quanta vero liberalitate usus fuerit Pontifex in fratrem & ejus uxorem, ex litteris Dovitii Cardinalis ad Julianum ipsum apparet. Inquit ipse*: quanto ai fornimenti della casa vi farò assai conve-

niente & onorevol masseritia :- costerà sette in otto mila Ducati . . . . N. S. vi conserverà la vostra provvisione di 500. Ducati il mese: vi darà l'entrate di Parma, Piacenza e Modena. Delle due prime volendole affittarle, ne' termine che son ora, trovo che ve ne darà 28. mila ducati l'anno, e pagherà egli tutte le spese in modo che netti ne verranno a voi li 28. mila ducati. Se vorrete augumentar le entrate, e ridurle come li Duchi e Francesi, ne trarrete più assai. Di Modena non so quello ne trarrete. Credesi 20. mila ducati, nol so bene. Vuole a Madama dare N. S. 300. ducati il mese . . . . La S. S. desidera assai che voi ve ne veniate di lungo a Roma, senza andar per ora altramente a Fiorenza, & parmi ricordi da amorevole, & da savio, & che molto conveniente sia venir prima a vedere & baciare il piede al Vicario di Christo, che andare altrove. Roma 12. Marzo 1515.

(40) *Tum Pontifex in haec verba litteras ad Regem dedit*. Capita foederis inter te atque me remque hanc publicam sanciendi ab Episcopo Tricaricensi Legato meo allata Romam, tanquam primordia, & quasi fundamenta voluntatis utriusque nostrum, quod magnopere concupivi, consociandae libentissime vidi. Libentius autem ipsum Episcopum audivi. Plura enim mihi, & clariora de tuo optimo in Dei Ecclesiam atque nos animo egregiaque voluntate narravit. Quae si vera sunt, quemadmodum quidem puto, cum te de hac tua pietate atque mente vehementer laudo; nihil enim potes te dignius atque praeclarius facere, quam nihil committere, quo te male gratum appellare Dominus tam in te largus, tamque beneficus possit: tum spero fore ut hoc virtutum tuarum specimen, quod quidem in tam tenera aetate nobis das, cum iis opibus, quas maximas atque amplissimas habes, conjunctum & consociatum universae Reip. Christianae magnum brevi adjumentum atque ornamentum afferat. Itaque ejusmodi tuae & virtuti & pietati omnem nostram & Reip. dignitatem tuendam statui permittere, ut existimare plane possis mihi te & esse jam charissimum, & semper fore. Neque enim vereor, cum videas [illegible] a me plurimi fieri, quin statuas hoc in foedere sanciendo [illegible]rem meum abs te neglectum iri non [illegible], [illegible]modum ab ipso Episcopo, quem quidem ad te eadem celeritate, qua est ad me profectus, intra biduum, aut summum triduum remittam, clarius omnia atque apertius intelliges. Vale, nosque dilige. Dat. V. Kal. Octob. 1515. Anno III. Roma.

(41) Unus Baro, *inquit Paris Grassius*, ad Pontificem exclamavit dicens in suo vulgari Gallico, quod ex quo non potuit communicare de manu Papae, & desiderabat, saltem volebat Papae confiteri, & cum non posset

propius accedere, sic ut in aure Pontificis posset peccatum suum confiteri, alte dixit se confiteri, quod contra Papam Julium quantum potuisset etiam malo animo hostiliter praeliatus esset, & suas censuras non curasset. Quod Rex audiens subdidit, & se quoque in eo peccato fuisse & esse. Post Regem multi Barones idem dixerunt, & veniam petierunt: adversus quos omnes Papa apertam manum proferens, benedixit & absolvit; Quo facto dixit Rex: Pater Sancte, non miremini si omnes isti sunt inimici Papae Julii, quia ipse etiam fuit maximus inimicus noster, & non cognovimus nostro saeculo terribiliorem hostem in bellis, quam Papam Julium, qui in veritate fuit prudentissimus Capitaneus, & melius fuisset imperator exercitus, quam Papa Romanus.

(42) Si *Amelotio fidem habemus Leo donavit quoque Mariae Gaudin, cujus pulchritudinem omnes admirabantur, magni pretii adamantem*. Ce joyau, *inquit ille*, est appellè par tradition domestique le diamant Gaudin: Memoir Hist. Tom. I. p. 357.

(43) *Minime necessarium arbitramur hoc loco referre singula, de quibus convenere Leo & Franciscus. Nam concordata ipsa penes plures scriptores inveniuntur, De iis praesertim vid. Natalem Alexandrum Histor. Eccl. Saec. XV. & XVI. Dissert. XI. Qua de re cum sermonem haberet Mablius* Observations sur l' Histoire de France *ait*: Ce fut pour s' attacher plus étroitement le clergè, que François I. fit avec Leon X. le concordat, & soutint avec tant d' opiniatretè un traitè qui le rendit le distributeur des dignités, & de la plus grande partie des domaines de l' eglise. Des biens destinès au soulagement des pauvres & à l' entretien des ministres de la religion, devinrent le prix de la corruption, & la firent naitre. Le roi tint, pour ainsi dir, dans sa main, tous les Prèlats, dont l' ambition & la cupidité étoient insatiables; & par leur secours disposa de tous les Ecclesiastiques dont le pouvoir est toujours si considerable dans un nation. *Porro in omni vita nil tam spectavit Franciscus I. quam ut Optimates sibi beneficiis obstringeret, invidiam inter eos excitaret, omninoque cogeret, ut omnia a se expectarent, suae cupiditatibus aulicum, vel potius servilem in modum se submitterent*.

(44) *Digna sunt quae exscribantur narrata a Grassio de ingressu Bononiam, ac discessu ab illa urbe Francisci Regis*. Die Martis (*inquit ille*, XI. Decembris, anno MDXV. de mane summo Cardinales omnes numero XX., in Palatio Papae, intra cameram Legati, quae tunc erat interius parata, congregati sunt, & collegialiter inde ad portam sancti Felicis iverunt, & se extra illam in plano ad sinistram exeuntium firmaverunt, ita ut senior

versus esset ad Regem venturum, & erant quidem omnes vestiti rubeis cappis, hinc inde duas alas, ut moris est, facientes: ubi postquam modicum quieverunt, ecce Rex in brevibus vestibus, medius inter duos Legatos adfuit, quem Cardinalis S. Georgii Episcopus Ostiensis nudo capite, & similiter omnes alii astantes Cardinales, cum eo, semper nudo capite stantem, & saepius orantem, ut tam ipse Cardinalis, quam etiam omnes Cardinales cooperirent, verba fecit in latino aperto, & claro, ac simplici; sic enim eum instrueram de consensu Regis, nomine Papae, & totius sacri Senatus, congratulando de sospitate Regis, & felici adventu, & optima voluntate adversus Summum Pontificem, & Sedem Apostolicam, & Sanctum Senatum, & nomine Principis offerebat omnia, quae in facultatibus essent suae Sanctitatis, *& Rex semper etiam ipse nudo capite stans respondit in vulgari suo Gallico*, ut mihi quidem videbatur satis aperte, & convenienter *se filium suae Sanctitatis, & Sanctae Sedis Apostolicae obsequentem amicum & filium* appellans, cupidum omnium bonorum & commoditatum Dominorum Cardinalium, sicut patrum, & fratrum suorum. Facta collocatione a primo usque ad ultimum Cardinalem osculati sunt eum in facie fraterne, quos Rex omnes intellexit a me ibi adstante, & cognovit qui essent singuli nominatim, & tandem Cardinales seniores praecesserunt, & Diaconi ultimum caput facientes, ut mos eorum est, ipsum Regem in medio duxerunt, videlicet Sanctiseverinas, & Estensis. Duo autem Legati tunc se ad partem vestiverunt, & in loco congruo incesserunt. Ordo autem venientium eorum, qui ex parte Regis erant, nullus servabatur, sed ibant omnes, ut eis placebat, nam neminem eorum ego agnoscebam, infiniti enim erant Barones, & Principes, illos tantum tres ego cognovi, de quibus supra dixi, quia Rex eos mihi monstrari fecerat, ut honorari facerem eos, & ego eos quidem ante Regem constitui, ut praecederent, sed ipsi subsequi voluerunt, & sic continuo subsecuti sunt, ac post eos duo Camerarii Regis, omnes Officiales Curiae, quos Papa ab urbe Roma venire jusserat, hac de causa, ut Curiam Romanam repraesentarent. Adfuerunt quidem, sed nullus comparuit in ordine tali, ut Collegia viderentur esse, prout erant Araldi tres Regis, quos posui supra Mazerios nostros, idest viciniores Collegiis Cardinalium: sed quia alii erant tres Araldi trium Ducum, quos jam praemisi, posui illos ultra unam coppiam Mazeriorum nostrorum, sicut Mazerii nostri essent medii inter hos & illos. Campanae omnes Civitatis, & inter eundum tubae indesinenter infinitae, & omne genus sonantium, populus infinitus processit, ut videret, & etiam Papa in fenestris superioribus stetit, & vi-

dit, ac postea modum meum, & ordinem commendavit, quod omnia quiete, & ordinate fecerim. Rex tandem ductus est a Collegio ad cameras suas, quae erant inferius ubi solent Vexilliferi Justitiae commorari, & ibi festiviter dimissus est a Collegio toto, praeterquam a quatuor Cardinalibus, videlicet duobus ultimis Presbyteris, & duobus ultimis Diaconis, qui continue manserunt societatem Regi facientes, ac etiam prandentes simul cum eo in eadem mensa. Interea alii Cardinales ascenderunt ad Papam, & illico prandium fecerunt in una Aula, ubi Papa ; non voluit quicquam comedere; quo facto ego accessi de mandato ad Regem, & inhibui ne veniret ad Consistorium, donec scirem an Papa in eo jam desideret, & sic ascendi, & vestiri feci Papam, & venire in Aulam ad Consistorium: aula erat plenissima populo tam Bononiensi, & Curiali, quam etiam Gallico, intantum ut saepe a pluribus dubitatum fuit de ruina, & ruptura ejus. Cardinales praestiterunt reverentiam Papae solitam, & incepta Advocati propositione, qui fuit Dominus Julius Stephanutius Romanus, ego vocavi Sanseverinum, & Estensem, & duxi eos ad cameras Regis, unde dimisi duos Diaconos juniores ad Papam. Rex veniebat medius inter duos seniores, quem duo Presbyteri praecedebant, & sex Praelati assistentes Papae sequebantur: tantus autem populus utriusque partis aderat, ut vix procedere possemus, & fuit opus quod Rex plures de suis disponeret ad valvas, & repagula, ut costodirent ingressum, quem nos vix attingere poteramus. Unde Rex, ut erat placidus, saepe risit quod sic detineretur, nec posset ulterius progredi. Tandem, cum quasi per mediam horam detenti fuissemus, ascendimus, & duo Presbyteri, qui nobiscum erant, praecesserunt ad reverentiam Papae, & vix illuc adire potuerunt, & firmaverunt se se ante Papam, hinc inde super gradibus summis solii, & non erant tanti aditus, ut vix ire posset Rex, quem primo praecedebat Sanseverinas, deinde ego simul coequalis cum Rege, quem nunquam dimisi semper eum per manum ducens, sic enim ipse volebat, nec me dimittere volebat. Itaque ter, cum aequali, ante Papam in medio quadraturae distantiae genufleximus, Rex & ego ascendimus ad osculum pedis, & ridens ac jubilans pedem, & manum, & faciem osculatus, & dicens aliqua pauca verba in vulgari Gallico, per quae demonstrabatur laetissimus, quod videret facie ad faciem Pontificem Vicarium Jesu Christi Domini Nostri, cujus filium, & servitorem praeseferebat, deditissimumque ad omnia ejus mandata: adversum quem etiam Papa benignissime, & humanissime respondit, omnia haec in Deum transferens, & Deo omnia attribuens, & in veritate Papa optime locutus est

Regi, ut sui moris est semper bene loqui, tunc optime locutus est Regi: post quorum mutuam, licet non multam locutionem Rex, qui a facie ad faciem Pontificis erat, firmavit se in Pontificis dextera, me indicante, & tunc ego vocavi Reverendissimos Dominos Cardinales, ut ad solium venirent si possent, & vix pauci venire potuerunt: quibus ante Pontificem stantibus, Cancellarius Regis veste aurea longa indutus, & primo quidem genuflexus, per modum longae, & ornatae orationis obedientiam in forma solita, nomine Regis praesentis, qui primo voluit se detegere, quando praecise verba obedientiae recitabantur, sic enim ego eum instruxeram, sed Papa inhibuit, ne detegeretur, & sic omnino recooperuit, & finito sermone Rex approbavit cum humiliatione capitis, & humerorum omne quod dictum fuerat per Cancellarium ejus, & Papa elegantissime, & commodissime respondit, commendans publice & multipliciter regiam fidem. Tunc vocavit tres illos Duces, qui venerunt ad osculum pedis, manus, & oris, & Papa eos benigne admisit. Rex interim cum Pontifice confabulabatur de ipsis Principibus, narrans eorum virtutes, & conditiones (*). Post istos Papa statuit nullos alios admittere ad osculum pedis, ne detineret Regem inanem, sed Rex vocabat hunc, & illum, & Pontifici commendabat; sic usque XV. vel XX. venerunt, quos omnes Papa osculatus est, ut priores illos tres, & tandem Papa surrexit, & vix de solio suo, ac magis vix de aula exire potuit prae multitudine turbarum, & semper Regem manu sua sinistre deducebat usquequo apud lectum paramenti fuerunt, ubi Rege cum Cardinalibus dimisso exuit paramenta; interim vero Rex ad fenestram, quae supra plateam respiciebat, accessit, & Papa mox ad eum accessit amicabiliter confabulans, & quia timebam ne propterea forte volens Regem honorare manum suam quodammodo ad Biretum apponeret, sicut saepius, & quasi semper faciebat Papa Alexander cum Rege Carolo, admonui ne id faceret, quinimo caveret, ne ipse Jesu Christi Vicarius in publico aliquem actum reverentiae adversus Regem, nec etiam Imperatorem quantuncumque coronatum exhiberet, prout non exhibuit in publico saltem quantum vidimus. Itaque facta consalutatione, Papa licentiavit Regem, & Collegium Cardinalium eum reduxit in cameras suas, ordine quo a Papa in urbem venerunt, sed quando Rex

---

(*) *Nominavit autem Grassius Ducem de Borbona, Ducem Aurelianensem, & Monsegneur de Vallebruna.*

cum Pontifice ibat, tunc ibat medius inter duos Episcopos Cardinales, ut infra dicitur. *Addit Grassius Sabato die XV. Decembris Regem mane discessisse Bononia*, *&* infinitos ex Baronibus & nobilibus Gallis remansisse in urbe propter confessionalia & confessiones, & gratias, & alia huiusmodi, quae a Pontifice voluerunt, & habuerunt, & Papam ultra L. Poenitentiarios, quos ante diem Missae suae in Ecclesia S. Petronii constituerat pro Gallis confitendis, etiam totidem alios deputasse, & omnibus gratias petitas benignissime elargitum fuisse, & praeter hoc etiam multos usque ad Florentiam secutos esse. *Brantomus* Hom. Illustr. P. I. p. 226. *pluribus exponit miram Leonis dexteritatem, ut sibi conciliaret Juvenem Regem victoriis superbientem, & alta spectantem. Ea, quae pertinent ad Florentinum iter, & ingressum in urbem, & reditum ad eam Pontificis, suo more Grassius pluribus persecutus est. Ne autem ea exscriberemus fecit diligentia Dominici Morenae, qui haec omnia non modo vulgavit Florentiae an. 1793., sed etiam commentariis illustravit. Georgius Vasarius in vita Andreae Vanucchii narrat quam effusi fuerint Florentini in honorando Leonis introitu in patriam, quosque adhibuerint artifices in iis apparandis, quae vias per quas transibat, ornabant. Haec sunt dicta copiosius, ut quivis possit agnoscere quanta esset eorum peritia, qui principes & inventores, qui denique inventorum comprobatores & aemuli fuerunt.*

(45) *Quam parvi, si vetera cum nostris temporibus conferes, nonnulla venderentur ex Titio compertum habemus. Ait enim*: frumenti sextarius sex & viginti, & quandoque triginta solidis vendebatur, porcinarum carnium centenae librae septem denariorum libris, octo vero sextarius olei & solidis decem, vini sarcina libris octo.

(46) *Pontifex antequam bellum indiceret haec in vulgus sparsit*. Cum retroactis temporibus Franciscus Maria felicis recordationis Julii II. Praedecessoris nostri secundum carnem nepos, non ex linea, sive successione investiturae, sed ex gratia Sedis Apostolicae, & tanquam adoptivus filius bonae memoriae Guidonis Ducis Urbini ad Ducatum ipsum pervenerit, & in juvenili ac immatura —— ab Ecclesia Romana & a Sede Apostolica contra ejus hostes postpositis ceteris Capitanei titulo decoratus, magnoque stipendio conductus fuerit, certamen ac belli victoriam manifestam perfide detrectavit, & quod deterius & magis horrendum est, contra Sedem Apostolicam, contra patruum, contra fidem, a qua feudum dicitur feudatarius, & vassallus per proditionem ad partes hostium contra S. R. E. tunc venientium defecit: demumque ipsius S. R. E. Cardinalem (*Franciscum Alidosium*) hactenus inexpiatum inauditumque facinus propriis mani-

bus

bus interfecit, a quo crimine absolutionem per suspectissimos testes magis extorsit quam meruit. Praemissis omnibus, quasi conniventibus oculis a Julio praefato Praedecessore nostro toleratis, eique civitate Pisauri liberalissime concessa, nil minus a caedibus & sanguine temperans plures vulneravit, plures etiam propriis manibus occidit. Quibus omnibus posthabitis nos divina gratia ad Summi Apostolatus apicem assumpti, quanquam plurium querelis pulsati nedum ipsum patienter tulimus ob memoriam felicis recordationis Julii Praedecessoris praedicti, cui nos plurimum debuisse fatemur, verum etiam magno stipendio conduximus contra hostes nostros & S. R. E. tunc in Italiam advenientes, qui tantum abfuit, ut munus ei demandatum impleret, ut post multas dilationes, post varias cavillosasque & dissimulatas conditiones clam cum hostibus sentiens palam tandem cum magno Sedis Apostolicae discrimine ad eos defecit, revocatisque militibus jam ad bellum proficiscentibus, retentisque per dolum XIV. millibus ducatis, & pro stipendio jam solutis, domi proditorie se continuit omnium ingratissimus fidem frangens, nobis & Sedi Apostolicae gravissimam injuriam inferens: quae omnia quam notoria, quamque perniciosi exempli existant, nemo est qui nesciat. Quae cum ita sint, cogimur etiam inviti, ac praeter consuetudinem nostram, ne forte negligentiae & remissionis notam incurramus, ejus nefarios ac temerarios ausus compescere. Itaque &c.

(47) *Digna est, quae legatur ejus epistola querelarum plena data IX. Kal. Martii an. 1517. ad Cardinalium Collegium. Extat haec in volumine, quod inscribitur* delle lettere de' Principi o a' Principi.

(48) *Vide epistolam Hieronymi Nigrii*: Lettere de' Principi o a' Principi. *Obiit Raphael an. 1522., Burghesius vero, cum in insaniam incidisset, paucis annis antea Pateolis vitam finivit.*

(49) *De eo haec Titius*. Qui ab ipso Cardinali veniebant, retulere, accessisse ad eum quemdam per hos dies, atque novum bonum nunciare se velle pollicitus, si quid illi largiretur. Promisit Cardinalis; cum ille, decessit repentina morte Leo Pontifex, inquit, atque abiit. Non multo post venit alter, qui Cardinalem visitans, interrogatus quid Romae ageretur, & quid de Pontifice, bene valere illum inquit: at Cardinalis dolore affectus languere coepit & interiit.

(50) *Haec de morte Petruccii narrat Titius*. Rumoribus interea perlatum est, Alphonsum Petruccium Cardinalem S. Theodori sexta Julii die fuisse in carceribus necatum: fama erat laqueo strangulatum fuisse, verum ut alii Roma venientes nobis retulerunt, imposita ad faciem larva, capite plexus

est, rennens, ut referebant, confessionem peccatorum facere, dixisseque illum, si corpus amitteret, animam quoque se non curare. In Campo Sancto noctu est humatus. Hic enim infelix juvenis fatali aliquo sidere angigula, & collo debebat extingui; olim namque a Burghesio fratre novacula pene jugulatus fuit.

(51) *Multi quidem testantur summum gradum & dignitatis & gratiae tenuisse Cardinales sub Leone*. Dicendi, *inquit Matthaeus Herculanius*, suadendi ac improbandi, quod quisque velit, aut sentit, communis omnibus libertas, prius quam quidquam decernatur. Sigillatim interrogat, dicentes audit, dissentiendi variandique sententiam copiam facit, eo staturus consilio, quod pars major meliorque censuerit. E quando in Senatu tot annis censendi libertas? Tantum abest ut solo quidquam unius arbitratu constituatur, ut plurima ad se spectantia Cardinalium consultis deliberanda remittat. Familiari consuetudine crescebat dignitas Cardinalibus. Pavimenta, aulae, thalami, camerae, Pontificia domus omnis tota die Cardinalium salutationibus patescunt., benigne invitantur, paratis accipiuntur epulis ad laetitiam uniuscujusque, non ad necem instructis, ut olim, cum quos divitiis amicos suos Pontifex saginarat, immixto cibis, aut potui veneno, tollere cogitaret. *Haec flagitia Roma vidit sub Alexandro VI., Julio autem II. Pontificatum Maximum gerente, qui omnia nutu atque arbitrio suo gubernari volebat, minime fas erat Cardinalibus libera oratione sententiam suam proponere atque defendere*.

(52) *Titius qui suis in historiis Senensium rerum plurimum sane detrahit Leonis famae, ait penes Piccolomineum extitisse jocalia multa Mediceorum, quae Leo ipse pignori dederat, postquam patria expulsus fuerat, millibus aureorum sexdecim, & haec pro praemio impetratae purpurae restituere coactum fuisse. Ipsum historicum si audis, omnes fere ii, qui hoc honore decorati fuerunt, magnam auri vim exsolverunt, quasi Leo omnia venalia haberet. Non absimilia narrat Jacobus Zieglerus* in historia Clementis VII., *in qua multa collegit injuriosa sane tum huic Pontifici, tum Leoni, quem praesertim spectasse affirmat in tot creandis Cardinalibus, quos familiae suae addictissimos fore speraverat, ut viam sterneret patrueli ad Pontificatum Maximum. Extat Ziegleri opusculum in Vol. II. operis, quod inscribitur*: Jo. Georgii Schelhornii amoenitates historiae Ecclesiasticae & litterariae. *Adfirmat & ipse eo die, quo ad coenam vocati fuerunt recenter creati Cardinales, subito tantam ac tam turbidam tempestatem coortam fuisse, ut ex eo rem Romanam publicam miserrimam fore multi augurati fuerint, nec sine metu caelestis irae fuisse Julium Cardinalem*.

(53) *Ex his omnium amplissimum fuisse videtur quod Vice-Cancellarius Romanae Ecclesiae dicitur, & ex quo quotannis redibant ei XII. millia aureorum numum. Obtinuit illud an.* 1517. *postquam mortem obivit Sixtus Robereus, qui ex fratre Julii II. natus erat. Fructus Sacerdotiorum, quibus hunc cumulaverat patruus, excedebant quadraginta millia aureorum, quamvis, teste Grassio, rerum omnium rudis adeo ignarusque ille esset, ut nec legere, nec scribere, nec loqui didicisset. Ad id, ait ipse,* ab umbilico ad plantas pedum totum perditus, ut nec stare, nec incedere posset. *Haec referre libuit, ut ex iis intelligatur quam iis temporibus effusa esset Romanorum Pontificum liberalitas in suos, quamvis immeritissimos.*

(54) *Tanta Leonis beneficia in populum Romanum facile ab illo obtinuerunt; ut publico decreto, quod factum est VIII. Kal. Martii an.* 1521. *ei marmorea statua in Capitolio poneretur cum hac inscriptione.*

OPTIMO . PRINCIPI . LEONI . X.

MED. IOAN. PONT. MAX.

OB . RESTITVTAM . RESTAVRATAMQ.

VRBEM . AVCTA . SACRA . BONASQ.

ARTES . ADSCITOS . PATRES

SVBLATVM . VECTIGAL. DATVMQ.

CONGIARIVM . S. P. Q. R. P.

In hac solemni dedicatione Jo. Bapt. Verallius, qui medicinam profitebatur in Romano Lyceo, orationem habuit de laudibus Leonis, quae oratio sine auctoris nomine edita fuit Romae an. 1725. *a Ridolphino Venuto cum adnotationibus quibusdam. Si vero scire cupis quot a Leone, cum primum Pontificatum Maximum adeptus est, habuerit beneficia S. P. Q. R. vide ejus Constitutionem, quae inscribitur:* Reintegratio inclyti Populi Romani ad sua privilegia, gratias, & officia. *Hac de re supra pag.* 84. *nonnulla tetigi, sed quae copiosissime dici potuissent, breviter nimium strictimque, & fortasse non loco dicta fuerunt. Commemorare quoque potuissem Leonem consuluisse dignitati & honori Conservatorum, ut ajunt, Ur-*

his, quos, ceterosque nobilitatis principes ut excitaret ad praeclara majorum facta imitanda, jussit esse e civibus Romanis unum, qui in aedibus Capitolinis, quoties Conservatores ipsi in iis convenire solebant, veteres Romanas historias explicaret, quod munus primum assignavit Evangelistae Magdaleno de Capiteferreo cum annua mercede CCC. *Ducatorum. Neque silentio praetereundum erat ad levandam annonam curasse Leonem, ut Pontina palus exsiccaretur, & culturae redderetur. Haec & alia hujusmodi plura patefecit Cajetanus Marinius in opere, quod supra pag.* 274. *commemoravimus, a quo & illud compertum habemus Leonis marmoream statuam minime sculpsisse Jacobum* del Duca, *sed Dominicum quemdam cognomine Amium Sansovini discipulum.*

(55) Tres prae ceteris (*ait Raphael Brandolinius*) pessimarum arborum plantas constituit uni sibi radicitus extirpandas, multiplicem avaritiam, foedam in omnibus rebus luxuriam, perniciosam denique imperitiam. *Ipse & mentionem fecit eorum Cardinalium, quorum animo & ingenio plurimum tribuebat, quibusque Magistratuum emendationem, vel censuram potius demandavit. Optandum sane erat, ut quae noverat mala Leo in iis praesertim, qui Ecclesiae militabant, prorsus ab aula Romana removisset. Nam dolere minime debuisset Lutherum ex iis suos spargendi errores initium sumpsisse. Postquam autem hic sanctiora dogmata evertere coepit, Leo ipse dixisse fertur*: Oramai possiamo viver sicuri, perchè la scure non è più alle barbe, ma è ita a rami: *Narrat id Bernardus Segnius,* Storie Fiorentine Lib. IV. pag. 115.

(56) *Sanctio Pragmatica, seu Carolina nihil aliud est quam celebris illa constitutio in concilio Bituricensi sub Carolo VII. Gallorum Rege ex decretis fere pseudosynodi Basileensis conflata, quae in tres & viginti* Titulos *divisa cetera inter antefert auctoritatem Concilii auctoritati Pontificis, & electiones Episcoporum, quas sibi Pontifices reservarant, Canonicorum collegiis restituit.* Expectativis *praeterea* gratiis *locum esse non sinebat,* Beneficia vivo eorum rectore nemini reservari *permittebat, aliaque hujusmodi statuebat ingratissima Romanis Pontificibus, quare eam non secus ac perniciosam haeresim execrati per annos amplius septuaginta nullum non moverunt lapidem, ut abrogaretur. Vide* Pithou Commentar. sur le libertez de l'Eglise de France, Pinson Histoir de la Pragm. & Concor. du Puy Histoir. de la Pragm. *Brantomus* Memoir. Hom. III. P. I. pag. 251-57. *pluribus & ad vivum exponit quae mala a Pragmatica Sanctione Ecclesiae obveniebant. Quando ejus abrogationis Constitutio proposita Concilio fuit, unus Dertonae Episcopus ei subscribere recusavit. Vide Labbeum Tom. XIV. pag.* 283--315.

(57) *Sedit quidem Picus in concilio, ut de se ipse testatur in* Examine Doct. Vanit. Gent. Lib. I. pag. 781. *In hujus vero actis nulla mentio fit orationis Pici tum ad concilium ipsum, tum ad Pontificem, ut eos exhortaretur ad tollendas tot perversas consuetudines, & corruptelas, quae in Romanam catholicam Ecclesiam invaserant. Commemoratur quidem oratio Maximi Corvini Episcopi Serginensis, quam hac ipsa de re habuit. Oratio Pici extat in fine operum illius, & apud Orthuin. Grat.* in fasciculo rer. &c. *Vide Fleurium* Histoire Ecclesiastique *Lib.* 125. *ad an.* 1517.

(58) *Ximenius Cardinalis, ut ex ejus litteris ad Leonem ipsum intelligi potest, minime sivit Indulgentiarum, ut ajebant, Bullam in Hispania publicari. Vide ejus vitam a Flecherio scriptam.* Tom. I. Lib. III. pag. 478.

(59) *Affirmat Erasmus Leonem silentium indixisse Silvestro Prieras, cum improbasset, quae de Indulgentiis adversus Lutherum exaraverat; quam vere facile judicaveris. Multa quidem in ejus scripto desiderasses, nec feliciter admodum Tetzelius caussam Catholicae Ecclesiae defendit, cum multa protulisset illius dignitate, & veteribus institutis aliena. Vide Fleurium* Histoire Ecclesiastique Vol. XXV.

(60) *Errat sane Pufendorfius, qui in suo ad historiam prooemio affirmat Maximilianum quoque Caesarem occulte favisse Luthero: Extant enim ejus litterae ad Leonem, quibus pravitatem ejusdem opinionum reprehendit, & ejusmodi esse malum ait, ut cito ei remedium esset adhibendum.*

(61) *Referuntur a Paullo Sarpio in Concilii Tridentini historia quae inter has contentiones fuerint de ratione pronunciandi judicium adversus Lutherum. Contendebant enim Jurisconsulti, quibusdam formulis rem hanc agi debere, & Lutherus ipse questus est, quod neque adesse sit jussus, neque citatus. Ipse animadversiones exaravit in singula Leonis Bullae verba, virus evomens acerbitatis suae. Extant hae in fine Voluminis I. operum illius. Curavit & ipse, ut Witembergae publice cremarentur Pontificis litterae, & Romanorum Pontificum Decretales, quod, teste Sleidano, peractum est IV. Id. Decembris an.* 1520.

(62) *Extat Cajetani Cardinalis sane longissima epistola ad Leonem, qua illi narrat quid Electores senserint de hac competitrice scena inter Carolum & Franciscum Reges. Aderat enim Cajetanus ipse Pontificis nomine hisce comitiis:* Lettere de' Principi o a' Principi pag. 60. *Alia in epistola narrat quantam magnanimitatem prae se tulerit Saxoniae Dux in recusanda Caesarum corona, & muneribus, quae a Carolo Rege ei oblata fuerunt. Erat iis temporibus in Pannonia Hippolytus Atestinus Cardinalis, & cum eo Coelius Calcagninius vir sane omnibus ingenuis disciplinis eruditissimus,*

isque de se ipso testatur (Oper. Vol. II. p. 325.) *multum neque inutiliter laborasse , ut Carolo V. Romanum imperium decerneretur . Actum vel antea fuerat de creando illo Romanorum Rege , cui desiderio Maximiliani Caesaris obstare videbatur, quod hic a Pontifice minime coronam accepisset .* Is aetate jam provectum *(ait Gerardus a Roo* Lib. 11. pag. 603.) se considerans, sive mortem haud procul abesse animo praesagiens, cum Septemviris Electoribus Imperii, qui praeter Bohemiae Regem Augustam omnes venerant, de Carolo Nepote in Romanorum Regem eligendo agere coepit, cumque novi exempli res esset, Caesare nondum a Pontifice coronato, Regem eligi, in Concilio propositum fuit eo inducendum Leonem, ut coronam, & alia Imperatoriae dignitatis insignia per Legatum conferenda in Germaniam mittat.

(63) *Litterae Balthasaris Castilionii , de quibus mox mentionem faciemus , declarant officia plena suavissimi studii Leonis in Carolum, & mutuam hujus voluntatem in Leonem ipsum. Mirum vero videri debet eodem tempore Dovitium Cardinalem, qui in Gallia legatum Pontificis agebat , aures praebuisse Regi, qui nulla non prece a Pontifice postulabat , ut Carolum ad accipiendam Romae Caesarum coronam invitaret. Eo enim si venisset cum copiis, obviam se illi iturum totis suis viribus spopondit. Haec Dovitius ipse.* Il Cristianissimo conforta Nostro Signore a non far cosa che sia fuor dell' onore, dell' autorità & della dignità sua, & di quella S. Sede. Et per questo conto come primogenito della Chiesa & buono & obbediente Servitore di N. S. offerisce, bisognando, a S. Beatitudine le genti, i denari, lo stato & la persona, con la quale, & con quello sforzo che N. S. vorrà, dice che verrà in Lombardia, in Toscana, a Roma, e ove più piacerà a S. B. *Alia vero in epistola ad Julium Cardinalem (nam illam superiorem dederat ad Laurentium) ait.* E quì (il Rè) si distese assai in dirmi, che io per le mie volessi per sua parte persuadere a N. S. & alla Signoria vostra Reverendissima, che poichè in mano di S. S. era l' onor suo prima, & poi la conservatione dell' autorità & sicurtà non solo della Sede Apostolica, ma etiam di Roma, di Fiorenza, & finalmente di tutta Italia, per l' amor di Dio quella non volesse mandare detta corona, dalla quale dipende tutto il resto. Et per non negar la corona, che non saria giusto, dice S. M. che N. S. dica esser contentissimo di dargliela nel modo, che l' hanno havuta tutti i suoi Predecessori, Alberto, Enrico, Carlo IV., Ridolfo, Vincislao, e ultimamente Federico suo Padre, i quali dice sua Cristianissima Maestà che vennero a Roma, e furono incoronati per mano de' Papi pro tempore esistenti. Così prega il Re che S. S. non

solo accetti la venuta di Cesare a Roma, ma ve lo conforti, mostrando piacergli, e desiderandolo assai per li rispetti altre volte scritti. Et del resto dice, che S. S. non se ne dia un pensiero al mondo perchè sà certo, che disarmato non verrà, e che quando avesse il modo a venir armato, il che non crede, dice che S. S. non se ne dia fastidio, ma stia a vedere, e lasci fare a lui, perchè in tal caso havendo Cesare a passar per il dominio o suo o de' Signori Venetiani, S. M. per sicurtà degli stati comuni verrà in Italia, & haverà tale e tanta gente tra esso Rè, & loro, che si crede certissimo, che Cesare non si metteria a passare, & che volentieri se ne tornerà nella Magna, & non passerà mai, & così dice, che N. S. verrà ad haver satisfatto a Cesare, & liberato Italia da una perpetua servitù. *Lettere de' Principi, o a' Principi.*

(64) *Scipio Ammiratus in sua Florentinarum rerum historia ad annum 1517. pag. 333. ait.* Giunse a Firenze un breve del Papa per lo quale comandava, che si facessero processioni e digiuni . . . . Il giorno dopo, come dura tuttavia fino a' presenti tempi, si diede principio a sonare l' Ave maria, d' ordine del medesimo Pontefice, il mezzo dì tra la nona e il vespro. *Quod ad ceteras vero preces per Leonem vel tunc, vel aliis temporibus institutas, vide Natalem Alexandrum, aliosque, qui de eo scripserunt.*

(65) *Narrat haec Paris Grassius in suo, ut appellatur, diario.*

(66) *Vide Leonis epistolas inter Sadoleti epistolas editas Romae 1754.* Miscel. ex MSS. Libris Biblioth. Collegii Romani.

(67) *Pontificis litterae, quibus subscripsere XXVII. Cardinales datae sunt Mense Octobris an. 1521. Lutherus suo more acerbe & petulanter Henrici Regis opus confutare aggressus est.*

(68) *Hac de re vide Petri Bembi Italicam epistolam ad ipsum Dovitium Cardinalem. Satis quoque erat peritus Franciscus Italicae linguae, & perpaucos sane iis temporibus in Gallia invenisses, qui in Italicorum sermone surdi essent. Hujus rei testimonium extat in epistola Ludovici Canossae ad Dovitium Cardinalem.* Lettere de' Principi o a' Principi: Venezia presso Francesco Toldi 1573. in 4.

(69) *Regia plane dona fuerunt, quae a Pontifice tum nova nupta, tum Galliarum Regina accepit. Iis sex & triginta jumenta onerata fuerunt: Cetera inter erat lectica testitudinea ebore, matre perula, aliisque pretiosis distincta rebus.* Fama tum fuit, *ait Titius*, munera missa aureorum trecentorum millium valorem excedere.

(70) *Questos multos ait Ammiratus de mutatione temporum & morum*, che ove le doti de' cittadini per quaranta anni addietro non eran passate mai fio-

rini 1400. di suggello, allora a 2500. e a' 3000. eran montate con danno grande delle fanciulle, molte delle quali o conveniva maritare ignobilmente, o confinarle ne' Monasterj. Hor che harrebbon detto eglino, se infino a quest' età fossero sopravissuti, ne' quali smarriti gli antichi costumi, e la tanto celebrata parsimonia, in questo molto simili agli antichi Spartani, e alle doti e al vestire e alle spese della tavola si è si sconciamente allargato il freno? *Notare quidem his dictis voluit novam quamdam & inauditam luxuriem, quae Mediceorum maxime culpa in urbem invecta est.*

(71) *Vide quae hac de re scripsit Ludovicus Canossa, homo sane fide & prudentia spectatissimus, ad Dovitium Cardinalem.* Lettere de' Principi o a' Principi.

(72) *Quod ad Senenses pertinet, adde etiam si vis ad Aemilias populos, non obscura sunt indicia in epistola Dovitii Cardinalis, quam ad Laurentium ipsum dedit Parisiis IV. Kal. Decemb. 1518. Dovitius enim pluribus egit his de rebus cum Galliae Rege*: Lettere de' Principi o a' Principi. *Jacobus Nardius sua in Florentinarum rerum historia minime dissimulavit quae cupide appetivit Laurentius, pluribus vero narravit initio libri VII. quae gessit Julius Cardinalis, ut suspicionem imperii a se averteret, omnique beneficiorum genere Florentinos suos sibi obstringeret.*

(73) *Vide has in epistolis* de' Principi o a' Principi.

(74) *Hujus Instituti equestris ordinis testis est Jovius. Extat vero Pontificis* Bulla *separatim edita de officio Cubiculariorum & Scutiferorum Apostolicorum, ex qua apparet Cubicularios fuisse numero LX. Scutiferos CXL., & eos pro pretio obtenti honoris nonaginta, hos vero duodecim supra centum millia florenorum solvisse.*

(75) *Dum haec moliebatur Gallorum Rex, Leo Romae vulgavit hoc Caesaris edictum.* Nos Carolus divina favente clementia Romanorum Imperator &c. Cum de his, quae aguntur, omnibus constare velimus, ne sint qui ignoratione rerum se excusent, has voluntatis nostrae indices publice legendas damus. Cum nostrum summum studium esset, ut sedatis domesticis discordiis, communi Christianorum auspicio, arma in sempiternos nominis nostri hostes inferentur, compositis cum Rege Gallo rebus, pro viribus adnixi sumus, ut quae exterminata pax esse videbatur, tanquam ab exilio revocata in sedes suas reduceretur; interiectis postea paucis diebus, cum ad constituendam publicam concordiam a Summo Pontifice invitaremur, quinquennii inducias primi admisimus, propositoque veluti salutari signo, Remp. salvam cupientes bene sperare jussimus, nec longum cum fre-

frequentibus nunciis de incredibili apparatu hostium renunciantibus ad custodienda maria conversi ingentem classem comparavimus, ut quaeque de pietate nostra quam parcissime loquamur, soli fuimus, qui Remp. defendendam suscepimus, Rege Gallo cum a Summo Pontifice ad juvandam religionem rogaretur, nequaquam dicere verito, curam religionis susciperent, qui finitimi hostibus essent, cum ad se iretur, se sua defensurum esse: longe enim Rex iste a conservandae Reip. studio aberat, quaeque ejus gentis conditio est, consilia novandarum rerum publico malo jam tum inibat. Delatum interim ad nos Imperium est, quo facto, cum volente Deo, Resp. nobis committi videretur, relicta Hispania, in Germaniam venimus, appellataque universa ea natione, omnia studia nostra ad sublevandam religionem contulimus. Procedebat res, beneque sperari poterat, si Resp. bono Rege Gallo uti potuisset. Sed tantum abfuit ut iste Reip. commodaret, ut ad consilia nostra dejcienda in Belgiam & Navarram arma immiserit, pietatisque immemor, oppugnato Regio, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae bellum nefarie indixerit. Ita depulsa pace, offensaque insuper Sacrosancta Sede Apostolica, cum ab antiquo pietatis nostrae studio aliorsum avocemur, caussa nostra cum religionis caussa conjuncta, Regem Gallum Religionis hostem, hostem nostrum declaramus, bellumque eidem & nostro, & Sacrosanctae Romanae Ecclesiae nomine indicimus. Neve alicui vacatione uti liceat, omnes nostros atque S. R. I. Feudatarios ad arma nobiscum suscipienda vocamus. Insuper quoque edicimus, ur si qui forre ex his Feudatariis sunt, qui Regi Gallo obligentur, a declarato nostro & Religionis hoste quamprimum discedant, in partesque nostras quam propere transeant. Qui ex omnibus secus quam volumus fecerint, jam nunc a jure Feudi excidisse existimentur, Sacrique R. I. rebelles habeantur. Haec est hujusce Edicti summa, cujus monumentum, ut perpetuum sit, has litteras manu nostra subscripsimus, & consueto Sigillo nostro Imperiali muniri jussimus. Datum in oppido nostro Antuerpiae die XII. mensis Julii anno a Nativitate Domini MDXXI. Regnorumque nostrorum, videlicet Electionis Sacri Imperii anno III. aliorum vero omnium VI.

Carolus.

(76) *Vide Ludovici Canossae Pontificii Legati ad Gallorum Regem epistolas, quas hac de re dedit tum ad Leonem ipsum, tum ad Mediceum Cardinalem. Extant eae in epistolis* di Principi, o a' Principi p. 11. 12. *Qui tantummodo conjectura ducebantur ad suspicandum vel Pontificem ipsum, vel*

Medicaeum Cardinalem caussam attulisse morti Dovitii, ajebant visam his esse intolerabilem injuriam, quod is egisset cum Gallorum Rege de succedendo Leoni in Pontificatu Maximo, neque obscura hujus suae ambitionis signa dedisset. Ob id fortasse iram in se concitavit Pontificis, qui irasci amicis non temere solebat, sed nunquam adduci potero, ut credam, hominem, qui nihil tam deforme putabat, quam ad summum imperium acerbitatem naturae adjungere, saeviisse adeo in amicum, quocum a prima aetate communia omnia habuerat, prospera, adversa, ut ei moriendi necessitatem attulerit. Si ingenium & mores humanissimos spectes, florem & delicias illius aetatis Dovitium dixisses. Ceteros inter ejus aulam ornabant Camillus Paleottus, Jo. Baptista Sanga & Paullus Sadoletus, quorum pervulgata sunt nomina. Animi bonis accedebat oris pulchritudo, quae non minimum commendat.

(77) *Extat in Laurentiana Bibliotheca Raphaelis Brandolinii Augustiniani hominis oratio, quam idcirco Cosmianam appellavit, quia cum laudibus SS. Cosmi & Damiani laudes quoque conjunxit Cosmi, qui Pater Patriae appellatus est. Haec habita dicitur V. Kal. Octob. 1515. ad quod tempus referri fortasse debent etiam quae de ipso narrantur a Lilio Gyraldio. Ait enim ad hunc festum diem magis magisque honestandum jussum fuisse Andream Maronem Forojuliensem, quem & suum Brixiani faciunt, magni promptique ingenii virum, proposito argumento, versus ex tempore fundere, & postquam competitores multos poetas elingues fecisset, sic cum Brandolinio quoque contendisse, ut victor discesserit. Magnam profecto famam sibi comparaverat Brandolinius sive soluta, sive numeris ligata oratione ex tempore diceret, & hoc aliisque nominibus acceptus adeo erat Leoni, ut ejus oculus a Jo. Antonio Flaminio appellaretur. Coluerat ipsum vel a prima adolescentia, nuncupaveratque eidem, antequam Pontifex crearetur, Aurelii Fratris tres libros* de comparatione Reip. & Regni, *quos in Pannonia apud Mathiam Corvinum Regem illius suasu scribendos susceperat. Multa sunt clarorum virorum testimonia de Brandolinii ingenio, doctrina atque virtute, & perpetua illius in Leonem observantia, de cujus laudibus dialogum exaravit, qui Leo inscribitur. Diximus supra pag. 85. teste Paride Grassio, Lippum quemdam orationem habuisse in funere Contessinae Mediceae, & credibile quidem videtur ejusdem fuisse auctorem Brandolinium, cui tam facile erat orationem pangere, quam spiritum ducere. De eo jocose solebat dicere Beroaldus junior,* orationes habere venales, easque pro licitantium pretio. *De ipso plura narrat Gyraldius in Dialogo de Poetis. De Marone autem Brandolinii competitore nonnulla tetigit Jovius in Elo-*

giis doctorum virorum, utque probaret quam felix esset poeta extemporalis, & quam dignus beneficiorum & gratiae Leonis, haec ait. Exceptus est secundissimo plausu, ac idcirco a Leone repraesentatae facultatis nomine sacerdotio donatus, quum post celebre convivium, cui Regum Legati, Senatoresque aderant, de suscipiendo sacro bello dicere jussus jucunda figurarum varietate decantavit, orsus hoc nobili carmine,

Infelix Europa, diu quassata tumultu
Bellorum &c.

(78) *Si Jovio fidem praebemus Machiavellii comoedia Nicia inscripta, quod nomen Mandragolae convenire quoque potest, quod Nicia quidam homo sacrae militiae addictus, verum ad voluptates fovendas propensissimus, primas in ea partes agit, postquam acta Florentiae fuit, cum toto scenae cultu, ipsisque histrionibus, jubente Leone, Romae quoque spectata fuit.* Jov. in Elog. Machiavellii. *An Jovii testimonium satis erit, ut de hoc quisquam dubitare nequeat, quanquam culpari jure possit Leo, quod multa fecerit aliena a dignitate sua? Quantum dedecus fuisset plaudere comoediae, in qua locus, & quasi regio ridiculi turpitudine & deformitate continetur!*

(79) *Vide vitam Raphaelis Sanctii a Georgio Vasario expositam, in qua mentionem fecit Joannis Barilis, qui huic operi praefuit.* Vite de' più eccellenti Pittori &c. Tom. II. Roma 1759. p. 121.

(80) *Testis est Titius a Senensibus obtinuisse notitiam hominem, nomine Morionem, cujus nil nisi insulsitas poterat derideri, quique facie magis & toto corpore, quam facetiis erat ridiculus.*

(81) *Haec de eo memoriae mandavit Paris Grassius.* Die V. Febr. MDXVIII. Franciscus Remolinus natione Catalanus doctus in litteris, in mundanis sagax et astutus, prudensque & dives ex morbo maledicto Gallico mortuus est.

(82) *Haec quoque Titius memoriae mandavit.* Habet iste bonus Pontifex apud se lurconem quemdam edacem, & mandonem fratrem nomine Patrem Martinum & Marianum, qui pullum columbarium sive assum, sive elissum bolo uno & sorbitione unica glutit, ova, ut ferunt, qui viderunt, absorbet quadringenta, viginti quoque devorat capos. *Quem paullo supra memoravimus Joannem Franciscum Poggii Bracciolinii filium, nescio an idem sit, de quo Philippus Bonamicius in libro* de claris Pontificiarum Epistolarum scriptoribus, *ait plurimum illum a Leone dilectum; proposi-*

tis praemiis Florentia evocatum, Pontificium Secretarium factum, & doctum fuisse in jure canonico, ut ex ejus libro apparet, quem de potestate Papae & Concilii *conscripsit*.

(83) *Vides me adscribi eorum sententiae, qui contendunt hilaritati nimium indulsisse Leonem in accubationibus epularibus. Matthaeus tamen Herculanius se nihil in his vidise nisi pudicum & grave testatur. Ait enim.* Tanto studio tenebatur, ut ne ipsum quidem epularum tempus sine nostra utilitate praetervolare sinat, quod non auro, argentove refertis abacis, non pretiosa supellectile exquisitis ingeniis apparatus, ferculorum pompà admiratos, defixosque nos tenet, sed cum convivis & circumstantibus lepide comiterque habitis sermonibus non de inani levique materia, sed de Deo, natura, sacris, jure, legibus, vita, moribus, aliorum gestis, ceterisque rebus, quae summae eruditionis, ac perspicacis ingenii inquisitione dignae visae fuerint. *Non absimilia narrare videtur Raphael Brandolinius, iique fortasse tempora illa respexerunt, quibus Leo privatus erat, quibusque ita famae servivit, ut nil nisi moderatum, pudicum, & grave in illius domo appareret*.

(84) *Matthaeus Herculanius, qui saepe intererat familiaribus colloquiis Leonis, haec de eo narrat.* Ipsa laxamenta curarum honesta: non enim vel consilium, vel ingenium, vel aetas, vel Pontificalium opum affluentia in obscoena solatia, turpesque voluptates, vel qui desidiam sequuntur, lusus, sublimem animum dejecerunt, aut in delicias detorquent, sed rerum molibus interdum subductum nunc variarum vocum suavissima modulatio, nunc sonorum armonia excepit, non mollibus illis, impudicisque condita modis, quibus olim theatra, scenae, fora perstrepebant, sed quibus Dei laudes canimus, quibusque sacrorum caerimonias honoramus. Interdum etiam venandi studium in lustra saltusque abducit, non tam quidem ut feras conficiat, quam ut inde postmodum corporis simul & animi agitatione, quasi renovatis viribus, vegetior acriorque in Pontificales gravissimas curas relabatur, sed & interdum ne quo unquam temporis momento a mortalium commodis animam avocasse putes, vicinas urbes ingreditur, oppida intervisit, & gentium desideriis occurrit, & si aegri aliquid in iis sit, curationem adhibet. Equidem cum multa & maxima, & admiratione summa dignissima libenter commemorarim & meminerim, super omnia tamen est ceteris eximiis virtutibus continentiae incredibilis adjecta vis, quae adeo circumfusas undique sensibus voluptates perdomuit, perfregitque, ut non extra libidinem modo, sed & quod raro ulli contigit, extra famam libidinis, tam in Pontificatu, quam in omni anteacta vita se conserva-

rit, jugiterque conservet. *Profecto nisi hac indole virtutis & continentiae fuisset Leo, ut respueret omnes voluptates, neque Herculanium, neque Brandolinium, neque innumeros alios, qui eum bene noverunt, quosque in medium afferre possem, ad assentationem eruditos adeo fuisse arbitrabimur, ut consenserint in tribuenda Leoni laude, in qua perspicue mendacium esset.*

(85) *Petrus Aretinus perpendens quae ipse contulit beneficia in ridendos homines, quibus oblectabatur, & in eos, qui litteris se se dederant, haec de eo maledice, suo more, scripsit.* E beato colui, che è pazzo, e nella pazzia sua compiace a se, ad altri e a se stesso. Certamente Leone ebbe una natura da stremo a stremo, e non saria opra d' ognuno il giudicare chi più gli dilettasse, o la virtù dei dotti, o le ciancie de' buffoni, e di ciò fa fede il suo aver dato all' una e all' altra specie, esaltando tanto questi, quanto quegli.

(86) *Vide Valerianum* de Litteratorum infelicitate. *Eodem tempore, quo Marcellus Virgilius dono dedit Leoni Dioscoridis interpretationem, Manens Leontius obtulit ei interpretationem Hippocratis libri* de vagantibus vulgo morbis, & *Basilius Chalcondila historiae Appiani: extat in Laurentiana Bibliotheca* Cod. 12. Plut. 73. *In eodem Pluteo* Cod. 38. *extat etiam Juliani Tanii liber de* morbo gallico *cum prooemio ad Leonem, & Bernardi Tornii liber* de tuenda sanitate Cod. 34. *Est quoque ejusdem Tornii liber ad Leonem* de cibis quadragesimalibus.

(87) *Est in manibus hominum Valorii opus, de Sterponiano vero vide Laurentii Mehus Praefationem ad Ambrosii Traversarii epistolas pag. 54. Non ii modo, sed quotquot de Laurentio Mediceo scripserunt, in eo consenserunt elogio, non satis constare, plus ne ejus virtus in bello, an in pace sapientia ac moderatio enituerit. Nam rem Florentinam, saepe adversa fortuna nutantem confirmavit, interdum malis prope extinctam unus ipse non modo restituit, verum etiam vehementer auxit. Tranquillis vero rebus ornavit patriam ac munivit legibus optimis, atque institutis: justitiam praeter ceteros ac temperantiam publice privatimque coluit: liberalitate si quis unquam delectatus est, cujus fama longinquas regiones pervagata, barbaras etiam gentes, & religione diversas illi conciliavit, multosque, aliqua modo virtute, nobilive arte insignes in urbem Florentiam perduxit. Demum quanti illud faciendum, quod miseram Graeciam, suis sedibus Othomanorum injuria pulsam, supplicem atque egentem hospitio excepit, benignitate sublevavit, perpetuo studio fovit, ac tutatus est, sic ut unus eam laudem sibi vindicare possit, quod Graecas litteras, & praeclara doctrinarum omnium studia Italiae reddiderit! Quae nos pluribus in illius vita declaravimus, libuit hoc loco breviter strictimque attingere.*

(88) *Non me latet multorum esse sententiam Machiavellium in libro, qui de* Principe *inscribitur tyranni imaginem idcirco expressisse, ut magis magisque odium concitaret in Laurentium ipsum, omnesque eos, qui servile jugum imponere patriae cupiebant, atque eumdem retinuisse semper rectos de libertate sensus.*

(89) *Fuit Dactio pergratum perque jucundum, quod a Florentinis suis habuit mandatum inveniendi quae ornare debebant currus, ut apellabant, triumphales, quibus frequentissimo totius Etruriae conventu ille dies celebratus est, quo Leo Pontificatum maximum est consecutus. Vide Georgium Vasarium* Vite dei Pittori &c. Tom. II. pag. 645. *editionis Romanae. Tum adhibita quoque fuit opera Jacobi Nardii, qui Florentinas historias scripsit, ut pompa, ludis, atque hujusmodi aliis spectaculis & gaudium significaretur, & populus oblectaretur. Quidquid harum rerum jubebant Florentini, summam speciem & elegantiam habebat, nec illustriores pictores, sculptores, & architecti recusabant in iis operam ponere. Ponturmus, Rodulphus Grillandajus, Baccius a Montelupo, Francia Bigio, Petrinus Bonaccursius del Vaga, Franciscus Granaccius, aliique hujusmodi plures, quorum nota sunt nomina, adhibiti fuerunt ad ea apparanda, quibus introitus Leonis in urbem celebratus est. Extat carmen Italicum Jacobi Nardii, cujus est initium*

Contempla in quanta gloria sei salita,
Felice alma Fiorenza.

Quae de Dactii discipulo Alexandro Pactio praedicavimus Petri Victorii testimonio quoque confirmantur. Ait enim in prolegòmenis Commentar. in Poeticam Arist. Exortus postea est Alexander Paccius, civis meus, qui studio praeterea hoc ipso vehementer tenebatur, ac tragoediam etiam quandam, invento novo genere versus, nostro patrioque sermone conscripsit, ut plures etiam e Graecis poetis, non sine laude & industria multa, partim eodem nostro, partim Latino sermone expressit: ille igitur ita acriter hoc opus amavit, ut semper in manibus illud haberet, ac de re nulla magis cum hominibus doctis, versatisque in scriptis hujus philosophi (Aristotelis) loqueretur.

(90) *Respublica Florentina, ut studiis Pontificis erga Pisanam Academiam responderet, mandavit praesertim Jacobo Salviato & Ruperto Acciajolio, ut omnem curam adhiberent, quo Novembri mense an. 1515. fores Academiae, quae diu nimium clausae fuerant, aperirentur. Tum Philippus Decius ce-*

teros inter conductus fuit annuo stipendio DCCC. aureorum annuum. Quoniam de Salviato & Acciajolio mentio facta est, illud addendum videtur, fuisse illos Mediceis omnibus conjunctissimos, & prae ceteris floruisse prudentiae fama. Varchius suis in historiis (pag. 87.) *appellat Acciajolium* : Uomo grave molto e severo, e di tanta prudenza quanto alcun altro cittadino di Firenze. & *pag.* 201. uno delle più savie teste d' Italia.

(91) Epist. XIX. pag. 104.

(92) *Testatur hoc Sadoletus in haec verba ad Erasmum scribens.* De Bembo meo nihil est quod labores; is, vivo etiam Leone, morbo coactus caeli mutandi caussa contulit se Patavium; *quo priusquam se conferret, jussu Pontificis Mantuam accessit, ut negotia illius cum Friderico Gonzaga Marchione curaret. Is in Italica epistola ad Fridericum Fregosium Salernitanum Archiepiscopum ait, se Roma discessisse ea mente, ut ad illam non amplius rediret, quasi dolerent omnes boni lumina & ornamenta litterarum ac reipublicae occidisse. Cum vero gratularetur Sadoleto suo, quod a Clemente VII. revocatus fuisset ad Urbem & ad suam pristinum munus scribendarum litterarum, non obscure innuit ipsum antea sua fortuna minime contentum fuisse. Ait enim* : Del qual servizio mi confido avere a vedervi più contento di quello, ch' io vi ho veduto dell' altra servitù fatta da voi per l' addietro. *Haec si vera essent non parum quidem de Leonis fama detraherent. De Bembo non moror: minime enim erat satiatus animus illius ad ambitionem proclivis beneficiis, quae a Leone acceperat, nec videbatur esse posse libenter Romae, cum desiderium minime ferret Morosinae suae, quam amare coepit, postquam Pontificiae aulae addictus fuit. De Sadoleto autem quid dicam? Homo non solum gravis, sed & austerus minime tantam oculorum impudentiam habebat, ut patienter videret multa, quae vel imprudentiae, vel negligentiae excusatione defendi vix poterant.*

(93) *Prodiit ex hoc ceteros inter libros an. 1517. Homeri Iliadis Interpres pervetustus Graece impressus, quam impressionem curarunt adolescentes illi, quos Leo in Gymnasio Quirinali alebat ad litterarum Graecarum bonum. Habet liber Pontificis litteras, quibus vetat opus istud iterum imprimi, nisi decennio elapso, quaeque declarant quantum ei curae esset, ut studia litterarum Graecarum aliunde accersita, in urbe, quae habita semper fuerat domus doctrinae, consederent. De Colotio nonnulla tetigit Jovius in elogio Elisii Calentii, plura vero narravit Jo. Franciscus Lancellottus, qui ejus vitam conscripsit, edidditque cum ipsius carminibus Italicis & Latinis an. 1772.*

(94) *Scribens ipse ad matrem an. 1505. declaravit quantis Mediceo Cardinali devinctus esset beneficiis*. Io scrivo una lettera a M. Francesco da Bagno, pregandolo, che mi voglia fare avere un paro di bracchi, e uno sparviere, li quali vorria donare al Rmo Card. de' Medici, al quale tanto sono obbligato. *Quod ad affinitatem vero attinet, vehementer actum est de nubenda Castilionio Clarice Medicea Petri Filia, quam Philippo Stroctio supra p. 38. nuptam fuisse diximus. Hujus rei documenta extant in Castilionii ipsius epistolis a Josepho Cominio editis* Vol. I. p. 145. *Bernardus Segnius in Nicolai Capponii vita caussam aperit hujus conjunctionis cum Stroctio, addiditque dotem ei assignatam fuisse* di fiorini sette mila, tanta in qual tempo smisurata, e che trapassava ogni civil termine.

(95) *Extant hae in volumine, quod inscribitur* delle lettere de' Principi o a' Principi.

(96) *Extat haec Castilionii epistola ad Leonem in fine operum Italicorum & Latinorum Castilionii ipsius, quae Joseph Cominius edidit Patavii an. 1733.*

(97) Quod ad me attinet (*inquit*), cum ab ineunte adolescentia decursum vitae spatium ad hoc aetatis usque considero, ita me video perpetuo quodam liberalitatis tenore a familia vestra fotum semper ornatumque fuisse, ut quaecumque homines vel tuendae vitae vel excolendo ingenio sibi necessaria esse cognoscunt, ea ubertim semper in me collata, solis Medicibus referam acceptissima. Nam & Magnificus Laurentius pater tuus, annos me natum quatuor de viginti, extorrem in patriam revocavit, ubi apud nobiles consanguineos suos, eosdemque meos affines in bonarum artium studiis, quae tunc Florentiae vestris praesidiis floruerunt, jucundissime diu vixi. Et ne tunc quidem, cum mundi vanitatem pertaesus, religionem cum priore vita commutavi, gentis vestrae beneficiis umquam carui. Etenim in Coenobio Divi Marci, quod Magnus Cosmus proavus tuus a fundamentis extruxit, Deo jam annos aliquot famulatus e publica gentis vestrae bibliotheca, quam Cosmus ibi luculentam aperuit, & ex ea, quam jussu patris tui Joannes Lascaris, generosus homo atque doctissimus, e Graeciae latebris Florentiam importavit, fructus maximos suavissimosque percepi. Saepe etiam ibi cum Patribus illis meis ab ingruentibus maximis periculis, bonitatis suae praesidio liberatus. Ad quae Patris in me tui, majorumque tuorum beneficia tu id mihi seorsum, Pater Beatissime, contulisti, quod ad pedes tuos gratulandi causa pervolutum in Urbano S. Silvestri Oratorio ad honestam studiorum quietem humanissime collocasti, nostraeque aetati jam ad senectutem vergenti deesse nil pateris,

quod

quod ad religiosi studiosique hominis necessarios usus commodaque pertineat. Cum itaque ob ingentia tua in me beneficia redundare in te debeat quidquid a me per hoc abs te mihi concessum otium excudatur, dedicandos tibi putavi, quos nuper Theodoriti Cyrenensis Episcopi graecos libros de spirituali graecarum affectionum medicina latinos feci. *Vir catholicae religionis studiosus nunquam non curavit, ne quis abriperetur in errores, quibus commaculantur illustriores Graeci philosophi. Ea propter, hortatore Jo. Francisco Pico, hoc Theodoreti opus latinum fecit, quo & Platonis, & multorum praeterea philosophorum pugnantes inter se de rebus divinis sententiae, & instituta humanae vitae & moribus perniciosa produntur. Hac ipsa de caussa multos annos ante Caesariensis Eusebii librum, quo Philostrati de Apollonio Tyaneo historia fabulosa confutatur, in latinam linguam convertit. Tanta a Platonis scriptis, quae tum in manibus omnium erant, metuenda pericula ajebat, ut Marsilius Ficinus, qui Platonem & Plotinum latinos fecit, haec de se ei dicere soleret,* factum providentia Florentini Praesulis Antonini, quo minus e Platonis lectione, quam inde a pueris summopere adamavi, in perniciosam haeresin prolapsus fuerim. *Omnino mederi malis, & consulere philosophiae studiosis cupiebat Leo, quam laudem ei tribuit quoque Marcellus Virgilius in epistola, qua ei nuncupavit Dioscoridis librorum interpretationem.*

(98) *Id ipsum testatur Giraldius* de poetis suorum temporum Dial. II. *Ait enim*: inter eruditos quidem magnus ubique Octavius, nisi quod stilo abstinet, nec suas opes publica taberna venditat. *De eo plura narrarunt Lagomarsinius* ad Epist. Pogiani Vol. IV. *Quirinius Card.* Specimen Brix. Litterat. P. II. & *Tiraboschius* Vol. VII. P. II. Storia della Letteratura Italiana. *Is multis acceptissimus Romae obiit an. 1567.*

(99) *De eo haec Wolfius* in Bibliothec. Hebraea p. 981. edit. Hamburgi & Lipsiae an. 1715. Felix Pratensis Italus Rabbinus inter Judaeos eruditus & deinde Romae 1518. ad Christum conversus, & in S. Augustini ordinem cooptatus, trium linguarum peritia, & varia doctrina instructus per multos annos Judaeis Romae concionatus est tam feliciter, ut, multis ad veritatis agnitionem perductis, flagellum Hebraeorum plerumque diceretur. Prima editio Bibbliorum Rabbinicorum Bombergiana Venet. 1518. curata prodiit, qui & praefationem Lat. ad Leonem X. P. M. directam praemisit, ex qua etiam apparet Bombergum primum ab eo litteris Hebraicis imbutum esse, ut vel hoc nomine Christianus orbis ei multum debeat...., Psalmos Davidis ex Hebraeo ad verbum fere translatos cum Leonis X. approbatione notisque suis Venet. 1515. primum edidit . . . . Ille primus

in calce edit. Bombergianae Bibliorum laudatae editionis edidit catalogum lectionum variantium, quibus Judaei Orientales & Occidentales distinguuntur .... Librum Jobi & alios quosdam Biblicos eundem transtulisse, tandemque fere centenarium Romae 1539. 5. Novembris obiisse testis est Philip. Elssius in Encomiastico Augustiniano pag. 192. *Erravit certe Wolfius asserens Felicem an. 1518. ex Judaicis in Catholicae Ecclesiae castra transiisse. Nam ejus Psalterii Latina versio edita an. 1515. habet hunc titulum*: Psalterium ex Hebraeo diligentissime ad verbum fere translatum, fratre Felice Ordinis Heremitarum S. Augustini interprete per Summum Pontificem Leonem X. approbatum. *Ut audivit Leo opus hujusmodi suscepisse hortatu Cardinalis S. Crucis, antequam illud ederetur, jussit de Interpretis peritia judicium fieri. Factum ex sententia, per Petrum Bembum consilium laudavit, stimulosque addidit, ut idem opus in lucem emitteretur. Jacobus* le Long in Bibliotheca sacra *ait illum e vita migrasse an.* 1559.

(100) *Tanta erat opinio Romae Foliettae prudentiae & integritatis, ut, teste Galeatio Florimonte, quem Catonem suae aetatis appellasses, omnia ejus dicta pro oraculis haberentur. Misere is obiit in Urbis direptione, ejusque mortem carminibus flevere Bembus & Thebaldeus. Extat etiam ejus elogium ab Uberto Folietta illius fratris filio conscriptum inter elogia Ligurum illustrium* p. 226.

(101) *Ex his Basilio Lapio Monacho Cisterciensi, Antonio Dulciato ex Augustinianorum familia, & cuidam Raggio, qui omnes Florentiae orti erant, nonnihil tribuisse videtur. Uti praesertim meditabatur Leo astrologorum opera ad emendandum Kalendarium, ut rite Pascha celebraretur, qua de re ei obtulit volumen Joannes a Monte Regio, cujus magnum erat in Astrologis nomen. Extat etiam in Laurentiana Bibliotheca* Cod. II. Plut. 29. *Dulciati opus de correctione Kalendarii ad Leonem. Raggius vero eidem obtulit* Tractatum astrologicum, *& hic quoque liber extat in Laurentiana bibliotheca* Cod. 22. Plut. 30. *Ad res astrologicas referri quoque potest Joannis Gemisti hominis Graeci, & secretarii, ut se ipsum appellat, Anconitani* Protrepticon, & Prognosticon (*sic opus inscribitur*) *quod opus versibus exametris scriptum Leoni nuncupavit*: *Extat* in Plut. 34. Cod. 57. *Neminem fere iis temporibus invenisses, qui non aliquid tribueret astrologiae. Majorem certe laudem in eo promeritus est Leo, cum prospexisset mathematicarum rerum studiosis per Lucam Pacciolium Burgensem e Minoritarum familia, quem Romano Archigymnasio cum stipendio Florenorum CXX. addixit. Qui quantusque vir ille fuerit, quantumque illi debeat Al-*

gebra, pluribus declaravimus I. in volumine Historiae Academiae Pisanae.

(102) *Vide Hermolai Barbari* in castigationes Plinianas *ad Alexandrum VI. Praefationem.*

(103) *De hac re tota vide Tiraboschium* Storia della Letteratura Italiana Tom. VII. Par. I. pag. 295. *Ipse & Albertus casus suos narrat, & quot perpessus sit calamitates Leonis caussa in epistola ad Matthaeum Gibertum:* Lettere de' Principi o a' Principi.

(104) *Leonis litterae ad Agrippam extant in illius operibus, ad Marlianum vero extant in epistolis Sadoleti Pontificis nomine scriptis. His impudentiam eorum castigat, qui aut, cum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quae maxima essent in re catholica, tractare auderent, cum ea nescirent, nunquamque didicissent. Varios mores, variam fortunam, non bene firmas de divinis rebus opiniones tum Agrippae, tum Reuclini multi sane persecuti sunt. Reprehendit Morerius Jovium, quod de illo priore iniquius aliquid ac minus vere scripserit iu elogiis doctorum virorum. Quae hoc loco de Reuclino narravit, declarant quidem studium Leonis in eum, quod minime extinxerunt querelae cucullatorum, qui ab eo non solum efflagitabant, sed etiam exigebant, ut divendi atque imprimi vetaret, quae ille exaraverat ad irridendos (salse quidem ac lepide) omnis expertes elegantiae theologos. Narrat is in epistola, qua Leoni ipsi nuncupavit suum de arte Cabalistica opus, quo quid senserint Pythagoras, Pythagoreique illustriores omnes de hac arte sibi persequi proposuit, se admirabili fama virtutum incredibilium Laurentii Medicei motum in Italiam venisse, quaesivisseque avidissime sermones doctissimos tum illius, tum eorum omnium, quos domi suae alebat. Neque minus incensus studio in Leonem, gratulatur illi,* quod semina veteris philosophiae, quae jecerat Pater, ipso regnante, in culmos surgerent, sic ut Graeca, Latina, Hebraea, Arabica, Chaldaica, & Chaldiaca certatim omnes majestati illius offerrent.

(105)
Piegossi a me de la beata sede,
  La mano, e poi le gote ambe prese,
  E 'l santo bacio in ambedue mi diede.
Di meza quella bolla anco cortese
  Mi fu, de la qual ora il mio Bibiena
  Espedito mi ha il resto alle mie spese.

(106) *Extant* Guidi Posthumi Silvestris Pisaurensis Elegiarum libri duo ad Leonem X. Pont. Max. Bononiae per Hieronymum de Benedictis an. Dom. 1514. *De eo haec habet Thebaldeus in epistola ad Balthasarem Castilionium*. Si partirà presto per venire in quelle parti M. Guido Postumo, il quale ha dato al Papa un libro delli versi suoi, che è stato lodato da tutti questi dotti uomini, e la Santità di N. S. gli ha donati dugento ducati con promissioni grandissime, e quando si deliberasse di fermarsi in Roma saria per avere gran bene. *De eo plura habet Lilius Gregorius Giraldius in Dialogo de Poetis sui temporis. Testis est autem Bembus Beatianum & Thebaldeum quoque minime desiderasse liberalitatem Leonis; nam ad Longolium scribens ait*: Thebaldeus & Beatianus etiam fortunis aucti tibi hilarius salutem adscribunt.

(107)

Il Cavalier, che tra lor viene, e ch'elle
Onoran sì (s'io non ho l'occhio losco
Dalla luce offuscato de' bei volti)
E' il gran lume Aretin l'Unico Accolti.
Benedetto il Nipote ecco la veggio,
Che ha purpureo il cappel, purpureo il manto;
Col Cardinal di Mantoa, e col Campeggio,
Gloria e splendor del Concistorio Santo.

Si quaeris quantum excelluerit quoque Benedictus Latina poesi, vide Italicam Petri Bembi epistolam ad Carolum Gualterutium, quae primum edita fuit in libro, qui inscribitur: Monumenti Veneziani di varia letteratura per la prima volta pubblicati nell' ingresso di S. E. Messer Alvise Pisani Cavaliere alla dignità di Procuratore di S. Marco. Venezia 1796. in 4.

(108) *Voltairius ea in dissertatione, quam de veteri & recentiori tragoedia exaravit, his verbis Leonis studium extulit*. C' est sour le grand Leon X. que le theatre Grec renaquit, ainsi que l' eloquence. La Sophonisbe du celebre Prelat Trissino est la primiere tragédie règulière que l' Europe ait vue après tant de siècles de barbarie, comme la Calandra du Cardinal Bibiena avoit ètè auparavant la primiere comèdie dans l' Italie moderne. Vous futes le primiers qui èlevates de grands thèatres, & qui donnates au mond quelque idèe de cette splendeur de l' ancienne Grece, qui attiroit le nations ètrangeres à ses solemnitès, & qui fut le modele des peuples en tous le genres. Si votre nation n' à pas toujours egalè

les anciens dans le tragique, ce n' est pas que votre langue harmonieuse, féconde & flexible ne soit propre à tous les sujets; mais il y a grande aparence que le progrès, que vous avès faits dans la musique, ont nui enfin à ceux de la veritable tragèdie. C' est un talent qui a fait tort à un autre. *Non satis constat quo anno Dovitius Calandram exaraverit. Anno quidem 1521. primum edita fuit cum hoc titulo*, Comedia ridiculosa composta per el Rmo Cardinale di S. Maria in Porticu. *Quam magnifico apparatu haec comoedia aliquando acta fuerit, pluribus descripsit Balthasar Castilionius* : Lettere Vol. I. pag. 156. *Patavinae editionis* an. 1769.

(109) *Scriptores plures Isidori Ugurgerii auctoritate decepti putarunt vel a Leonis temporibus extitisse Rudium Academiam, vel ut ipsi appellabant, Congrega. Constat enim ex institutionibus ejusdem coetus, hunc initium habuisse an. 1531. Kal. Novembris. De hac re plura exaravit Ubertus Benevolientius in epistola quadam, quae manuscripta asservatur in Bibliotheca Lycei Senensis.*

(110) *Lilius Gregorius Giraldius* de Poetar. Histor. Dial. VIII. *haec dolenter scripsit*. Ac nunc mihi apud vos secreto liceat exclamare; o tempora, o mores! Iterum obscoena omnis scena revocata est; passim fabulae aguntur, & quas propter turpitudinem Christianorum omnium consensus expulerat, ejecerat, exterminaverat, eorum, si Deo placet, Praesules, atque nostri ipsi Antistites, nedum Principes in medium revocant, & publice actitari procurant. Quin & famosum histrionis nomen jam Sacerdotes ipsi & sacris initiati sibi ambitiose asciscunt, ut inde sacerdotiis locupletati honestentur.

(111) *Studium hoc Pontificis in vetera monumenta multi extulerunt, & extat opus Andreae Fulvii Praenestini exametris versibus exaratum, ac binos in libros divisum, quod inscribitur* antiquaria, *& in quo multis millibus versuum cum Leonis laudibus explicantur antiquitates Romanae, quod neminem ante se tentasse poeta gloriatur. Adservatur illud in Bibliotheca Laurentiana* Plut. 33. Cod. 37. *Cetera inter habet hoc carmen*:

Quid referam castos vitae sine crimine mores?

quod afferre libuit, ut hoc quoque testimonio refellerem accusationes eorum, qui ausi sunt incontinentiae notam Leoni inurere.

(112) *Ejus providentia factum est, ut ante templum S. Mariae ad Martyres, quod antiquitus Pantheon dicebatur, vas Porphyreticum collocaretur, cujus rei memoriam haec prodebat inscriptio* ;

LEO X. PONT. MAX. PROVIDENTISS. PRINCEPS

VAS ELEGANTISSIMUM EX LAPIDE NUMIDICO

NE POLLUTUM NEGLIGENTIAE SORDIBUS

OBSOLÉSCERET IN HUNC MODUM REPONI

EXORNARIQUE JUSSIT.

BARTHOLOMAEUS VALLA } AEDILES FAC. CUR.
RAMUNDUS CAPOFERRUS

Bina & amplius post saecula vas illud a Clemente XII. in sacellum a se extructum in Lateranensi Basilica translatum est. Neque gloriosium minus fuit Leoni, quod ut ei rem gratam facerent, Poetae quidam nobilissimi exquisitissimae artis simulacra versibus celebranda susceperunt, inter quos singularem quamdam laudem consecuti sunt Jacobus Sadoletus, qui Laocoontem; & Castilionius, qui Cleopatram heroico carmine descripserunt. Inter cetera haec habet de Leone Castilionius.

At tu, magne Leo, divum genus, aurea sub quo
Saecula, & antiquae redierunt laudis honores,
Si te praesidium miseris mortalibus ipse
Omnipotens Pater aetherio demisit olympo:
Et tua si immensae virtuti est aequa potestas,
Munificaque manu dispensas dona deorum
Annue supplicibus votis, nec vana precari
Me sine &c.

Illud & praetereundum minime putamus vel ipsas Mediceas feminas studiis respondisse Leonis. Extant enim Alphonsinae litterae, quibus sibi gratulatur, quod invenisset plures statuas, homines exprimentes vel morte, vel vulneribus affectos (Filza CVIII.) *Ceterum nullum vas erat, signum nullum aeneum, marmoreum, eburneum, nihil aliud ejusmodi rerum ab antiquis artificibus elaboratum, quod Leo non studiosissime conquisierit. Gem-*

mas etiam adamasse videtur , & extant litterae illius ad Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem , in quibus mentionem facit cujusdam summi pretii adamantis a Julio II. coempti , quem recuperare omnino volebat .

(113) *Vide* Novam litterariam maris Balthici & Septentrionis pag. 348. *Multa sunt alia monumenta studii Pontificis ad comparandos antiquos codices , quae singula recensere minime necessarium arbitramur . Lagomarsinius in notis ad Pogiani Epistolas mentionem fecit litterarum Leonis recuperandi caussa duo Graeca volumina sacrae bibliae Ximenio Cardinali commodata .*

(114) *Georgius Vasarius in vita Antonii Sangalli ait de Hadriano* , che sprezzando tutte le buone pitture e statue, le chiamava lascivie del mondo, e cose obbrobriose ed abominevoli. *Narrat etiam Hieronymus Nigrius Marco Antonio Michelio suo , dixisse Hadrianum cujdam ostendenti illi Laocoontis statuam* : apage; sunt idola antiquorum: Lettere de' Principi o a' Principi. *Noli vero quaerere quanto cumulatus fuerit gaudio Leo , quando statua illa in Titi Caesaris Thermis an. 1506 inventa fuit, quam statim ac Pontifex factus est ornamento aedium Pontificiarum destinavit.*

(115) *Id ipsum confirmat Raphael Brandolinius , inquiens* : ingenuarum artium ac utriusque linguae sectatores studiososque tam benigne, & tam ex animo complectitur, ut non modo vel Pio II. vel Nicolao V. sed ceteris omnibus, qui multis jam annis clarissimi extiterunt, Pontificibus hoc uno liberalitatis & munificentiae genere praestiturus videatur.

(116) *Ita ille* : Sincerum adeo & acre est illius judicium, ut nil nisi exactum summaque industria elaboratum probet , sive Latinis mandata monumentis examinet, sive Graecis tradita expendat. Memini equidem, neque unquam in vita obliviscar, cum superioribus temporibus, multi, quibus cum litteris & musis erat aliquod commercium, Angeli Colotii eminentissimi ingenii, virique apprime eruditi laribus digressi in bibliotheca illa Medicea coiremus, quanta subtilitate mentisque vi non sensus modo eorum, quae dissererentur, sed etiam verba singula consideraret, & quam saepe interioribus quibusdam litteris & altiore doctrina secum congressus verecundos faceret, ea modestia significationeque virtutis, ut facile doctrinam ad omnem legem vitae, non ad ostentationem constituisse omnes judicaremus.

(117) *Aldus ipse retulit in librum, qui inscribitur* Cornucopia Pyrrhi Perotti, *sive* commentaria linguae Latinae, *litteras Leonis, scriptas an. 1513. quibus vetabat iterum imprimi Graecos & Latinos scriptores, qui ex Aldino typographio prodierant . Ut vero gratum animum suum Aldus Pontifici declararet, eidem nuncupavit editionem Platonis, ejus laudes Graeca elegia*

complectens, cujus auctor fuerat Marcus Masurus. Vide etiam hujus Praefationem in Pausaniam, qua efferuntur studia Leonis erga litterarum Graecarum cultores. Omnino litterae omnes ubique tractabantur splendidius studiis Leonis, qui effecit, ut aliquando non modo Romam in urbe Roma, sed & Italiam in Italia liceret agnoscere, quia ortum decus in illa urbe facile manabat & diffundebatur per omnes gentes propter illius communionem, & quasi societatem cum orbe terrarum universo. Illo autem e vivis adempto, reliquias aureae aetatis vix ac ne vix quidem potuit quispiam Romae agnoscere.

(118) *Hujus rei monumenta extant in epistolis Petri Bembi Leonis nomine scriptis. Est etiam in lib. IX. epistola ad Franciscum Marchionem Mantuae, qua eum Leo rogat, ut Michaelem Lucensem, qui graviore voce concinebat, ad se mitteret, & epistola ad Alphonsum Cardinalem Senensem, ut sibi puerum Gallum concederet, quem secum habebat, musicae artis peritum. Omnino voluisset retinere Romae Timotheum, quo a Raphaele Sanctio vocatus fuit, pictorem Urbinatem non modo ob praestantiam in pingendo, sed etiam in pulsanda lyra aliisque musicis instrumentis, sed is, cum non sibi solum, sed patriae, sed suis ortum se diceret, nec donis, nec promissis allici potuit.*

(119) *Qui hac de re tota plura scire cupit adeat Apostoli Zeni Dissertationes Vossianas eo in loco, in quo de Augustino Patritio multa eruditissime suo more disserit.*

(120) *Sacrum ensem & pileum misit Sigismundo Regi Poloniae, posteaque Maximiliano Caesari, cujus rei narrationem fecit Jacobus Manlius, ex quo excripsit Ciacconius in vita Alberti Cardinalis Brandeburgensis.* Tom. III. col. 415.

(121) *Ceteros inter vide Petrum Baylium* Dictionaire Historique & critique Article Leon X. *Sane nullum ab iis afferri potest testimonium, nulla vel levissima conjectura, quae faciant verisimilem narrationem quorumdam dictorum illius de Christo, & de animae immortalitate. Multis quidem impudicam illorum impudentiam coarguere possemus, sed minime necesse arbitramur diu in confutandis fabulis immorari. Hoc tamen afferam unum. Noverat Leo Petrum Pomponatium Mantuanum, laudaveratque plurimum ejus in philosophia doctrinam. Ubi vero audivit in dubium ab eo revocari animae immortalitatem, non solum ejus factum improbavit, sed etiam dedit operam, ut a Concilio Lateranensi dogma catholicum confirmaretur. Balei, Plessei, aliorumque calumnias in Leonem Gretserus, Coquaeus, Coeffetau, aliique confutarunt. Baylius ipse, ceteroquin fautor eximius hujus-*

hujusmodi calumniatorum, cum varia contra Leonem collegisset, haec tandem pronuntiare coactus est: Concluons que le devoir d'un bon juge ne permet pas de prononcer contre ce Pape, pendant qu'on n'aura pas de plus sures depositions. *Coquaeus in Antimornaeo refert Lutherum Leonis vitam appellasse* mundissimam, pudicissimam, candidissimam, famamque vitae ejusdem inculpatam.

(122) *Hac de re insimulatur praesertim Laurentius Puccius Cardinalis, cujus laudes supra praedicavimus, Sadoleti testimonio usi. Hoc teste, satis ne coarguisse videbimur reprehensiones Thuani, Jovii, Sarpii aliorumque, qui in eo consenserunt, operam illius fuisse semper promptam expositamque Pontifici ad sumptus effusos cum dedecore faciendos?*

(123) *Praeter Jovium id ipsum testatur Matthaeus Herculanius. Ait enim* non sacerdotia, non honores, non dignitates amplius venundantur, non ocio, doctrinisque addicti contemnuntur, sed pariter omnibus emergere ac crescere fas est, modo in his vel ingenii, vel virtutis significatio aliqua appareat. *Prorsus gloriari poterat Leo claustra nobilitatis se refregisse, cum effecisset ut aditus ad amplissimas dignitates non magis generis amplitudini, quam virtuti pateret.*

(124) *De eo haec Titius*. Die Sabbati, quae Junii secunda fuit an. 1520, Jo. Paullus Ballionus Perusinus in Hadriani mole, in qua detinebatur, capite plexus est, & in S Maria Transpontina publice conspectus. Causae quidem multae ad istius viri necem Leonem impulere. Praecipuam tamen illam fuisse perhibent, quia cum Francisco Maria convenisse arguebatur; ob eam caussam tum tentasse Leonem Perusiae statum mutare, misisseque Mutium Columnam adversus illum, clanculum vero Gentilem Balionum cum Pontifice sensisse, sed nihil potuisse tum agere. Jo. vero Paullum, & Franciscum Mariam, Burghesiumque Petruccium una adversus Laurentium & Pontificem convenisse, fudisseque in ea re Burghesium aureorum octo millia, eoque tempore transmisisse Perusiam Jo. Baptistam Sanctium Doctorem Senensem, propterea ejectus Franciscus, Burghesius fugatus, & Jo. Paullus captus & occisus.

(125) *Severitatem judiciorum, quae in homines audacissimos facta est, saepe misericordia mitigasse Leonem testis est Matthaeus Herculanius. Inquit enim*: Italiae numerosa praestansque nobilitas exilio errabat, quam Julii II. iratus turbo, dum delectos viros, & quos ipse tyrannos appellabat, tollere ac delere summopere niteretur, ita perculsam per alienas terras dissiparat, ut nusquam secura foret, lacera, afflicta, inops Leonis opem, ut Dei solebat, imploravit, nec longius infelicitatis procellam sensit, quam

dum ad sacros Sanctissimi viri pedes veniam orat, reditumque in patriam impetrat; redditur ergo antiquis sedibus dominus suus, locupletum fortunae veterem possessorem agnoscunt, laetantur patriae, receptis civibus, ac prioribus habitatoribus, penates: quod si qui sua culpa in patriam reditum non obtinuerunt, his omnium, quae possedissent, bonorum redditi proventus, ut qui in patria non possent, procul patria bonis suis Leonis beneficentia fruerentur, seque alere & suos commode possent. *Prorsus hoc intelligi volumus, partes lenitatis & misericordiae, quas Leonem natura ipsa docuit; semper libentissime egisse: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivisse, sed ab Rep. sibi impositam sustinuisse, sicut imperii dignitas in periculo civium publicaeque tranquillitatis postulabat. Quare facile dixeris illum vicisse naturam, cum Reipublicae vim & severitatem concessit, & naturae, consuetudinique serviisse, quando erant caussae, quae ipsum ad humanitatem atque misericordiam vocabant. Quare qui injuste erepta recuperare vellent, in Leone firmissimum inveniebant praesidium.*

(126) *Prope molem Hadriani visitur adhuc in cloaca quadam Leonis stemma cum his litteris* GLOVIS, *quae, si ordine inverso legas, exprimunt* SIVOLG *ad indicandam varietatem fortunae, quam subierant Medicei Fratres. Hoc tamen insigne proprium maxime erat Juliani, sua & habebat Leo, veluti jugum, adamas, de quibus vide Jovium*, Dialogo dell' Imprese militari ed amorose.

(127) *Ad hujus rei memoriam conservandam haec posita inscriptio fuit.*

LEO X. ET CLEMENS VII. MEDICES
FRATER PATRUEL. PONT. MAX.
FLAMINIAM INTRA URBEM TRIFARIAM
DIVISAM ADHIBITIS VICOR. MAGISTRIS
DIREXERUNT SECTIONIS DE SUO NOMINE
LEONIANAM CLEMENTIAMQUE
APPELLARI JUSSERUNT
ANNO JUBILAEI.

(128) *De hoc mandato in haec verba scripsit Raphael ad Balthasarem Castilionium.* Nostro Signore con l'onorarmi m'ha messo un gran peso sopra le spalle; questo è la cura della fabbrica di S. Pietro. Spero bene di non cadervici sotto, e tanto più, quanto il modello, ch'io ne ho fatto, piace a S. S. & è lodato da molti belli ingegni; ma io mi levo col pensiero più alto. Vorrei trovar le belle forme degli edifizj antichi; nè so se il volo sarà d'Icaro. Me ne porge una gran luce Vitruvio, ma non tanto che basti.

(129) *Ejus laudes celebrat Benvenutus Cellinius in vita, quam de se ipso scripsit, eaeque in Leonem recidunt, quod tanti artificis praestantiam noverit, & adhibuerit in cudendis praesertim numis.*

(130) *Testatur hoc Bembus in Italica epistola ad Dovitium Cardinalem, Pontificis ad Galliarum Regem Legatum. Quantus autem vir evaserit, quantum se majoribus suis dignum praestiterit in colendis ingenuis artibus, earumque cultoribus regia plane liberalitate tuendis, fovendis, amplectendis, ex multorum testimonio cognosci potest, & praesertim ex Sadoleti epistola, qua ei gratulatus est illius diei celebritate, quo a Clemente VII. in Cardinalium collegium cooptatus fuit. Itaque nemo non ingemuit ejus casum, quod in flore aetatis veneno sublatus fuerit.*

(131) *Quod inchoaverat Leo, neglexit Hadrianus VI. absolvendumque curavit Clemens VII. quod hac inscriptione declaratur.*

CLEMENS VII. PONT. MAX.

A LEONE COEPTUM

CONSUMAVIT

MDXXIIII.

Vide Julii Pippi, seu Romani vitam a Vasario declaratam, in qua plura de hac aula narrantur. Tom. II. p. 451. *Romanae edit.*

(132) *Paris Grassius haec suo more barbare de iis memoriae tradidit.* Jussit Papa appendi suos pannos de rassia in Capella. Nihil est in orbe pulchrius: unumquodque petium est duorum millium ducatorum auri in auro. *Augustinus Taja in opere, quod inscripsit,* Descrizione del Palazzo Vaticano, *ait*, che Leone vi spese fino alla somma di Scudi settanta mila. Son dieci gran pezzi di larghezza non tutti eguali, benchè ugual sien

per altezza. *Sane opus est hujusmodi, ut intelligi possit, non ad hominum apparatum, sed ad nobilissimi templi ornamentum fuisse factum.*

(133) *Apellatur haec aula* Sala vecchia de' Palafrenieri, *de qua haec ait Taja*. Fu la Sala ristorata e ridotta in forma migliore, come si scorge dal sontuoso soffitto di legname a tutto rilievo intagliato, scorniciato, e in fondo turchino, e rosso coperto d'oro, con entro agli specchj delle riquadrature il diamante, i tre pennacchi, e il giogo imprese di quel Pontefice, il quale, oltre il soffitto, fece dipingere sulle pareti in tante finte nicchie di architettura per opera di Raffaello d'Urbino ripartitamente tutto il Collegio Apostolico de' dodici Apostoli . . . . Giovanni da Udine di quel tempo tra i nicchioni ritrasse sulle cornici molti papagalli dal naturale di colori, babbuini, gatti mammoni, zibetti, ed altri bizzarri animali, che si tenevano da quel Pontefice. *Est etiam aula alia, quae olim dicebatur* de' Pontefici, *nunc* di Leone, *de qua haec Vasarius*. Fecesi in questo tempo per ordine di Papa Leone la volta della Sala de' Pontefici, che è quella per la quale si entra nelle logge alle stanze di Papa Alessandro VI. dipinte già dal Pinturicchio; onde quella volta fu dipinta da Gio. da Udine e da Perino (del Vaga) ed in compagnia fecero gli stucchi e tutti quegli ornamenti e grottesche e animali, che si veggiono, oltre le belle, e varie invenzioni, che da essi furono fatte nello spartimento. *Scriptor idem mentionem facit praemiorum, quibus Pontifex remuneratus est operam horum excellentium artificum.* Vita di Pierino del Vaga.

(134) *Ex Sanctii discipulis memorantur in primis Julius Pippus Romanus, Joannes Utinensis, Jo. Franciscus Pennius Florentinus, Bartholomaeus Ramenghius Bagnacavallensis, Peregrinus Mutinensis, Perinus* del Vaga, *& Maturinus Florentini, Vincentius Geminianensis, Polidorus e Caravagio, Timotheus Urbinas, aliique plures, qui ad Sanctii scholam, & ad Leonis aulam, tanquam ad mercaturam bonarum artium concurrebant.*

(135) *De Ponturmo haec Vasarius.* Si mise con tanta diligenza a studiare, che fu troppo, perciochè guastando e rifacendo oggi quello, che aveva fatto jeri, si travagliava di maniera il cervello, che era una compassione . . . . Ma mentre, che si lavorava quest' opera, venendo a morte Leone, così rimase questa imperfetta, come molt' altre simili a Roma, a Fiorenza, a Loreto, e in altri luoghi, anzi povero il mondo, e senza il vero Mecenate de gli uomini virtuosi. *Delectabant Leonem in picturis nitida, laeta, collustrata, non sic horrida, inculta, abdita & opaca.*

(136) *Natus hic erat patre aurifice, cujus fidei tantum tribuerunt Medicei fratres, ut, quo tempore exulare coacti fuerunt, apud eum magnam argenti facti,*

& caelati vim deposuerint, quam totam post in patriam reditum religiose servatam recuperarunt. Cum factus fuisset Pontifex Leo Romam accivit Bartholomaeum, & cetera inter mandatum illi dedit una cum Andrea Contuccio scalpendi anaglypta ad decus atque ornamentum Lauretanae cellae. Sed homo superbus, atque alienae laudis invidus tantam in offensionem atque odium collegae incurrit, ut vix receptis mandatis satisfecerit, quod non sine reprehensione Pontificis fuit. Nihilo tamen minus hic commendatione Julii Cardinalis Medicei eidem Orphei statuam faciendam, & in atrio aedium Medicearum statuendam locavit. Ipsius etiam Pontificis jussu inchoavit Laocoontis statuam de Graeca expressam, ut dono mitteret Francisco Gallorum Regi. Opus, Leone mortuo, perfecit Bandinellius, quod Florentiae nunc visitur.

(137) *Nullus erat in universa Italia iis temporibus ditior mercator Augustino Chisio, ac nullus splendidior. Is cum ad coenam aliquando invitasset Leonem, multa aureorum millia impendisse dicitur. De eo haec Titius.* Nunciatum est Augustinum Chisium Senensem praecipuum inter orbis Christiani mercatores virum naturali ratione pollentem Tulphae aluminibus valde ditatum (cujus sane proventibus aureorum septuaginta millia anno singulo esse ferebantur) Romae die Aprilis decima an. 1520. decessisse. Funus illius postera die magnifice atque sumptuose curatum. Duos filios totidemque filias reliquit ex Francisca uxore Veneta, quam diu concubinam domi apud se retinuerat, subinde vero prandio celebrato Pontifici & Cardinalibus quibusdam desponsaverat, Leone Pontifice digitum mulieris tenente, & verba ritu tabellionum faciente .... Proventus ex officiis, quae habebat, annuus aureorum decem & septem millium revertitur ad Pontificem Augustini morte, cujus nomen & Urbis & patriae honori cedebat. Litteris modice conspersus fuit, multos tamen historicos legerat; naturali pollebat ingenio, vir sagax, & apud Pontifices & Cardinales ob divitias quantivis pretii.

(138) *Litterae Pontificis extant in Italia* Sacra Ughellii Tom. III. Venet. edit. *& in notis ad Gratiani librum* de scriptis invita Minerva T. I. p. 75.

(139) *Extant Pontificis litterae a Bembo exaratae, ex quibus apparet hoc munus exercuisse Turinium tanquam vicarium Sylvii Passerinii & Latini Beneassais, antequam ille loco moveretur, & hic e vita discederet. Datae sunt prid. non. Aprilis Pontificatus an. VI. Cetera inter beneficia, quibus patriam Turinius affecit, minime in postremis numerandum est, quod obtinuerit a Leone, ut Prioratus S. Mamiliani, quem Augustiniani possidebant, quique erat in Pisana Dioecesi, Capitulo Pisciensi attribueretur.*

Eo libentius hujus viri mentionem fecimus, quod officiis, usu, consuetudine conjunctissimus erat Raphaeli Sanctio.

(140) *Cetera inter illud erat, ut de omnibus controversiis tum civilibus, tum criminalibus judicium ferre possent. Consuluit etiam in eo Florentinis suis, qui mercaturam Romae faciebant, cum iis concessisset*, ut de eorum rebus, caussis, litibus ac quaestionibus civilibus cognoscerent Consul, ac bini Consiliarii, *qui ex illorum natione erant. Extat in* Bullario Romano *Constitutio, quam hac de re tulit, ediditque an.* 1519.

(141) *Ludovicus Falconcinius in sua Volaterrarum historia ait Leonem, statim ac Summus Pontifex creatus est, dono misisse Mario suum biretum rubrum ad declarandum sibi in animo esse illum in Cardinalium collegium cooptare, idque ne praestaret factum fuisse Florentinorum quorumdam malevolentia. Decoravit tamen ipsum Episcopatibus Aquinate & Cavallcensi, nec non canonicatu S. Petri, & Altaristae officio, multisque auxit sacerdotiis. Huic frater erat Raphael multis & laboriosis editis operibus insignis homo, e quibus librum de Institutione Christiana Leoni ipsi nuncupavit.*

(142) *Extant litterae Pontificis datae an. 1515. quibus Sabaudiae Ducibus. Privilegia illa confirmavit, quae Praedecessores sui litteris datis an. 1451. & 1474. illis concesserant.* Lunig. Codex Italiae Diplomaticus p. 743. num. LVI. *Idem an. 1517. Bullam edidit*, qua Praedecessorum suorum Bullas Domui Sabaudicae propter collationem Beneficiorum ecclesiasticorum concessas non minus in favorem Margaritae Sabaudiae Ducis viduae extendit. *Lunig. loco citato.*

(143) *De hac legatione vide Bartholomaei Senaregae opus de rebus Genuensibus, quod extat in Vol. XXIV. Rerum Italicarum Scriptorum.*

(144) *Vide has apud Ciaconium in vita Leonis & apud Rainaldum:* Annal. Ecclesiast. *Hujus rei quoque mentio fit in historia Concilii Lateranensis V.*

(145) *Petrus Martyr in haec verba ad Leonem scripsit.* Episcopos jam quinque supplicatu regio tua Sedes Apostolica, Beatissime Pater, novos erexit. In urbe primaria S. Dominici in Hispaniola fratrem Garsiam de Padilla divi Francisci regularem; in Conceptione oppido Doctorem Petrum Xuarez de Deza, & in Insula S. Joannis Licentiatum Alphonsum Mansum ambos divi Petri institutionis observatores, quartum Fratrem Bernardum de Mes nobilem genere Toletanum concionatorem Dominici asseclam in Cuba insula, quintum Jo. Cabedum, & eumdem Franciscanae observationis pulpitarium concionatorem tua Sanctitas unxit, ut Darienensibus praesit. *In urbe S. Dominici plures positae inscriptiones fuerunt, ut posteris proderent*

memoriam Leonis beneficiorum, easque refert Ciaconius. In eo vero quod pertinet ad libertatem Americanorum, qui Christianae militiae nomen dederant, & ad controversias, quae illorum caussa excitatae fuerunt, vide Robertsonium in Americae historia.

(*) Pag. 230. lin. 23. *Anno 1516. dum venationis oblectamenta circa loca maritima quaerebat, parum abfuit quin a Turcis caperetur. Capti quidem fuerunt quindecim usque homines eorum, qui Cardinalibus, qui cum eo erant, famulatum praebebant. Hujus rei testem habemus Titium.*

(146) *Nihil erat hoc juvene audacius, sic ut ejus audaciam interdum vel imprudentiam, vel temeritatem potius, quam virtutem dixisses. Natus is erat Joanne Mediceo & Catharina Sfortia Fori Livii & Fori Cornelii Domina. Mortuo Leone, cum suis copiis ad Gallorum partes transiit, quae res, quemadmodum narravit Balthasar Castilionius Friderico Gonzagae, litteris datis Romae VI. Id. Aprilis an. 1522. sermonibus & reprehensionibus caussam dedit. Egerat antea de militando Francisco Sfortiae Mediolanensium Duci, sed tum pecuniae magis studuit, quam laudi & dignitati. Is cum anno 1526. ad vicum, cui Burgum Forte nomen est, in agro Mantuano, levis armaturae equitibus praefectus sub Francisco Mariae Urbini Principe dimicaret, levioris tormenti ictu in femore accepto, paullo post Mantuae decessit, cum vix annos XXVIII. attigisset.* Ferox natura juvenis, *ait Thuanus*, sed qui industriae & fortitudinis magnum specimen dederat, ut si ad maturiorem aetatem pervenisset, procul dubio in maximum & praestantissimum militiae ducem evasurus crederetur. *Uxorem duxerat Mariam Salviatam genere, & moribus feminam nobilissimam.*

(147) *Extat epistola Laurentii Medicei ad Dovitium Cardinalem* (Lettere di Principi o a' Principi) *ex qua apparet Leonem magnopere egisse, ut Hippolyto Juliani fratris filio, qui tum erat annorum septem, ditio quaedam daretur, quae ob mortem Hispaniarum Reginae regno illi erat adjudicanda. Hoc Pontificis consilium Laurentius ipse improbabat, verens ne ex eo Gallorum offensionem exciperet.*

(148) *Omnes molestias & sollicitudines, quibus illum miserrimum habuit Leo, eodem mortuo, deposuit Urbini dominus. Nam non solum amissa recuperavit, sed etiam, fautore Mediceo Cardinali, summum imperium Florentinarum copiarum obtinuit. Quod ad Ferrariae vero Ducem attinet, declaravit is se hostilem in modum vexatum fuisse a Pontifice, cum numum argenteum cudi jussisset, in cujus exergo expressus erat homo agnum ex Leonis ore trahens cum inscriptione sumpta ex Libro I. XVII. 37. Regum* DE MANU LEONIS. *Innuit Areostus quae gesserit Alphonsus, ut mon-*

tuo Leone sua recuperaret, & quot molestias acceperit. Ait enim Satyra V.

Per custodir, come al Signor mio piacque,
Il Gregge Garfagnin, che a lui ricorso
Ebbe tosto, che a Roma il Leon giacque.
Che spaventato, e messo in fuga e morto
L' avea dinanzi, e l' avria mal condotto,
Se non venia dal ciel giusto soccorso.

Ludovicus Muratorius in Annalibus Italicis an. 1520. acriter reprehendit Leonem, quod non solum sua ditione, sed & vita privare Alphonsum tentasset, cujus rei extare certissima documenta affirmat. Homo Alphonsi & Atestinorum omnium fautor eximius nullam praetermisit occasionem reprehendendi Leonem, eaque colligendi omnia, quae ejus famam laedebant.

(149) *Narrat Hieronymus Nigrius*, che avendo domandato (Adriano VI.) quanti erano i Palafrenieri di Papa Leone, e che rispostogli ch' erano ben cento, si fece la croce, e disse che quattro li parevanò bastantissimi, ma che fino a dodici ne terrebbe per superare il numero di quelli che tengono i Cardinali.

(150) *Inter hos fuit Serapica quidam Leoni ipsi acceptissimus, qui in vincula conjectus fuit, quod gemmas, aliasque res pretiosissimas clam eripuisse, & celasse accusatus fuit. De eo vide Castilionii epistolam ad Fridericum Gonzagam* Vol. I. p. 30. *& Hieronymi Nigrii epistolam* Tom. I. p. 85. delle lettere de' Principi.

(151) *Haec Vasarius in vita Alphonsi Lombardi.* Venendo poi la morte di Clemente (VII.) e dovendosi fare la sepoltura di lui e di Leone, fu ad Alfonso allogata quell' opra dal Card. (Ippolito) de' Medici. Perchè avendo egli fatto sopra alcuni schizzi di Michel Agnolo Bonarroti un modello con figure di cera, che fu tenuta cosa bellissima, se ne andò con denari a Carrara per cavare i marmi. Ma essendo non molto dopo morto il Cardinale a Itri, essendo partito di Roma per andare in Africa, uscì di mano ad Alfonso quell' opera, perchè da' Cardinali Salviati, Ridolfi, Pucci, Cibo e Gaddi commissarj di quella fu ributtato, e dal favore di Madonna Lucrezia Salviati, figliuola del Gran Lorenzo vecchio de' Medici e sorella di Leone, allogata a Baccio Bandinelli scultore Fiorentino, che ne aveva, vivendo Clemente, fatti i modelli. *Id doluit adeo*

Lom-

Lombardus, ut irae plenus Romam deseruerit. Quod miraberis, nulla extat in hoc monumento inscriptio.

(151) *Quanquam longo post tempore Famianus Strada & Tacitum & T. Livium imitans binas Prolusiones Academicas recitaverit de laudibus Leonis, memorandas tamen ob earum elegantiam hoc loco putavimus. Nunquam profecto scribendi finem facerem si commemorare eos omnes vellem, qui & numeris vincta & soluta oratione mortem Leonis deplorarunt, ob quam, ut ait Lilius Gregorius Gyraldius* adversus ingratos, omnis fere Christiana Respub. disjecta ac plane convulsa est. O fallacem, *subdidit ille*, hominum spem, fragilemque fortunam! O vana nostra studia, quae in medio saepe spatio nos deserunt, & in ipso plerumque portu obruuntur! Nos vero miseros atque infelices, qui cum primum tua, Leo Pontifex Maxime, sapientia, consilio & fortitudine liberi esse coepissemus, in medio felicitatis cursu te liberatorem ac vindicem Romani imperii, totiusque Italiae, te sacri ordinis & religionis assertorem, divinarum privatarumque caerimoniarum peritissimum, virtutum denique omnium parentem fautoremque amisimus. Nam cum pervicacium & furentium Barbarorum cervices pene concidisses, cum illos majestati Pontificiae non illudere, non insultare, sed parere & cedere coegisses, ut mox facilius posses religionis desertores & pietatis transfugas compescere, & falsorum numinum vanorumque rituum cultoribus pulsis & debellatis, erepta jampridem Christianis opulentissima & Deo gratissima regna recuperare, Christique religionem & pietatem asserere, nomenque late propagare; proh dolor. tuum illud immortalitate dignum ingenium, illa virtus morte subita erepta est, ita tamen ut ex tam alto felicitatis & dignitatis gradu, ad superos potius, quam ad inferos pervehisse videaris. Tu ergo in hunc, Ingrate, omnibus modis invectus es? Tu canina non dicam facundia, sed rabie quadam & feritate latrare & maledicere non desinis? Tu illum scilicet privatas opes, tu publicum aerarium, tu illum Petri patrimonium depeculatum fuisse, illiusque sacram supellectilem distraxisse, sceptrum & tiaram conflasse dicis? Tu mitissimum, Ingrate, Pontificem & clementissimum, immanem & crudelem, tu liberalissimum & magnificentissimum prodigum profusumque . . . . vocare non cessas? *Nullum quoque litteris & Italiae illuxisse diem calamitosiorem ait Paullus Manutius, quam dum Leo e vivis ereptus est*. Eum enim Laurentii Medicis (*his verbis alloquitur Hippolytum Estensem* in Praefatione de Romanis legibus) patris sui clarissimi viri exemplo commotum verae laudis cupiditas impulit, ut prope divina liberalitate jacentes ingenuas artes, magnis propositis praemiis, excitaret; barbara, credo,

quod ad litteras attinet, nunc esset Italia, dignitas omnis philosophiae, splendor omnis obsolevisset eloquentiae; sed neque ille hujus praeclari operis summam potuit absolvere, ereptus morte disciplinis liberalibus nimis immatura, & interitum illius tempora sunt ejusmodi consecuta, ut quae paullulum jam luxerant honestarum scientiarum studia, ea perpetuis multorum annorum tenebris, quasi nox quaedam obscuraverit prorsus, atque extinxerit. *Nil quidem his testimoniis afferri gloriosius Leoni potuit, quae a summis viris idcirco petenda putavi, ut sarcirem si quidquam de ejus laudibus detraxisse judicabor.*

(153) *Dixit hic aliquando ridens Dovitio Cardinali*, che S. Santità est bien fin, & sage avec. *Epistola Dovitii, qua id narrat, extat inter epistolas* de' Principi o a' Principi. *Multae sane latebrae, multique recessus esse videbantur in animo Leonis, quique ejus facta, severitatemque, quam interdum adhibuit, contemplabantur, dixere*, che entrò nel Pontificato col nome di benigno, & uscì poi colla fama di fiero: *Hieronymus Nigrius in epistola ad Marcum Antonium Michelium, loco citato. Diximus alias, cum Respublica vim & severitatem desiderabat, tam vehementem fuisse Leonem, quam cogebatur, non quam volebat, & injustos illos fuisse, qui inhumanitatis, & crudelitatis famam illi inusserunt. Vel inimicorum confessione natura illum formaverat ad lenitatem atque misericordiam, nec illam vicit, nisi quando imperii dignitas postulavit.*

(154) *Culpatur maxime Carolus Ceurius, quod militares jocos saepius offerens adolescentulo, cujus educator erat, ipsum avertere a litteris studuerit. Quod cum indignaretur ejus praeceptor Hadrianus, fertur perblande dixisse discipulo, futurum profecto, ut illum negligentiae suae poeniteret.* Audivi ego, *inquit Jovius in Hadriani vita*, cum Genuae Latinam orationem a quodam recitatam nequaquam praeclare intelligeret, suspirantem haec verba ingenuo ore protulisse: Agnosco nunc maxime & cum dolore quidem Hadriani magistri mei divina monita, cum hos flores, & elegantias Latini sermonis percipere nequeam, & meminerim eum saepe praedixisse me aliquando puerilis incuriae poenas daturum.

(155) *Paucos post menses, quam de vita decesserat Leo, facta est conjuratio in Julium Cardinalem a Zenobio Bondelmontio, Jacobo a Diaceto, Antonio Bruciolo, Aloysio Thomae, & Aloysio Petri filiis Alamanniis, aliisque Florentinis, de quibus vide Nerlium, & Nardium in Florentinarum rerum historiis. Aloysius Petri Alamannii filius, & Diacetus capitis damnati fuerint.*

(156) *Quam haec essent fragilia exposuit vir sane integerrimus Andreas Piperarius in oratione quadam sine anno & loco edita cum hoc titulo*: Andreae Piperarii oratio de fragilitate humana ad Leonem X. *Eo libentius hujus viri mentionem fecimus, quia Leo tantum tribuebat ejus ingenio, doctrinae bonitatique morum, ut, eum de vita decessisset Phaedrus Inghiramius, qui erat Patribus Concilii Lateranensis, ut ajunt, secretarius, in illius locum eumdem substituerit.*

CARDINALES A LEONE X.

CREATI.

Prima creatio Romae 23. Septembris 1513.

1. Laurentius Puccius Florentinus.
2. Julius Medices Florentinus.
3. Bernardus Dovitius Bibienensis.
4. Innocentius Cybus Genuensis.

Secunda creatio Romae die 7. vel 10. Septembris 1515.

5. Thomas Vulsaeus Anglus.

Tertia creatio Bononiae mense Decembri 1515.

6. Hadrianus Gouffier, alias Boisius Gallus.

Quarta creatio Romae die 1. Aprilis 1517.

7. Antonius Bohierius, seu Bohier Arvernus, Monachus S. Benedicti.
8. Guillelmus Groy, seu Croia Belga.

Quinta creatio Romae 26. Junii 1517.

9. Franciscus de Comitibus Romanus.
10. Joannes Piccolomineus Senensis.
11. Jo. Dominicus de Cupis Romanus.
12. Nicolaus Pandulphinus Florentinus
13. Raphael Petruccius Senensis.
14. Andreas de Valle Romanus.
15. Bonifacius Ferrerius Vercellensis.
16. Jo. Baptista Pallavicinius Genuensis.
17. Pompejus Columna Romanus.
18. Scaramutia Trivultius Mediolanensis.

19. Dominicus Jacobatius Romanus.
20. Laurentius Campegius Bononiensis.
21. Ludovicus Borbonius Gallus.
22. Hadrianus Florentius Belga.
23. Ferdinandus Ponzettus Florentinus.
24. Aloysius Rossius, seu de Rubeis Florentinus.
25. Franciscus Armellinus Perusinus.
26. F. Thomas de Vio Cajetanus ex Ordine S. Dominici.
27. F. Christophorus Numalius Foroliviensis ex Ordine S. Francisci.
28. F. Aaegydius Viterbiensis ex Ordine S. Augustini.
29. Guillelmus Raymundus Vich Valentinus.
30. Sylvius Passerinus Cortonensis.
31. Franciscus, vel Franciottus Ursinus Romanus.
32. Paullus Aemilius de Caesis Romanus.
33. Alexander Caesarinus Romanus.
34. Joannes Salviatus Florentinus.
35. Nicolaus Rodalphus Florentinus.
36. Hercules Rangonius Mutinensis.
37. Augustinus Trivultius Mediolanensis.
38. Franciscus Pisanus Venetus.
39. Alphonsus Infans Portugalliae.

Sexta creatio Romae 24. Martii 1518.

40. Albertus Marchio Brandeburgensis.

Septima creatio Romae 28. Maii 1518.

41. Joannes Lotharingus.

Octava creatio Romae 9. Augusti 1520.

42. Eraldus, seu Herardus de la Mark Germanus.

Tradunt nonnulli Leonem cooptasse quoque in Cardinalium Collegium Petrum Quirinium Venetum e Camaldulensium familia, sed hujus rei nulla extant certa monumenta. Cooptasse quidem videtur Joannem de Aurelia Archiepiscopum Tolosanum, quod tamen ob rerum varietatem, suique mortem minime palam fecit. Idem dicito de Antonio S. Severini Sanctissimae Trinitatis Bajulo Venusinae Dioecesis. Quae ad has Cardinalium creationes pertinent ex Ciaconio sumpsimus, ad quem lectores delegamus.

INDEX RERUM

Quae hoc volumine continentur.

E

F

G

H

I

K

L

M

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 10.	lin. 21.	Jamblicum, in Proculum	Jamblichum, in Proclum
18.	1.	undequaque	quoquoversus
27.	2.	dissidebat inter se Rinuccius Farnesius	dissidebant inter se Rainutius a Marciano Comes
ibid.	30.	despondidit	despondit
30.	28.	Ballionibus	Ballioniis, *&* *sic* p. 35. l. 2.
33.	17.	quam	quam si
34.	26.	uno & trigesimo	octavo & vigesimo
36.	31.	Alcyionius	Alcyonius
40.	15.	Cordonio	Cardonio *vel* Gardonae *&* *sic deinceps*
41.	4.	Agamenon	Agamemnon
46.	22.	magniminitatis	magnanimitatis
47.	2.	ut	ut ii
ibid.	31.	censuit	censuerit
51.	4.	Curcensis	Gurgensis *&* *sic deinceps*
55.	28.	octuoginta	octoginta, *&* *sic* p. *sequenti* l. 12.
63.	5.	intera	interea
66.	4.	constaret	videretur
67.	3.	Aleandrus	Aleander
ibid.	21.	facere	fovere
70.	11.	exscribendam	eam exscribendam
72.	25.	Nannantensem	Nannetensem
83.	21.	liberalitatemque	liberalitasque
94.	10.	affuisse	attulisse
95.	19.	avidivisses	audivisses
106.	22	toedebat	taedebat *&* *sic* p. 116. l. 15.
109.	20.	Atque hic	At hic
116.	18.	Bandinellum	Bendinellum
125.	31.	Columensem	Columnensem
ibid.		Columensium	Columnensium
127.	7.	pretiosissimis	pretiosioribus
133.	23.	detracturum	detrectaturum
134.	28.	quam	potius quam
136.	22.	non modo	*deme haec verba*
143.	6.	Quanqam	Quanquam
147.	6.	paterentur	posset
149.	26.	trajceret	trajiceret
155.	12.	quadrigentorum	quadringentorum
160.	4.	in Aedibus Vaticanis	in Basilica Vaticana
164.	2.	*enim*	*etiam*
174.	27.	Veronensis	Cremonensis
175.	32.	*mihi erant laeta*	*erant mihi laeta*
183.	31.	Cyrenensis	Cyrensis
197.	3.	Abreviatorum	Abbreviatorum
ibid.	10.	esse	sit

202.	17. Visurgum	Visurgim
ibid.	22. eactenus	hactenus
205.	11. nunquam	*deme hoc verbum*
207.	5. undequaque	undique
212.	10. subiiere	subiere
213.	6. fugae	eum fugae
ibid.	15. Dignitas ac majestas	Dignitatem ac majestatem
217.	10. suumque	ipsumque suum
255.	24. Franciscus	Frater

Pag. 168. *Verba ipsa Leonis usurpavimus, quando per epistolas petiit a Florentinis suis, ut sibi commodaretur Politiani opus in Pandectarum libros. Ceterum Politianus manu sua, ut rebatur Leo, minime exscripsit hos libros, multam quidem operam contulit, ut notaret qua in re discreparent ii ipsi editi Venetiis libri a manuscripto codice omnium antiquissimo, cui nomen est Pandectarum Pisanarum, qua in notatione interdum protulit conjecturas suas, ut obscura explicaret, atque incerta vel confirmaret, vel emendaret. Ex litteris Aemilii Ferretti, quibus Jo. Salviato Cardinali, cui fuit a cognitionibus, nuncupavit suas* interpretationes in Ciceronis orationes *conjici potest nihil non egisse Ferrettum ipsum, ut in manu haberet hasce Politiani adnotationes.*

Pag. 216. *Eo in loco, in quo de picturis a Raphaele Sanctio expressis in aedibus Vaticanis sermonem feci, rectius dixissem.* Leone quidem Pontifice expressit mirabiliter, ut & cetera ante eum omnia, quae pertinent ad Leonem I. obviam euntem Attilae prope flumen Mincium, ad Leonem III. donantem corona Carolum Magnum, & per eum a calumniis liberatum, & ad Leonem IV. incendium crudele ortum prope Vaticanum crucis signo extinguentem, ipsumque ad ostia Tyberina a Saracenis obsessum. *Haec consonant historiae, cui servire minime voluit Raphael. Nam ut ait Vasarius.* Fece Raffaello in questa Storia (di Leone III.) S. Pietro e S. Paolo in aria con le spade in mano, che vengono a difendere la Chiesa, e sebbene la Storia di Leone non dica questo, egli non di meno per capriccio suo volle figurarla forse così, come interviene molte volte, che così le pitture, come le poesie vanno vagando per ornamento dell' opera, non si discostando però per modo non conveniente dal primo intendimento. *Erravit quidem Vasarius narrans Leonem I. ad radices Marii montis obviam ivisse Attilae, & Raphaelem repraesentasse non Leonem III. donantem corona Carolum Magnum, sed ipsum Leonem X. hoc honore afficientem Franciscum I. Gallorum Regem. Ipsum quoque si audis, S. Petrum e carcere divinitus liberatum, Julio II. Pontifice, expressit, quod anno 1514. praestitisse constat.*

JW

